# PHARVS BENEDICTINA

# AQVILA
# POLONO-BENEDICTINA

In quâ,

*Beatorum & Illustrium Virorum Elogia, Cœnobiorum, ac rerum memorabilium Synopsis, Exordia quoq; & progressus.*

## ORDINIS D.P. BENEDICTI

Per Poloniam & eius Sceptris subiectas Prouincias breuiter describuntur.

*Jtem*

*Duplex fulcrum Ordinis subleuandi, cum Appendice diuersarum eiusdem Ordinis Congregationum, proponitur.*

Auctore *R. P.* STANISLAO SCZYGIELSKI,
Præposito Tuchouiensi Ordinis S. Benedicti

CRACOVIÆ,

*Jn Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsari S. R. M. & Illustrißimi ac Reuerendiß. Episc. Crac: Typographi Anno Dni 1663.*

## *Tituli ratio & operis Oeconomia*

AQVILÆ nidus, in campo inuentus GNESNÆ Primæ Vrbi Polonorum, auſpicium fuit, nomenq; dedit;

Exinde Alitum ipſa Princeps, in Symbolum ac teſſeram Potentiſsimi aſſumpta Regni, conuenienter Titulum libri præfert, qui per Tractatus huiuſmodi diſponitur.

| | | |
|---|---|---|
| 1. | Facies Aquilæ. . . | *Per diuerſa Regna, propagationem Ordinis Benedictini, repræſentat.* |
| 2. | Pectus Aquilæ. . . | *Sanctorum, Beatorum, atq; Illuſtrium eiuſdem Ordinis Profeſſorum, qui ornarunt Poloniam, Elogia, accendendi Polonorum per domeſtica exempla animos idonea, continet.* |
| 3. | Ala dextra. . . . | *Illuſtrium Cænobiorum Ordinis S. Benedicti per Poloniam Origines & fundationes recenſet.* |
| 4. | Ala læua. . . . . | *Memorabiles quaſdam Benedictinas in Polonia res, pennâ depictas habet.* |
| 5. | Duo pedes Aquilæ. | *Quibus Regia Ales nititur, Duo fulcra Ord. Surrigendi, commonſtrant.* |
| 6. | Appendix Aquilæ. | *Diuerſicolorem ſeriem Congregationũ (quarũ omnium ſcopus eſt, Perfectio in Regula B. Bened. contenta) ſuo orbe complectitur.* |

Renouetur vt Aquilæ inuentus tua. *Pſal.*

*ILLVSTR.*

*ILLVSTRISSIMO,*

ET

*REVERENDISSIMO DOMINO.*

# D. HIERONYMO LVBOMIRSKI.

## S. R. I. Principi

*Comiti in Wisnicz & Iaroslaw.*

Abbati Tynecensi, &c.

NON *raro me incessit admiratio Illustrissime Domine, cur Monasticæ perfectionis, vigiliarum, ieiuniorum, aliarumq; virtutum exempla, ab exteris potissimum accerserentur? Nec probæ notæ haberentur, nisi ex Syriâ Mesopotamiâ, Ægypto, Græciâ, vel Italia, allata & producta essent? Cum domi quoq; & in hoc frigido Sarmatico Solo, atq; intra Benedictinos lares, pro Idea suorum alumnorum, eximia virtutum Specimina abundè suppetant, copioseq; inueniantur? An quia nobis Polonis, ita naturâ comparatum est, vt aliena, domesticis anteponamus? veluti pannos quoq; & indumenta pluris æstimamus illa, quæ remotius venêre.*

*Equidem id certum esse scio: vitam, Monasticam, quæ in*

*Oriente fundamenta quondam iecerat, creuerat, floruerat, desertâ tandem patriâ, ad clima Occidentis in Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, sese contulisse: Vt iam Ægyptus, Thebais, Nitria, Græcia, plurimis Sanctissimis quondam Eremitis refertæ, magnisq; laudibus deprædicatæ, in quibus Paulus, Antonius, Pachomius, Macarius, Hilarion, Saba, plurimum eminuerant, desertæ nunc habeantur? Postquam sequaces, Patrum assertorum Viri Religiosi alio commigrarunt, & cum ipsis, ingens quoq; multitudo Monasteriorum vna cum literis, natiuum solum verterunt, ac in Occiduis Regnis sedes posuêre. Vt clarissimè nunc omnes videamus, & profunde ingemiscamus, in Oriente & in partibus versus meridiem in quibus pietas quondam Christiana apicem suum collocauerat, ibi nunc impium Alcoranum, ingenti veræ fidei probro, nefandum in modum superbè dominari. Iam vero ante sexcentos & amplius annos, cum per diuersas Europæ partes, Monastici Ordinis feliciter essent multiplicati Alumni, qui dilatandi Regni DEI percupidi, in studio salutis alienæ ardenter laborabant; Poloniæ quoq; Nostræ, tenebris infidelitatis adhuc tum depressæ, Soles isti oriri incipiebant, qui vel vltrò, naturam imitati Solis omnia collustrantis, accurrebant, & lumen veri DEI omnibus ingerebant, vel à Neophytis Principibus inuitati, fidem Christi in his Prouincijs implantârunt eamq; amplificârunt, Ecclesiam ordinarunt, Cænobia erexerunt, & quâ literis quâ virtutibus, Poloniam nostram mirifice nobilitarunt. Quos viros vti Orbis Nostri Ocellos splendidissimos, grati animi æternâ memoriâ complecti oportebat; sed quæ temporum iniquitas, quæ homi-*

*hominum deſes incuria, Nomen, Reſq; Virorum, tumulo obliuionis ſepultas, denſis tenebris obduxerat Antiquitas: quod certè factum, habere nonniſi amarum potui; & ſuper tanto, Illuſtrium Orbis noſtri luminum, deliquio, animum meum antiquitati deuotum, dolor lancinabat.*

*Itaq; cum ætatis in Religione rudimenta ponerem, Hiſtoriæ Benedictinæ ſtudio efferebar, nihilq; antiquius habui, quam vt hæc præclariſſima Maiorum noſtrorum facinora, meas in Tabulas referrem, ne quandoq; memoriâ malè hærerent, aut tandem exciderent imprudenti. Quocirca ex Menologijs Noſtris, Hiſtoricis fide dignis, Tabulis vetuſtis ac variorum legendis impreſſis & probatis, Illuſtres aliquot (quis enim omnes nouerit) Heroes & ſanctiſſimos vitæ Monaſticæ ſub Regula S. P. N. Benedicti, ſacra olim ſtipendia merentes anteſignanos & Duces, in hunc breuem collegi Tractatum,* AQVILA POLONO-BENEDICTINA *inſcriptum; ex quibus conijcere quiuis facile poterit, qualiter de Polonia vniuerſa ampliſſimè & immortaliter Noſtri Monachi meruerint, quomodo non pauci ſanguine ſuo eam purpurauerint, Apoſtolicis ſudoribus conſecrarint, inſigniter ornarint, in difficillimis & extremis periculis, Cariſſimam Matrem noſtram communem, patriam, Regnum Poloniæ afflictum, conſeruauerint: præterea cuncti intelligent, ex his ſuccinctis Elogijs; quomodo hi viri Admirandi, ad magnæ Doctrinæ & Eruditionis præſtantiam, quâ Orbi præluxerunt, euaſerint; quomodo ad tantum Sanctitatis faſtigium peruenerint, vt cum infeſtiſſimis animarum hoſtibus, in arenam deſcenderint, fortiter dimicârint glorioſèq; vicerint.*

*Quos profectò, sicut vitæ Sanctitas, & Doctrinæ sanitas gloriosos, Orbi perutiles memorandosq́; effecit: Sic Te Tua Illustrissime Domine Eruditio singularis, & vitæ decus, toti Orbi stupendum exhibere, atq; omnium oculis admirabilem proponere debet. Mentem itaq; Tuam eo conuerti par est, vt ingenuarum artium succo, à teneris feliciter enutritus, splendidissimum sacrarium Mineruæ existas, vt dum Magno Pompeio, maior Pater Tuus Regni Marschalcus & columen, Martis castra ducens, imo Mars alter Dux Exercituum, bellicas suo ense lauros demetit; Tu mitioribus Mineruæ dicatus Castris, in Vmbratilis vitæ studijs Artium laureas, palmasq́; colligas; vt primæ etiam videantur, ingenij tui surgentis faces, quibus ad maiora contendens præludas. Volitare debet, ingenij vigore, inclijta, per antiquorum Encyclopædiam, adolescentia Tua; ac vbi supremum scientiarum attigeris apicem, optimi ingenij pennis subnixus, secretiora Theologiæ mysteria magno vsui, Tibi futuro Principi Sacrorum Flamini profutura, securus penetrabis. His autem nobilissimis artibus & scientijs, animum Tuum cum ornaueris, plurimum illæ Tibi conferent opinionis, & à Te ornamenti non minus accipient: eas siquidem Illustrissimi sanguinis communione quadam, nobilissimas & excellentes facies, & ad tantæ dignitatis euehes fastigium, vt sicut maximos Honores & Dignitates in Ecclesiastica Hierarchiâ & Republica Polonâ, capessiturus es, sic nec ipsis honoris aliquid aut excellentiæ, deesse poterit.*

*Quemadmodum etiam singularis Eruditio in Sanctis viris, nihil de eorum virtute & pietate detrahebat, sed mutuo amicitiæ fœdere, & communis societatis commercio Doctrinæ Pietatem*

*tatem coniungebant; quorum vita talis fuerat, vt clarissimarum virtutum imago existeret, norma morum, vitiorum censura; qui præter alia innumera pietatis opera, edomandis errorum monstris, proterendis hæreseon portentis, exterminandis vitijs, iugiter insudabant; & cum ductu auspicioq;* S. P. N. BENEDICTI *sacra stipendia facerent, seq; cælestis eius disciplinæ alumnos, & membra Ordinis Monastici profiterentur, primæuum Benedictinæ obseruantiæ vigorem, si erat alicubi remissus intendebant; si frigescens accendebant, labentem fulciebant, torpentem excitabant, renascentem fouebant, adultum roborabant : Ita Te Illustrissime Domine pro munere suscepto Antistitis, in eadem familia Benedictina, non absimilem Operam profectò oportebit nauare. Tynecij si quæ lapsa sunt, sunt erigenda, dispersa colligenda, exanimata recreanda; Cui quicquid boni accesserit, à te habebit; si pristinam recipiat fæcunditatem, si suo restituatur nitori, si in decus reflorescat Ordinis & patriæ, tanti beneficij gratiam, Tibi tanquam suo excellentissimo Capiti acceptam referet. Neq; verò angustis Tynecensium cancellis Amplitudo Tua claudetur, latius illa sese diffundet, atq; in commune totius Ecclesiæ & publicæ Rei bonum, exuberabit, quæ in Te præsidium habitura est, eò potentius, quo te magni sanguinis splendor sublimius euexit.*

*Albicantem itaq;* AQVILAM, *Monile Regni, Polono Candori Symbolam, Ordinatissimâ Illustrium virorum & rerum Clarissimarum pullati & è pullo Candicantis Benedictini Ordinis distinctam serie, dum ad Te Illustrissime Domine sponte sua volat, & Te in terris Iouem habere quærit, Tuo*

*fauore*

*fauore complecti dignare: continet illa, vti præmisi, in Regno Nostro, quondam viros iure suo magnos, nunc beatis Polorum sedibus donatos Ciues, continet & cætera Ordinis Benedictini decora: eius inquam Ordinis merita recenset, quem Principes magnifice nobilitarunt, Reges in delicijs habuerunt, Præsules summâ Obseruantiâ coluerunt, quem anxijs votis nostra Polonia, imo totus Orbis excepit, quem Ordinem gloriosus Chabrus & Diuus Casimirus nepos eius, Reges Poloniæ & alij Principes, nimium felicitati Polonæ fauentes, ab exteris inuitatum, in fertilibus Polonicis Campis plantârunt, & liberali munificentiâ rigauerunt. Cuius Tu quoq; Antistes, & ideo Patronus Protectorq; es, in quo fortuna Tibi oblata est, sexcentis annis obsito Tynecio senium detrahendi, & viribus affectum confirmandi: cui omnium olim facilè Principi Cœnobio, quod sex & amplius sæcula, quod bella infinita, quod iniuria temporum, quod rapacitas hominum, quod Calamitates omnes reliqui fecerunt, id, fusi ad Tuos pedes, gubernio Tuo, submissè commendamus.*

ILLVSTRISSIMÆ ET REVERENDISSIMÆ TVÆ

*Celsitudini Deditissimus Deuotissimusq; Orator.*

Fr. STANISLAVS SCZYGIELSKI
Præpositus Tuchou. Ord. S. P.
Benedicti.

AQVILÆ

# AQVILÆ POLONO-BENEDICTINÆ FACIES.

## Facies Aquilæ deſuper &c. *Ezech. 1.*

*Seu Operis Frontiſpicium, in quo Ordinis Benedictini propago, cum ſuis fructibus, Lectori exponitur.*

EA Diuinæ prouidentiæ vis atque neceſſitas, in Eccleſiæ politiâ relucet, vt quando maximè deſolata paruit eius facies & afflicta, iuſtiſſimo ſuo ſed inſcrutabili conſilio, certos ſemper homines ſubmiſerit DEVS, per quos Eccleſiaſtico Corpori, ſuis in partibus vndequaq; languido, vel aſperſo colore, nouus induceretur nitor, vel abſterſâ labe, ſpecies antiqua redderetur. Periculosè quondam Niniuitarum Ciuitas laborauit, periculo tamen huic auertendo, facillimè viam, Ionæ zelus, & prædicationis inſtantia, præcluſit. præfractè egit Iſraelis populus, qui idolothyſiâ, iram Numinis prouocare eſt auſus, placando tamen DEO, Moyſis cura ſuffecit. grauiſſimè diuerſis temporibus, diuerſæ partes Eccleſiæ laborâuerunt, ſed huic morbo, ſi periculoſus eſſet, ſanando, ſi contagioſus, reſecando, eximiorum hominum præclariſſimæ virtutes medicinam fecerunt. Quâ ſiquidem mentis ſuæ notione præuidit, homines fore corruptos, qui Eccleſiam errorum vitiorumq; ſordibus contaminantes, Diuinam iram in mundum deriuarent; eadem prouidit, vt eſſent Sancti minimùm

mùm ſingulis ætatibus ſinguli, *qui in diebus ſuis inuenirentur iuſti, & in temporibus iracundiæ fierent reconciliatio.*

Quæ ſanè ratio facit, vt credam, non alium iuſtum, corruptiſſimos illius ſæculi mores, deprauatiſſimam mortalium vitam, & iracundiæ tempora delapſa penitus ad extremam mollitiem, potuiſſe, aut virtutum legibus deuincire, aut religionis ſeptis includere, quàm magnum illud Eccleſiæ decus Sanctiſſimum Patrem BENEDICTVM? Quis enim Dei conſilium magnoperè non admiretur? dum conſiderat, eodem fermè tempore, quo in Oriente Monachatus eſſet ex parte maximâ collapſus, compluribus ex ijs, à fide Catholicâ, ad diuerſos hæreſum errores, deficientibus; alijs quoq; ab illo vetere inſtituto rigido, in delicias prolabentibus: eodem inquam tempore, in Occidente, inſtaurari atque longè lateq; diffundi, obſeruantiam Monaſticæ diſciplinæ. Et verò, tunc eam fæcundo germine propagatam legimus? quippè, quòd tunc, velut ex tenui ſurculo, prægrandium exortæ ſint frugiferarum arborum ſyluæ, quæ vniuerſam repleuerint occidentalem Eccleſiam; extiteritq; locuples ſeminarium, ex quo innumera diuerſorum Ordinum progreſſa ſint agmina Monachorum, qui licet diuerſo nomine in Eccleſiâ Dei circumamictâ varietate cenſeantur, Inſtituti tamen ſe eſſe Sanctiſſimi Patris, & ab ipſo progredi, gloriantur.

Cùm igitur vniuerſa Italia, Gallia, Hiſpania, atq; Africa, à Gothis, & Vandalis, hæreticis, Arrianis, poſsiderentur, Orienſq; pænè totus eſſet infectus hæreſibus; in tam tetræ noctis obſcuritate denſaq; caligine, eiuſmodi claritudo lucis effulſit, quâ vniuerſus Catholicus Orbis illuſtraretur. Emicuit inquam ad Eccleſiæ decus & ſplendorem, SS. P. BENEDICTVS, natione Romanus, ex antiquiſſimo & Imperatorio Aniciorum ſanguine, Patre Eupropio Probo, Iuſtiniani Patricij Romani Filio; Matre, Abundantiâ Riguardata, Nurſiæ, in Vmbriâ, vno cum ſorore SCHOLASTICA partu editus, anno CHRISTI 480. qui ſtatim à primâ ætate, virtutum hoſpes, hoſtis voluptatum,

ætatem moribus transiens, & in pueritiæ annis cor gerens senile, arduam cæli viam Deo auspice & directore ingressus est, quam vt tutius pergeret, Romam, Nursiamq; dimisit; quarum in alterâ educatus, ortus vero ex alterâ; vtriusq; amorem, vsu ac naturâ contraxerat. Vicit tamen carnales affectus animæ cura, petijtq; felix Puer, non modò solitudinem, sed desertū & illud immane, at deuotum specus, quod qui viderunt, se vidisse quodammodo Paradisi ianuas crediderunt. Vbi, quâ ratione vixerit, sciens, sileo, cùm id ipsum nobilium Scriptorum fides, lateq; loquax fama euulgauerit, & iacta illic ingentia præclarissimæ Religionis fundamenta, testentur. Cuius historiam, vitæq; modum, quisquis nosse cupit, non scrutari abdita iubeo, Gregoriani Dialogi librum 2. perlegat, qui totus in enarrandis Sancti Viri rebus præclarè gestis consumitur, vbi rerum claritas, Stylo etiam illustratur.

Nam cùm ei omnis mundi fastus vilesceret, Parentibus, amicis, & amplis facultatibus relictis, soli Deo seruire cupiens, ad Monastica exercitia seriò colenda puer se contulit; solâq; nutrice Cyrillâ comitatus, Effide primùm, initium Sanctitatis suæ, in capisterij confracti reparatione, demonstrauit: ac postmodum occultè nutricē fugiens, *Sublacum* solitudinem vastissimam, quadraginta passuum millibus Vrbe distantem, soli *Romano* Monacho cognitus, [ qui ei habitum Sacræ Religionis tradiderat ] triennio inhabitauit. Inde verò Dei reuelatione notior factus, & virtute miraculorum redditus vniuersæ regioni illi conspicuus, inuidiæ iaculis, à nescio quibus malè feriatis hominibus appetitus, postquam Sathanæ vires confregisset, victor in omnibus, ad vitæ Sanctæ æmulationem suo exemplo, quàm plurimos traxit; quorum gratiâ, 12. Monasteria exstrui curauit, & in ijs, crescentem Discipulorum Religiosorum numerum collocauit. Postremò, *Cassinum* Tertulli patruelis sui castrum incoluit, & ibidem erecto Monasterio, Monasticum Ordinem mirifice propagauit. Vt autem ad Cassini montem,

Christi athleta Diuinitus vocaretur, certamen, quod aduersus dæmones, mox ibi esset initurus, causa fuisse videtur: nescitur enim quâ incuriâ Romanorum Præsidum factum sit, vt quæ longè lateq; in Christiano orbe extincta erat idololatria, in monte illo altioribus fixa radicibus adhuc vigebat; ibi namq; fortis armatus, tanquam impietatis arce munitus, cultum à sibi subditis infeliciter exigebat, sed cùm fortior ipso venit, penitus cedere coactus est. Vetustissimum siquidem ibi fuit fanum, in quo, ex antiquo more gentilium, à stulto rusticorum populo, Apollo colebatur, & in cultu dæmoniorum circumquaq; luci succreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo Sacris nefandis operam dabat: illûc itaq; Vir Dei perueniens, contriuit idolum, subuertit aram, succidit lucos, atq; in ipso templo Apollinis, Oratorium B. MARTINI, vbi verò ara fuit eiusdem Apollinis, Oratorium S. IOANNIS Baptistæ construxit, & commorantem circumquaq; multitudinem prædicationibus continuis ad Christi fidem conuertit. Quantâ autem in eodem Sacro monte, bonorum operum fragrantiâ, vniuersam condecorârit Ecclesiam, quantâ signorum & miraculorum gloriâ corruscârit, quanta religione floruerit & doctrinâ, quantum deniq;, hoc sidus matutinum, post tenebrosam infidelitatis noctem Orbi feliciter apparens, supra alias stellas, in claritate, splendidius emicuerit, quàm crebro cælestes Reuelationes & Visiones Diuinas habuerit, breui eloquio vel encomio, nequit explicari?

De quibus quidem rebus, cùm multi graues, per mille & ducentos propè annos, tractârint authores, qui D. P. N. gesta, calamo celebrârunt; ego in præsenti id solùm meminisse contendo, quod Ordinis Benedictini per Prouincias diuersorum Regnorum propagationem concernit: Cuius felicitatis conscium fuisse S. P. Nostrum, & de successu familiæ suæ multiplicandæ edoctum diuinitùs, factâ exempli in Abrahamo & D. P. Benedicto simili collatione, conijcio. Memorabilis siquidem

illa

illa Abrahamo Patriarcharum maximo, facta promissio fuit, dum felici iam auctum prole, & fortunarum accessione cumulatum abundè, insupèr semen eius super numerum arenæ maris prospere multiplicandum promisit DEVS. *Leua* (inquiens Genes. cap. 13.) *oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem : omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo vsq; in sempiternum, faciamq; semen tuum, sicut puluerem terræ.* Cuius promissionis infallibilis veritas, continuo longorum decursu spatiorum, effectualiter nunc quoq; adimpletur. Consimili sanè prodigio Orbis terrarum vniuersus, Diuino quodam in solis radio, Illuminatissimo diuinitùs Patriarchæ Nostro BENEDICTO ostensus, & collectus mundus vastus, in atomum minimam, stupendo quodam contuitu exhibitus fuit; tanquam tot Regnorum atq; Prouinciarum futuro deinceps in suis discipulis Apostolo, magno omnino Regni, & Ecclesiæ Christi in terris, post primos ac præcipuos Christi Apostolos, propagatori. Dignissima omnino res, quam ex Magno Ecclesiæ Doctore Gregorio repetamus. *Cum vir DEI Bened. Cassini ageret, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præuenisset, ad fenestram stans, & omnipotentem DEVM deprecans, subito, intempestâ noctis horâ respiciens vidit fusam lucem desuper, cunctas noctis tenebras effugasse, tantoq; splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est, quia, sicut post ipse narrauit, omnis etiam mundus, velut sub vno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est, &c.* hæc Gregor. Quâ quidem mirabili in visione, *DEI ipsius Essentiam* vidisse eum grauissimi Theologi, S. Bernardus Clarauallensis, S. Rupertus Tuitiensis, & alij eximij in florentissimis Vniuersitatibus Salmanticæ, Hiraci, huic opinioni publicè subscribentes Doctores affirmant; accedente ipsomet Magno Gregorio, dum visionem explicat. *Quia animæ* (inquit) *videnti Creatorem angusta est omnis Creatura.* Singulari scilicet Numinis beneficio, a S. BENED.

 totum

totum mundum non in ſeipſo, nec in aliquâ ſpecie, aut ſimilitudine, menti impreſsâ, ſed in Eſſentiâ Diuinâ, cui omnia inſunt, fuiſſe conſpectum, adeò, vt lumine gloriæ colluſtratus, viderit DEVM ipſum, non ſecus, quàm Beati Cœlites: niſi quòd hi, ſummâ felicitate iſtâ æternùm gaudeant, Sanctus verò BENED. breui poſt viſionem diuinitùs factam exciderit. Et quanquam multi alij, rei magnitudine oppreſſi, adduci vix poſſint, vt hoc affirment & credant, præſertim ſcripturâ loquente, Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet.* Item. *DEVM nemo vidit, vnquam*, in hac vitâ mortali, addit Gloſſa *præter Chriſtum*; in quam etiam Sententiam pedibus iuit S. Thom. cum ſui ſequacibus, qui ſuo eum calamo expoſuerunt: nihilominùs S. P. N. BENEDICTVM ob hanc ipſam gratiam, digniſſimo celebrauit elogio VRBANVS IIX. Pontifex Maximus, in Bulla de Feſto S. P. BENED. Anno 1632. expedita, apud Tambur. Tom. 3. diſp. 24. quæſt. 5. *Diuina* inquit *interius luce ſplendens ſublatus in mentis lumine, ſuperior mundo, & expanſus in DEO, mentis laxato ſinu, beatifico lumine humani imbecillitatem intellectus eleuante, DEVM ipſum, & in ipſo DEO, adhuc mortalis, omne quod infra DEVM eſt, videre meruit.* Ita VRBAN. PP. de viſione B. BENED. *Quo quidem ipſo tam admirabili in ſpectaculo, illa præ alijs vidiſſe cenſendus eſt*, inquit Anton. Iepez in Chronicis General. Ord S. BENED. *quæ ad ſe & ad ſuos in conuerſione Orbis, & adducendo ad DEVM, ſicut à DEO ad ſe ducebatur, Orbe, potiſſimum videntur pertinere. Vidiſſe eum in ſolis radium contractum mundum, vt eodem intuitu, non ſecùs quàm in Tabulâ Geographicâ notaret Monaſteria, vbiq; terrarum ædificanda, nec ampliùs moras traheret, ſed præcinctos diſcipulos quantociùs quoquouerſus mitteret, infinitum opus aggrederetur, & in remotas orbis partes operarios idoneos ſubdelegaret.* Ad hoc idem intentum, alia ſimiliter reuelatio Sanctiſſimo Patriarchæ BENEDICTO in Caſſinate olympo facta, referri quoq; debet, quam idem Gregor. libro præallegato notat, eandemq; Fauſtus Monachus in Vita S. Mauri apud Surium Tom. 1. de Sanctis ad diem 15. Ianuarij. recenſet;

censet; & hanc ipsam disertè Adreualdus Floriacensis, author antiquissimus (florebat siquidem Anno 890. libro 1. de Miraculis S. P. Bened. c. 6. & 7.) citat. *Cùm magnus* (inquit) *ille Catholici orbis splendor & Sanctissimus Monachorum Patriarcha Benedictus in Cassinate Monasterio, Sanctarum Virtutum Miraculis floreret, inter cætera, quæ ei Diuina maiestas reuelare dignata est, Monasterium quoq; quod ipse ibidem construxerat, ostendit, paganorum incursu, penitus subruendum, orationum suarum duntaxat obtentu, animarum sibi concessa salute: anxit ea res, & mirum in modum afflixit S. Patrem, vbertimq; super ruina loci illius lachrymari visus est; donec eius animum mærore nimis affectum, pietas Diuina releuauit, ampliorem pollicens Monasterij Cassinensis honorem & statum, multoq; locupletiorem Vitæ Monasticæ per alias vndequaq; regiones propagationem futuram. Quâ diuinitus acceptâ promissione S. Pater mæstitia pro loci destructione reiectâ, colonias suorum in diuersas Orbis partes ablegare constituit.* Hæc noster Adreualdus.

Iam verò ad S. Patrem, virtutibus & miraculis clarescentem, non modò Patricijs Romanis ac Italiæ viris Illustribus confluentibus, sed etiam, eius sanctitatis famâ illectis Religiosis, & Monachis varijs, & sub vario eò usq; Instituto viuentibus, concurrentibus, eiusq; Magisterium ambientibus, insignem titulum tum statim meruit, quo, vsq; hodie per totum terrarum Orbem Magnus Monastici Instituti per Occidentem; non solum Author, sed & Reformator, Sacræ Romanæ Ecclesiæ, & Martyrologij Romani verbis, celebratur. *Monachorum disciplinam in Occidente penè collapsam restituit* [quod ad Monasteriorum antiquorum reformationem nemo non spectare videt] *& mirifice* [nouam à se conditam] *propagauit.* Nouis insuper plurimis, teste Sancto Mauro, *tot Sanctorum existens Fundator Monasteriorum*, sub tempus vitæ suæ, per Italiam sparsim vniuersam exædificatis; quorum aliqua, suâ ipse præsentiâ honorabat, alia, designatâ, manu propriâ, Ideâ, quam vtinam non minùs quàm Regulam tanti Maiores, literis saltem descriptam, post tot pri-

mæuæ

mæuæ modestiæ ædificiorum ruinas, posteris transmisissent, tantus architectus, ipse architectatus est; vt de prodigiosa illa, nihil interim Idea dicam, quàm mirabiliter præsens, cùm etiam absens esset, suis de structura anxijs discipulis, prope Tarracinensem vrbem, teste Magno Gregorio, designauit. Multi insuper Principes, quâ Ecclesiastici & Politici, eius Sanctitatis celebritate permoti, per speciales internuntios efflagitabant ab eo, mitti sibi aliquos, de suis, qui tam cælestis Instituti. Cænobialis colonias, in partes suarum ditionum ducerent, & zelosè, in opere etiam salutis alienæ, ad imitationem Beatissimi Viri, deseruirent; quorum operâ & studio indefesso, in tantùm Fidei & Morum Doctrinam disseminatam esse, Ordinis quoq; latifundia & propagines, adeò excreuisse ex Veterum scriptis colligimus, vt tunc, Vatis Regij, illud de Apostolis gloriosum effatum, veraciter de Almi Patris BENED. discipulis dici potuerit. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Quod ipsum, ex hac Synopsi Originum nostrarum, & Exordiorum BENEDICTINI instituti per diuersissima Regna quisq; videre potest.

Ac inprimis, per *Italiam*, in quâ Ordo cæpit ab ipso Sanctissimo Patre BENED. & eius postmodum discipulis, Regula amplissimè promulgata est.

Per *Siciliam* ab eiusdem discipulo Placido.

De Ordinis verò propagatione in *Sardinia*, & *Dalmatia*, & per totum *Illyricum*, ait Leo Ostien. Chronic. Cassinen. lib. 3. c. 22. & Petrus Diac. lib. 4. c. 82. & in Cathalogo Abbatum Montis Cassini.

De *Gallia* idem Ostien. sic ait. *Per Sanctum Maurum eiusq; discipulos, omnis ordo, & regularis disciplinæ norma, quæ per Sanctissimum BENEDICTVM fuerat constituta, per totam Galliam diffusa ac disseminata est.*

In *Hispaniam* Monasticam Regulam detulerunt, discipuli S. BENEDICTI, ipso adhuc viuente & iubente, circa annum Domini

mini 540. vt colligitur ex Teſtamento S. Maximi Cæſar Auguſtani Epiſcopi, quod tale extat, *Æra, DXXVIII.* [hoc eſt A. C. DXL.] *Sanctia Seueriani Mater, ædificato Monaſterio Monachis, quos S. BENEDICTVS primum miſit in Hiſpaniam, ad S. Petrum Caragdinenſem Toleti moritur, & in eodem Monaſterio conditur.* Et paulò poſt. *Æra D. XLII.* [Anno Chriſti DLIV.] *Athanagildus Rex, in planicie ſuburbij Toletani ædificauit Monaſterium Ordin. S. BENEDICTI, in honorē S. Juliani apud Auernos paſſi, dictum Agallienſe, ab Agallula villa.* Præ cæteris autem, inſtitutum noſtrum per Hiſpaniam magis propagauit S. Æmilianus, qui obijt, circa Annum Domini 574.

In *Germaniam* primus omnium BENEDICTINOS aduocauit S. Diſibodus, vt in eius Vita teſtatur *S. Hildegardis.* Eos verò, mirificè auxit, S. Bonifacius cum ſuis diſcipulis, fundato celebri Fuldenſi Monaſterio, è quo, multis locis, Cænobiorum Præſides, Gentium Apoſtoli, omnium diſciplinarum Magiſtri, prodierunt; à quibus Benedictiniſmus eſt in Varias delatus oras.

Per *Alſatiam*, *Alemaniam*, & *Boiariam* BENEDICTINA Monaſteria fundauit S. Pirminius Monachus BENEDICTINVS; ac deinde Meldenſis Epiſcopus.

In *Hungaria* BENEDICTINAS colonias, è Caſſinate monte, ad Monaſteria conſtruenda S. Stephanus Pannoniæ Rex inuitauit; vt author eſt *Leo Oſtien. lib. 2. Chron. Caſſin. c. 79. & Bonfinius Rerum Hungaricar, lib. 1. Decade 2.*

In *Boëmiam* idem Inſtitutum aduexit S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus 2. qui ex Romano S. Alexij Cænobio, ſex ſecum Fratres deducens, in Brzeunouienſi Monaſterio collocauit. Promouit porrò, maximeq; Inſtitutum illuſtrauit qui ex eodem Cænobio prodijt, *S. Procopius* natione Boëmus.

De Cænobijs *Sueciæ*, *Daniæ* & partium Aquilonarium, legendi, Albertus Krantzius, Ioannes Magnus Gothus Epiſcopus Vpſalenſis; & Helmondus Presbyter, in Chronic. Slauorum.

In *Angliam*, SS. Auguſtinus, Mellitus, alijq; S. Gregorij diſcipuli,

diſcipuli, Regulam Ordinemq; S. BENEDICTI intulerunt, qui mira ibi incrementa accepit.

De *Britannia*, Scotia, & Hibernia, author eſt, Petrus Diaconus, ſub Valentiniano, qui fuit, ſextus Caſſinenſis Abbas, colla ſua, Monaſticæ Regulæ ſubmiſiſſe.

De *Aſia* vero, & partibus vltramarinis, ad quas, propagines ſuas, hæc Sacratiſſima plantatio emiſit, agit Guilielmus Epiſcopus Tyri, *de bello Sacro*, lib. 18. c. 5. Trithem. lib. 3. c. 23. *De viris Illuſtrib. Ord. S. BENED.* & in libro, *de Scriptorib. Eccleſiaſticis*, & alibi, aliquoties. Petrus Diaconus, in Cathalogo Abbatum Montis Caſſini, de S. Oderiſio I. Abbate, ſic loquitur, *Hic; Hiſpaniæ, iterum, Conſtantinopoli, Hieroſolymæ, Illyrico, Ordinem mittit.*

Sed & Cluniacenſes, vſq; ad vallem Ioſaphat, & Sepulchrum Matris Domini N. I. C propagines ſuas extenderunt; obtinueruntq; Monaſterium, quod *Ciuitot.* dicitur, in ſuburbio Ciuitatis Conſtantinopolitanæ, vt habet Chronicon Cluniacenſe.

Penetrarunt etiam BENEDICTINI, inuias Ægypti ſolitudines, vt in vita S. Bononij Abbatis legitur, qui ad perfectiora chariſmata contendens, Ægypti ſolitudinem adijt, in quâ ſanctiſſimè viuens Procerum ac populi in ſe amorem prouocauit, adeò quidem, vt poteſtatem ei facerent, iſtis in locis inſtituendi, quæ ad Religionis reſtaurationem pertinere cenſuiſſet. Quod ille ſedulò perficiens, primùm diruta multis in locis templa reſtaurat: & poſt iactum, hoc virtutum ſuarum quaſi Spirituale fundamentum, Monaſteria deinde plurima reparans, per quæ, cætus Monachorum, diſtribuit, Abbates conſtituit, eoſque, ſecundum à Diuo BENEDICTO præſcriptam Regulam, vitam religiosè traducere iuſſit.

Poſtremò, BENEDICTINAM Regulam, in Occidentales Indias, Regnum videlicet Peruanum ſive Americam, inuexit Buellius, primus Indiarum Archiepiſcopus & Patriarcha, ac Summi Pontificis Vicarius creatus, Anno Chriſti 1493. de quo Indiarum Scri-

Scriptores videndi. Ex hisce porrò luculentissimè patet, per Vniuersum terrarum Orbem, longè latèque, BENEDICTINVM Ordinem esse diffusum.

Quod vlteriùs etiam euidentissimè probari potest, ex Summi Pontificis BENEDICTI XII. Bulla quæ vocatur BENEDICTINA, in quâ Ordinem diuidens in triginta septem Prouincias, integra subinde Regna, vnius Prouinciæ nomine designat. Vt Regna Scotiæ, Poloniæ, Bòëmiæ, Daciæ, Sueciæ, Sardiniæ, Corsicæ, & Cypri. In eadem quoq; partitione, ita vniuersam Europam distribuit, vt nullum in Occidente, Septemtrione, aut Meridie sit Regnum, Prouincia, vel Insula, quæ illa non comprehendatur. Quinimò, & Orientis plurimas Ciuitates, expressit; vt patet in designatione Prouinciæ 27. vbi his verbis vtitur Pontifex. *Prouincia Thebanensis, Athenienſis, Patracensis, Corinthiensis, & Neopacensis, cum toto Patriarchatu Constantinopolitano, habeantur pro vna Prouincia.*

Ex quibus liquet, per Vniuersam Græciam, ipsamq; Syriam, Ordinem Nostrum propagatum fuisse. Et ne vlla loca, in quibus Ordo Noster viguit, ab hac Prouinciarum diuisione exclusa videantur, ita Pontifex eam concludit. *Cæterum si qui Episcopatus, aut si quæ Monasteria vel loca, dicti Ordinis vel Religionis, fuerint, quæ in aliqua dictarum Prouinciarum minimè includantur; quoad prædicta Capitula; de illa Prouincia esse volumus, cui Episcopatus, Monasteria, & loca huiusmodi viciniora existent.*

Iam autem Apostolatum, & prædicationem fidei Catholicæ, per Prouincias Regni Poloniæ, à BENEDICTINIS Monachis olim peracta, vt clariùs valeam demonstrare, & eorum labores, in Sarmatico aruo colendo, insigniter exantlatos, recenti memoriâ consignare; Fundamenta Christianæ Religionis in Polonia [quocunq; tandem Polonia nomine, siue Vandalia, siue Sarmatia, aut Scythia Europæa, siue Septemtrionalis populus, ex veteri Scriptorum & Historicorum dicatur, labio] priùs, obiter attingere, debeo, quo feliciùs, faciliùsq; Scopum propositum præsentis scriptionis contingam.

Opinantur plerique, principia Fidei, circa Annum Dñi 900; apud nos, à Miescone alias Mieciſlao Duce ex Piaſtorum familiâ oriundo, primum exorta fuiſſe. Hic Mieſco, cæcus ab vtero matris, Patri ſuo Zemomiſlao Duci, cùm natus fuiſſet, & iam tonſuræ ſeptimus Annus, gentilibus Solenniter agi conſuetus, aduenisſet, inter conuiuantium epulas, viſum diuinitùs accepit Mieſco: circa quod conſulti arioli, *magnum lumen genti & Regno Polonico in eius diebus adfuturum*, ex hac ſubitâ pueri colluſtratione, ominabantur: nec vana certè prædictio fuit, quam euentus ipſe confirmauit, de quo inferiùs. Interim verò, ſi ad tempora antiquiora reſpiciamus, & rem fidei apud nos referamus, S. Andream Apoſtolum, Scythiam Europæam, cuius appellatione vniuerſus Septemtrio continetur, primùm ex Achaia, Iſtro tranſmiſſo, ingreſſum, reuelatæ, à Chriſto Saluatore Noſtro, veritatis lumen, in has regiones intuliſſe, Chriſtianumq; nomen in Sarmatia Europæa implantaſſe ſcimus. Vt proinde gloriari meritò poſſimus, Religionis Noſtræ authorem nos habere, hunc maximi nominis Apoſtolum, inter Chriſti diſcipulos ſi vocatio ſpectetur primum, germanum Petri, & paſſionis mortiſque, æmulum. Nec planè deerant, per octingentos à Chriſto nato Annos, Viri pij, qui partim ex Græciâ, partim ex Italiâ, Germaniâ, religioſiſſimi & zeloſiſſimi prædicatores progreſſi, fouerent ſementem Euangelij in agro Sarmatico, ſuâq; prædicatione, Poloniam, magnam Ruſſiam, Boëmiam, Saxoniam, Pomeraniam, Boruſſiam, Vandaliam, præceptis & myſterijs Euangelicis imbuerent; maximè, poſteaquam Gregorius Magnus, Eccleſiæ Pontifex Maximus, Ordinis Monachici decus, felicibus auſpicijs, miſſis in Angliam doctis & Sanctis Viris, Auguſtino, & alijs Monachis Inſtituti BENEDICTINI, Anglos, veterum Saxonum [quos Sarmatiæ partem fuiſſe nemo dubitauerit] prolem, ad obſequium Romanæ fidei reduxit, & Edilbertum Regem cum omni familiâ conuertit, Eccleſiaſq; conſtruxit, & per Regnum

Angliæ

Angliæ vniuerſum, Epiſcopatus, & Scholas publicas inſtituit, idq; circa Annum Sexcenteſimum à Chriſti natiuitate. Tantis verò, mox ille Anglicus ager, fidei, Sanctitatis, & Religionis, effloruit incrementis, vt inde orti viri Religioſi, numero plures, zeloq; ſalutis alienæ ardentiſſimi, quorum Sanctitatem Rainerus noſter BENEDICTINVS in ſuo *Anglico Apoſtolatu* extollit, & labores in gentilitate extirpandâ deprædicat, totam Veterem Saxoniam, Boiariam, & quicquid inter Rhenum & mare Balthicum, quicquid nunc Sceptris Polonicis continetur, [vti S. Lubentius, Adaldagus, Bertholdus, Anſgarius, & alij Sancti Monachi, ad prædicandum gentibus Epiſcopi ordinati, partes Septemtrionis docendo peruagati] feliciter Arctoum Orbem, fidei rudimentis imbuerunt. Non equidem eo euentu, vt ſimul tota Regna, ſub iugum pietatis miſerint, ſed magnâ ex parte, homines ſedentes in tenebris, ſole veritatis illuſtrârint. Ab Anno itaq; Chriſti nati 760. viros zelo Euangelico accenſos, genti noſtræ haud defuiſſe, qui ipſa penetralia Vandaliæ [ita appellata eſt propriè, ea pars Sarmatiæ, quam nobiliſſimus fluuius Vandalus mediam ſecat, quæ nunc *Minor Poloniâ* dicitur] penetrarint; quorum labor etſi non infructuoſus fuit, memoria tamen apud nos illorum obſcurior, & niſi Soli DEO, nota nomina. Sed tamen vſq; ad Nongenteſimum Sexageſimum Chriſti Annum, nullus erat, qui publico nomine religionem Chriſtianam palam profiteretur, non quòd ea res Principum edictis vetaretur, ſed quòd nullus eſſet, qui ſtatum Religionis, ad normam Eccleſiæ Catholicæ, formaret, Regibus ipſis, nondum Sacramentis cæleſtibus inbutis. (Quanquam, quis vetat ſuſpicari, Piaſtum agri Cruſuicenſis colonum, ob piam liberalitatem, ex humili genere, ad ſummum Principatus faſtigium euectum, aliquid ex veritatis Euangelicæ lumine hauſiſſe.) Donec prædictus Mieſco, ſiue Miecislaus Monarcha, à Chriſtianis ſuis ſubditis, quorum multi etiam Regni Primores & Senatores, pleriq; in aula Regis miniſtri, erant,

perſuaſus, vt damnato cultu falſorum Deorum Chriſtianus & ipſe fieret, & ſi deſiderata prole, quâ carendo, dolebat, beari vellet, vxorem Chriſtianam Dambroucam Boleſlai Boëmiæ Ducis filiam duceret; quorum ſaluberrimis acquieſcens conſilijs, Dambroucam pientiſsimam fæminam, in matrimonium expetijt, Sacriſq; ipſe baptiſmi ablutus aquis; Vniuerſis, Sacra Chriſtiana ſequi præcepit, facto edicto, ad Martij diem 7. vt idolis confractis, & in lacubus, aut aquis ſubmerſis ſimul & lapidibus ab vtriuſq; ſexûs hominibus obrutis, ſub confiſcatione bonorum, & exterminatione, baptiſarentur cuncti. Ipſe verò, totum ſe amplificandæ Orthodoxæ religioni tradens, ad Ioannem XIII. Pontificem Romanum legatos miſit, qui ſuo nomine illi referrent, ſe & Chriſtianum cum gente ſuâ eſſe, & vt Epiſcopos primos, ab Vrbe Religionis magiſtrâ, mitteret, ſupplicare inſtantius. Meminit huius legationis Baronius Card. ad Annum 960. quâ nimis exhilaratus Potifex, Ægidium Cardinalem Tuſculanum Epiſcopum, ad confirmandum Principem & Proceres Regni, & Statum Eccleſiæ Polonicæ formandum, ſedeſq; & Cathedras Archiepiſcopales, erigendas, Legatum expediuit, inſtructum, non ſolùm ijs monitis & præceptis, quæ tanta res poſcebat, verùm etiam additis ad obeundum tantum munus idoneis Viris, doctis & pijs, qui naſcentem in Polonia Eccleſiam, diſtinctis Diæceſibus gubernarent.

Eodem tempore Genebrardus noſter Monachus Manſarenſis, ſuæ *Chronographiæ lib.* 4. *ad annum Chriſti 960. ex Chronicis Hirſaugienſibus* refert, Legatos Ruſſorum, ab Orthone Magno Romanorum Imperatore, Doctores & Sacerdotes impetraſſe, præcipuè *Adalbardum* cum Socijs Monachis, ex illo Corbeiæ Monaſterio, Viros doctrinâ & Sanctitate inſignes; qui pietatis firma fundamenta apud Ruſſos dum ponerent, propter Græcorum præfractè ad ſe Ruſſos trahentium aduerſa ſtudia, vi ab illis terris eiecti, operam egregiam conuertendo reliquo nauârunt Septemtrioni. Illud verò de Corbeia, ex hac occaſione

dixero,

dixero, vix vllum in Orbe fuiſſe aſceterium, quod plures ſpectatioreſq; in Septemtrionis noſtri conuerſionem Apoſtolos educârit: quorum operâ factum, vt maximè toti Europæ & Imperio Romano formidabiles populi Maiores noſtri, Sanctiſſimæ Matris Romanæ Eccleſiæ filijs accenſi, Imperium metu liberarint: è cuius Monaſterij alueario, Anſgarius, Vimo, Stephanus &c. Pomeranorum, Caſſubiorum, Slauorum, Liuonum &c. Doctores & Apoſtoli progreſſi, iuratos Chriſtianæ Reipublicæ hoſtes, Chriſto ſubegerunt.

Maiores autem noſtros, & gentis Polonæ Parentes, fuiſſe ipſiſsimos Vandalos, ſiue Sarmatas, ſeu Slauos, vel vt crebriùs veteres loquuntur Hiſtorici, Scythas Europæos, de quibus fortè *Horatius lib. 3. Carminum: Ode 24.*

*Campeſtres melius Scythæ*
*Quorum plauſtra vagas ritè trahunt domos,*
*Viuunt & rigidi Getæ,*
*Immutata quibus iugera, liberas*
*Fruges, & Cererem ferunt,*
*Nec cultura placet longior annua.*

hi, vel dilatandorum finium gratiâ, freti viribus & ſuis armis confiſi, vel certè inopiâ ſubacti fulminis inſtar, in Imperium Romanum, in Galliam, Italiam, Hiſpaniam, inuolabant, vt in opulentis illis regionibus meterent, ac molerent, quòd in ſolo patrio, propter culturam feriantem, non liceret. Quot verò & quàm acerbas ediderint ſtrages? quanta miſcuerint incendia? nil Sacri, nil penſi, habentes, modò Europam verterent, Hiſtorici negant ſatis memorari poſſe. Nonulli verò, cauſas alias illarum excurſionum ſtatuunt, Matres ſcilicet Sarmatarũ ſub frigido cælo, fuiſſe fæcundiſsimas præſertim Maſculam prolem generando: hinc vaſtiſſimæ terræ, nomen *Slauoniæ* inditum, quòd laudem ab armis vbiq; haberet, quibus tum incolæ illi de-

illi dediti, ab agricultura, cessantes, migrare alio debebant, cùm multitudinem domi alere non valerent. aliqui putant, asperitate frigoris offensos, è Patria sese eiecisse. Hæc autem ad remota regna illorum migratio, exitio fuit eisdem; namq; quicquid erat roboris, & omni iuuentute domo abductâ propè vacuas sedes relinquentes, ac capti habitudine aliorum locorum, in ijsque summâ potiti rerum, etiam ipsi sensim in alios populos degenerarunt. Vandali tamen, ij populi Slauorum, propriè dicebantur, qui nunc Poloni; à fluuio celebri Vandalo dicti, qui ex montibus Carpatijs, Vngariam à Polonia dirimentibus, ortus, mediam secat Poloniam, & recenti vocabulo Istula vel Visla nuncupatur. Hi postmodum Lechitæ vocitati sunt, à suis Ducibus Lechis siue Lescis, pugnacissimis Viris, qui hoc nomine vocari eligebant, quasi omine quodam ad debellandos alios inuitati. Nunc verò passim iam, Poloni scribuntur, dicunturq;, à campestri planitiè regionum suarum, quæ planities, lingua illorum *Pole* dicitur; illamq; animi vetustam suorum magnitudinem, & innatæ libertatis à maioribus acceptæ in toto conseruandæ, amorem, fortiter præseferunt, hodieq; in toto Septemtrione, Orthodoxam religionem illibatam conseruant, & fortissimè aduersus Orientalium Schismata, se pro domo Dei murum opponendo, protegunt. Et quanquã laudabilis illa consuetudo apud eos intermissa habeatur modo, quæ tempore Casimiri Primi, Monachi, & post Monarchæ inoleuerat, vt dum Sacrum Euangelium in Missarum solennijs puplicè legeretur, Equites Poloni stringerent gladios, ac eos mediotenus euaginarent, in signum parati animi ad Sacri Euangelij, si opus esset armis, defensionem promptè faciendam; nihilominus, ipso facto, Poloni, Ecclesiæ Romanæ & Fidei Catholicæ præsidiarij etiamnum censeri debent, qui contra Moschi Schismata & irruptiones, contra barbariem Scythicam & ferocitatem infidam, contra Othomanica Sanguinaria arma, contra Russicam perfidiam, propriorum obiectu laterum, latus Ecclesiæ tueantur.

Apud

Apud quos, quantum Noſtri laborârint Benedictini, quosuè fructus & commoda, Regno florentiſsimo cum luce Euangelicâ infudêrint, quâm fortunati & vtiles extiterint, Sancti Adalberti, Caſimiri, Aarones, Gaudentij, Benedicti &c. ex inſpectione & lectione actuum eorundem, hîc ſummariè contentorum, quiſq; commodè perſpicere poterit: illudq; intelliget, Maiores Ordinis noſtri, apud omnem Lechi poſteritatem egregijs factis, immortalem animorum gratitudinem æternùm promeruiſſe. Et hæc quidem, de VINEÆ BENEDICTINÆ, per diuerſa Regna & tractus terrarum ampliſsimos, fæcundâ propagatione, in præſenti ſufficiant; de quâ, Prophetæ Regis, effatum dici poteſt *Pſal. 79. Plantaſti radices eius & impleuit terrã, operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei; extendit palmites ſuos vſq; ad mare, & vſq; ad flumen propagines eius.*

Ab hac autem Benedicti Vinea, per Europam, Aſiam, Africam, & apud Antipodas plantata & dilatata, quot amæni flores? quot prægrandes & frugiferæ in Eccleſia Dei arbores? quot ſegetes animarumq; viatica? à BENEDICTI fonte, quot riuuli, quot flumina emerſêre? recenſere, non eſt facile. Namq;, vt à Summis Orbis & Romanis Pontificibus, initium faciam, paucoſq; noſtrorum, qui grandi numero, ſeptingentis ferè annis Petri inſederunt Cathedram, [ centum triginta & vnum, pleroſq; è Romanis, Lateranenſi, Vaticanis tribus, alijſq; Vrbis Cænobijs aſſumptos, numerat ex Ordine noſtro Pontifices Maximos, Caiêtanus Abbas ] obiter attingam; monendum tantisper æquum cenſeo lectorem: Habuiſſe iam plurima ante natalem Sanctiſsimi legislatoris noſtri annum, Occidentẽ Monaſteria, Monachoſue diuerſis ſub Regulis, ſuomet nonnullos ductu arbitrioq; viuentes; quorum plurimi Hiberniam, Scotiam, Galliam, Italiam, inprimiſq; Orbis noſtri caput Romam incoluêre, eorum omnium *Reformator* Inſtitutorq; publicis Eccleſiæ Tabulis BENEDICTVS appellari ac celebrari meruit, *multorum millium perfectorum Monachorum* in viuis etiamnum agens

*Pater effectus*, cuius ob admirabilem vitæ Sanctitatem & stupendam prodigiorum multitudinem, cùm toto Orbe fama percrebresceret, Romam latere non potuit, ad quam, à diuersis Pontificibus euocatus, plurima, eorundem operâ, cùm noua instituens, tum vetera Monasteria reformans, *Hormisdâ* Papâ Lateranensi Archisterio septennium præsedit, ab eodem Sanctissimo Pontifice, summâ in veneratione habitus; cuius, & *Felicis*, nec non *Bonifacij II.* temporibus, tantis incrementis, Magni Patriarchæ Nostri Institutum inualuit, *vt Romæ tunc*, verba Raulini celeberrimi Parisiensium Doctoris sunt, *vigente cælestis Patriæ desiderio, omnes Ecclesiæ Titulatæ atq; Collegiatæ, Monachales factæ sint*; è quibus ingens deinceps Romanorum Pontificum copia, è Lateranensi maximè cohors tota, summo cum vniuersæ Ecclesiæ emolumento, prodijt, qui diuersissimis sæculis, grauissimis ijsdemq; æternis meritis, & Vrbem & Orbem, ac diuersa Christiana & Catholica Regna, sibi, Sanctissimoq; Ordini obstrinxerunt. Quorum breuem ex opere Doctissimi Gabrielis Bucellini Nostri, Theologi & Historiographi clarissimi, excerptum subijcio Syllabum, nominatenus Summorum Pontificum, qui ex Ordine Sanctissimi Patriarchæ Benedicti prodierunt, continentem.

| | | |
|---|---|---|
| 1. | *S. Siluerius Papa & Monachus.* | |
| 2. | *S. Benedictus* - - - | *I.* |
| 3. | *S. Pelagius* - - - | *II.* |
| 4. | *S. Gregorius Magnus.* | |
| 5. | *S. Bonifacius* - - | *IV.* |
| 6. | *S. Bonifacius* - - - | *V.* |
| 7. | *S. Adeodatus.* | |
| 8. | *S. Agatho.* | |
| 9. | *S. Leo* - - - - - | *II.* |
| 10. | *S. Benedictus* - - - | *II.* |
| 11. | *S. Sergius* - - - - | *I.* |
| 12. | *Ioannes* - - - - | *VI.* |
| 13. | *S. Gregorius* - - - | *II.* |
| 14. | *S. Gregorius* - - - | *III.* |
| 15. | *S. Zacharias* | |
| 16. | *Stephanus* - - - | *II.* |
| 17. | *S. Stephanus* - - - | *III.* |
| 18. | *S. Stephanus* - - - | *IV.* |
| 19. | *S. Leo* - - - - - | *III.* |
| 20. | *S. Stephanus* . - - | *V.* |
| 21. | *S. Paschalis* - - - | *I.* |

22. S. Va-

| | | | |
|---|---|---|---|
| 22. S. Valentinus | | 39. S. Gelasius | II. |
| 23. S. Gregorius | IV. | 40. Callistus | II. |
| 24. S. Leo | IV | 41. Innocentius | II. |
| 25. Joannes | IX. | 42. B. Eugenius | III. |
| 26. B Leo | V. | 43. Anastasius | IV. |
| 27. Stephanus | VIII. | 44. Hadrianus | IV. |
| 28. S. Gregorius | V. | 45. Alexander | III. |
| 29. Siluester | II. | 46. S. Gregorius | VIII. |
| 30. S. Sergius | IV. | 47. B. Gregorius | IX. |
| 31. Joannes | XIX. | 48. B. Innocentius | IV. |
| 32. S. Gregorius | VI. | 49. Alexander | IV. |
| 33. S. Leo | IX. | 50. Vrbanus | IV. |
| 34. S. Stephanus | IX. | 51. S. Cœlestinus | V. |
| 35. S. Gregorius | VII. | 52. B Benedictus | XII. |
| 36. S. Victor | III. | 53. Clemens | VI. |
| 37. B. Vrbanus | II. | 54. B. Vrbanus | V. |
| 38. S. Paschalis | II. | 55. Gregorius | XII. |

Et hos quidem, (pluribus alijs prætermissis) Pontifices Romanos ex Ordine nostro assumptos, *Bucellin. in Aquila retulit* quorum Vitæ Monasticæ in cucullo BENEDICTINO modum peractæ, locumq; Monasterij & professionis, secundum Regulam S. BENEDICTI factæ, expressit, & testimonijs virorum grauissimorum firmauit, atq; de Orbe Christiano eorundem ingentia merita, stylo eleganti & prolixo descripsit.

Pontificibus verò, eos subijcio, qui in vniuersalis Ecclesiæ regimine, ijsdem dati sunt cooperatores S. R. E. Cardinales, quorum numerus ab Historicis probatæ fidei, vltra 600. asseritur; qui omnes, prius collobijs Monasticis amicti fuêre, quam purpurâ induerentur.

Archiepiscopos porrò, mille sexcentos ex nostris fuisse, prodidit olim, Trithem. Sabellicus, Volateran. Genebrard. & alij fide digni. Bugianus autem, & Constant Caietanus, septem

 millia

millia Archiepiſcoporum ex Ordine BENEDICTINO prodijſſe affirmant.

Epiſcopos, quatuor millia, ſupradictis authoribus aſſerentibus. At Bugiano, decem millia ſunt. Neq; id incredibile; cùm etiam hocce præſenti tempore in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Hiſpaniâ, multi Illuſtriſſimi Epiſcopi ex noſtris aſſumpti vixerint, Anton. Perez, De la Zerda, Caramuel, & alij complures qui ſcriptis ſuis Orbem literarium illuſtrârunt.

Habuit quoq; Ordo noſter Abbates eruditione & libris celebres, quindecim millia & ſeptingentos; quod ipſum quoque, de veteribus ſolùmmodo dictum eſſe videtur, cùm iſtà etiam temporis intercapedine vt plurimum per Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, Galliam, Boëmiam, Doctiſſimi & ſcriptis clari, Abbates præficiantur. Abbatiarum autem Ordinis Noſtri numerum copioſiſſimum eſſe nouimus, pleriſq; affirmantibus per vniuerſum Orbem eſſe Abbates BENEDICTINORVM 15107. Trithemius verò affirmat & Sabellicus Ænnead. 8. lib. 2. olim fuiſſe Abbatias Ord. S. BENED. 33000, præter Capellas & Præpoſituras quarum multitudinem 4000. aliqui numerabant.

Quis verò multitudinem Sanctorum Ord. S. BENED. vel ſolo etiam nomine valeat enumerare? Quorum tantus fertur â Platinâ in Martino V. Pontif. numerus, vt ſecundum computum in Conſtantienſi Concilio factum 35449. iuxta Petrum Meſſiam Hiſpanum 37000. & iuxta Petrum Calzolarium è Bugiano caſtello Hetruriæ, millenarium quinquageſimum excedere feratur? quod ſi alicui hæc multitudo incredibilis videatur, ſolius Caſſinenſis Monaſterij Sanctos intueatur, & habebit vnde deſinat admirari. Fuerunt enim Sacratiſſimi illius Cænobij Sancti, in numerum Sanctorum relati 5555. idq; comprobatum ſe fatetur inueniſſe, Caſſini, D. Arnold. Wion, in quodam libro veteri M. S. Cameræ R. P. Abbatis Caſsinen: deputato, in quo ſic legitur. *Sancti Monachi ſub Regula S. P. N. BENEDICTI, canonizati ſunt numero, quadraginta quatuor millia & viginti duo; quorum*

*rum quinq; millia quingenti quinquaginta quinq; fuerunt Monachi Sacri Monasterij Cassinensis, ibidemq; sepulti.*

Et certè, si Martyres tantum illius Monasterij consideremus, qui diuersis temporibus à Saracenis & paganis pro Christi Nomine sanguinem suum fundere non dubitârunt; eos autem præcipuè, qui sub S. Berthario Abbate Martyrio sunt coronati, quorum infinitum numerum solius Dei notitiâ comprehendi, Author Vitæ ipsius S. Berthatij testatur, prædictum 5555. numerum non solùm reperiemus, verùm etiam longè supergredi. Quod si Monasterium illud solùm, tot Sanctos Monachos protulit, cætera Monasteria, (quæ numerum quindecim millium, absq; Præposituris & Sanctimonialium Monasterijs, attigisse refert Ioan. Trith. *lib. 1. c. 2. de Viris illustr. Ord. S. BENED.* quem etiam audet duplicare Arnold. Wion sub initium libri 3. Ligni Vitæ,) nullos peperisse arbitrabimur? nequaquam. Quis enim non legit, Monachos, nôngentos, in Benchorensi cænobio, à Pictis occisos fuisse? alios item, nongentos à Danis in Gemmeticensi? mille & ampliùs iterum à Danis in Anglia cum S. Leofrona Abbatissa? Turonis, à Normannis, centum & sedecim? Floriaci, Sexaginta? Messanæ in Sicilia vsq; tertiò à pyratis? Lerini, ab infidelibus? in S. Vincentio propè Vulturnum à Saracenis? Nonantulæ ab Vngaris? in Montis calui Monasterio, Regni Polon. & Copriunicensi alio, à Tartaris? & alijs in Cænobijs, tam virorum quam mulierum infinitos ferè per Martyrij gloriam ad cœlum euolasse? quibus si coniunguntur, Summi Pontifices, Archiepiscopi, Abbates, Monachi, Sanctimoniales & Conuersi, in numerum Sanctorum, sub Confessorum nomine, relati, & in vnum si conferantur, maiorem fortassis numerum efficient, quàm qui ab Historicis adfertur. Sed istis lubens supersedeo; dum tamen animaduertant omnes, clarissimeq; perspiciant, Sanctam Dei Ecclesiam, per diuersa tempora, tale robur & incrementum à BENEDICTINIS Monachis semper accepisse, vt meritò quidam, ætatis nostræ Scriptor

eximius, dicere non dubitârit. Poſt Sacratiſſima & Sanctiſſima Eccleſiæ Sacramenta, nihil ita in Eccleſiâ vtile fuiſſe, ac Sanctorum Monachorum BENEDICTINORVM Ordines & Inſtituta.

Præterquã enim, quòd Sacerrimus hic Ordo, Tres Imperatores, vndecim Imperatrices, viginti duos maximos & ſtrenuos Reges, vnam & quadraginta Reginas, infinitoſq; Principes viros ac fœminas, ſuis Sacratis lacernis atq; collobijs veſtiuit, peplisq; & flammeis obnupſit. Nonne partes terræ penetrauit inferiores? Antipodas adijt, Americæ Peruanæ dedit Apoſtolos, & novi Orbis atq; Indiarum Proto-Patriarcham è Mon-Serratenſibus viſceribus peperit? nunquid vniuerſum pænè Septemtrionem, atq; adeò plures Europæ partes, retibus Euangelicis concluſit? & vt alia ſileam, nonne, ſicut cælum Sanctis, ita libris & Scriptis mundum, Eccleſiam optimis moribus, varijs & perutilibus inſtitutis, abundè repleuit, locupletauit, propagauit. Hiſtoriarum omnium ſit ignarus, qui non paſſim agnouerit, quantum ab initio Ordinis, ad hoc vſq; noſtræ tempeſtatis ſæculum, Doctrinâ & Sanctitate BENEDICTINVS Ordo radiârit. Teſtis locuples S. Mater Eccleſia, vbiq; terrarum, ex filiorum ſuorum BENEDICTINORVM ſuſtentata fructibus & ornata: Teſtes & hæreſon, tam præteritarum quam præſentium authores, ita Sanctorum Monachorum, ſanâ, Catholicâ, & irrefragabili doctrinâ victi & attriti, vt mutire vix audeant: Teſtes & Hiſtoriarum Scriptores, qui Doctorum BENEDICTINORVM nominibus ſcripta ſua non modicum illuſtrârunt.

Nec mirùm, ſi tot præclaros Viros Ordo protulit, *cùm tum temporis*, vt diffusè narrant Trithem. in Chron. Hirſaug. pluribus locis *& lib. 1. Cap. 6. & 7. de Viris illuſtr. Ord. S. Ben.* D. Gaſpar Bruſchius Egranus Poeta Laureatus ac Comes Palatinus in Chronologia præcipuorum ac maximè illuſtrium Germaniæ Monaſteriorum; & Gonſaluus de Illeſcas Monachus & Abbas S. Fromes, Hiſpanus, Hiſtoriæ ſuæ Pontificiæ & Catholicæ *lib. 4. omnia Cœnobia eſſent Gymnaſia, & omnia Gymnaſia, Cœnobia*: nuſ-

quam

quam enim eo tempore per Germaniam, Galliam, Italiam, & Angliam instituta fuerant literarum Gymnasia, imò & aliquot post Sæculis Academiæ vel Vniuersitatis nomen illustre, in omni ferè Occidentis imperio, fuerat compertum. Præter enim Romanum vetustissimum & Parisiense ac Papiense, tunc noua, vt potè Caroli Magni & successorum eius iussu, ope, & authoritate fundata, in quibus primi Benedictini Monachi fuêre Professores, nullum in Historijs aliud vniuersale legimus extitisse studium. Habuit ergo BENEDICTINA Religio, in quo gloriari possit, & verè debeat, citra alterius iniuriam: habuit in omni ætate, suos Marones, Homeros, & Cicerones, etiamsi defuerint illis Mæcenates: habuit & suas Bibliothecas loquentes, atq; vt ita dicam Apes aureas: habuit & in arcanis Sacrosanctæ TRINITATIS enodandis, & Diuinitatis ineffabilibus Sacramentis elucidandis suos Augustinos & Hieronymos, ita vt verè de illâ dici possit, in eâ, illam disciplinarum pænè omniũ fuisse intelligentiam, quam, olim in Catone Cicero ipse ingenuè agnoscebat. Quod eò magis in illâ admirandum est, quoniam veteres illi Monachi de industriâ sese à literis remouebant, quò se totos in vnâ rerum cælestium contemplatione abderent; vt de S. Benedicto narrat S. Gregorius. Sed tamen, neque illo tempore, neque vnquam defuêre in eâ eruditi.

Et vt quasi cursim, omnem BENEDICTINÆ Religionis ætatem, ab initio inspiciamus, vt tantùm eorum multitudinem & copiam videamus, qui in Doctrinarum studijs magni fuerunt; inter innumeros multisciâ eruditione probè instructos Monachos, præ cæteris, ( de antiquioribus sermo potissimùm, recentiora namq; contrectare, ad multorum offensionem vitandam, subueremur nonnihil) excelluerunt, S. ANSELMVS ex Abbate Beccensi in Normania Cantuariensis Archiepisc. in quo inuenies & demiraberis candorem. in *Alcuino* soliditatem, qui primum Cænobij S. Petri, Londini, Congregationis Giribennæ, Fuldensis, Monachus; deinde operâ Caroli Magni Imper,

Imper. Abbas Cænobij S. Martini apud Turonenses. In *Berthorio* 19. Generali Abbate Ord. S. Bened. simplicitatem. In *Rabano*, VI Archiepiscopo Moguntino, IV. Abbate Fuldensi, ingenium, dicit *Sigebertus* diligenter; *Marianus Scotus* leniter; apertè narrat *Hermannus Contractus*; eloquitur grauiter *Guntherus Ligurinus* Sanctamandinus Elnonensis Monachus; appositè *Ioan. Baptista Folengius* Mantuanus; *Isidorus Clarius*, Abbas S. MARIÆ Celennæ luculenter, scitè *Nicolaus Tudeschius Catanensis*, appellatione communi dictus *Abbas Panormitanus*: apertè, acutè, & nitidè, *Gregorius Cortesius Mutinensis* S. R. E. Cardinalis Presbyter: Philosophicè *Ioachimus Perionius* Monasterij D. Pauli propè Cameriacum Monachus, cuius incude expolitâ, iam purè loqui didicit Philosophia. Quid de *Hieronymo Laureto Ceruariensi* Hispano Abbate Cænobij S. Felicis Guixolensis, Congregationis Montisserrati, qui tot singularia laboriosè in sua SYLVA in vnum coniecit? Quid de *B. Petro Damiani* Card? Quid de *Lanfranco*? quid de illo *Venerabili Beda*, qui alter Ptolomæus in Cosmographia, alter Albitius in Astrologia, alter Cicero in arte dicendi, alter Bias in Philosophia, alter Liuius in historia, dici potest? Ex quibus profectò, vel obiter tantùm perstrictis, clariùs meridianâ luce cunctis euadit, S. Patriarcham Benedictum innumerorum pænè Sanctissimorum atque etiam Doctissimorum Patrum, fæcundissimum fuisse propagatorem; Quorum omnium, copiosam adeò multitudinem, veteres ac recentiores historiæ, nobis ingerunt, vt necesse non fuerit, ei quos non genuit, alienos partus supponere.

Sed vt, in vnius quasi aspectu tabulæ, vniuersa de Orbe Catholico merita Ordinis nostri proponam, isto duodenario numero ea comprehendo; nimirum, quòd Sacratissima Religio Nostra fuerit.

1. *In vniuersalis Ecclesiæ regimine admirabilis.*
2. *In particularium Ecclesiarũ & Diœcesum gubernatione solicita.*
3. *In gentilium conuersione infatigabilis.*

4. In Ha-

4. *In Hæresum oppugnatione & extirpatione inuicta.*
5. *In Schismaticorum ad Ecclesiam reductione, pacifica.*
6. *In Scholarum & Academiarum erectione, vtilis.*
7. *In Sacræ Scripturæ interpretatione assidua.*
8. *In Iuris Canonici collectione fidelis.*
9. *In Historiarum & veterum monumentorum conseruatione incorrupta.*
10. *In Deiparæ Virginis cultûs propagatione pia.*
11. *In Ceremoniarum ac Rituum SS. Missæ Sacrificij & Diuini officij, ac Festorum institutione deuota.*
12. *In Vtilium rerum adinuentione, ac disciplinarum illustratione ingeniosa.*

# AQVILÆ POLONO-BENEDICTINÆ PECTVS.

*Et pectus & adipes qui cremantur in altari, eleuauerunt coram Domino.* Leuit. 10. 15.

*Beatorum, & aliarum Ordinis Benedictini illustrium in Regno Poloniæ Personarum, Vitas & Elogia, Operis huius, & laudis publicæ præcipuam materiam continet: quemadmodum, pectus Aquilæ, pars anterior, valida, & ossibus compacta, ac in modum carinæ adfrangenda obsistentia facta, primariam viuentis partem Cor, quod est Sedes animæ, intra sui concauum habet.*

## CALENDARIVM

Mensium Ordine digestum, in quo, illustriores, certis diebus Personæ assignantur.

### IANVARIVS.

2. *B. Benedicti Monachi & Martyris, Plociæ in Masouia.*

28 *Ven. Annæ Toschel Abbatissæ Rigensis.*

### FEBRVARIVS.

2. *B. Vincentij Kadlubconis Episcopi & Confessoris.*

23 *B. Nicolai Poloni Monachi & Prioris Genuensis.*

24. *V. Magdalenæ Mortesca Abbatissæ Culmensis.*

### MARTIVS.

1. *S. Albini Episcopi & Confessoris, Patroni Regni Poloniæ.*

*9. SS. Cy:*

9. *SS. Cyrilli & Methodij Patronorum Reg. Pol.*
16. *B. Gertrudis, Virg. Abbatissæ Trebnicensis.*
17. *S. Gertrudis Virg. Niuigellensis Abbatissæ, Patr. Reg. Pol.*

APRILIS.

11. *V. Boleslai Audacis, Regis Pol. post Monachi Ossiacensis.*
23. *S. Adalberti Archiepisc. Gnesnensis & Martyris.*

MAIVS.

7. *V. Gertrudis Ducissæ Poloniæ, monialis Zuifaltensis.*
8. *S. Stanislai Episc. Cracouien. voto nostri.*
14. *V. Hieronymi Camaldulensis, Lithuaniæ Prædicatoris.*
21. *V. Vlodimiri Monachi Tynecensis, ex Duce Osuecimensi.*
29. *B. Gaudentij Archiepisc. Gnesnensis.*

IVNIVS.

1. *V. Bernardi, Monachi Lubinensis.*
2. *Commemoratio Monachorum Copriunicensium, à Scythis occisorum.*
10. *B. Bogumili Archiepisc. Gnesnensis.*
13. *V. Nicolai Abbatis Andreouiensis.*
16. *S. Bennonis Episcopi, Patroni Regni Poloniæ.*
19. *S. Bonifacij Apostoli Russiæ & Martyris.*

IVLIVS.

2. *S. Otthonis Episcopi, Pomeraniæ Apostoli & de Polonia meritissimi.*
8. *Ven. Benedictæ Virginis & monialis Trebnicensis.*
16. *SS. Andreæ Zoerardi Confess. & Benedicti Martyris, Polonorum & Monachorum.*
17. *B. Stanislai Abbatis Sanctæ Crucis & 32. Monachorum, passio.*

AVGVSTVS.

14. *S. Maynardi Episcopi, Liuoniæ Doctoris & Apostoli.*
29. *B. Aleydis, Monialis Trebnicensis.*

SEPTEMBER.

1. *Translatio S. Heduigis.*
17. *B. Casimiri Abbatis Oliuensis.*

18. *V. Annæ Jagellonia Viduæ monialis Ord. S. Bened.*

## OCTOBER.

9 *B Aaronis primi Abbatis Tynecensis, & Achiepiscopi Cracouiensis septimi.*

15 *S. Heduigis.*

16. *S. Brunonis Episcopi Ruthenorum.*

20. *Translatio S. Adalberti Archiepisc. Gnesnensis.*

21. *S. Bertholdi Episcopi qui Liuonibus prædicauit.*

30. *B. Vladislai Conuersi.*

## NOVEMBER.

2 *Commemoratio Defunctorum, per B. Aaronem Archiepiscopum Cracouien. discipulum olim S. Odilonis, instituta per Poloniam.*

12. *SS. Quinq; Monachorũ Martyrum, & S. Barnabæ Confess.*

28. *B. Casimiri primi Regis Pol.*

## DECEMBER.

10. *V. Sbignei Abbatis Claræ tumbæ, & Monachorum eius passio.*

14. *B. Visennæ Abbatissæ Staniotecensis.*

---

# *MENSIS* IANVARIVS.

2. Ian. *IV. Nonas Ianuarij.*

IN *Polonia, B. Benedicti Monachi Benedictini ac Martyris.* Is eximiâ vitæ Sanctitate insignis, *Beati Verneri Episcopi Plocensis Confessarius,* à Bieniassio, Bolestæ Visnensis Castellani, fratre, cum *Beato Vernero Episcopo,* obtruncatus, Plociæ in Masouiâ, Anno Domini 1170. sepelitur. *Quorum Beatorum Historiam ex Martino Cromero lib. 6. sub Boleslao Crispo Polonorum Monarcha apponere visum est, qui sic habet.* Præerat tunc 14. Annum Plocensi Ecclesiæ Vernerus Equestri Rosarum familiâ, integritate & sanctimoniâ vitæ cla-

fæ clarus, & eleganter eruditus; ei per vim & iniuriam, Bolesta vir potens & violentus, [ ex ea familiâ ortus, quæ soleam equi cum cruce altrinsecus superpositâ insigne gerit ] *Karscum* pagum ademerat. Erat autem is Castellanus Visnensis, & oram illam Prussis finitimam pro Boleslao Crispo administrabat: Eum igitur comiter ac blandè *Vernerus*, per se, & Amicos, orat & admonet, nè vim faciat Ecclesiæ, vbi nil proficit in ius vocat, causam obtinet, in possessionem reponitur : molestè id ferebat Bolesta, multaq; maledicta in mansuetissimum Episcopum ingerebat, eiq; demum necem machinari cæpit. Erat ei cum vicinis Prussis non modica consuetudo, qui cum ad eum non pauci, vel ius petituri, vel compotaturi conuenissent, acceptos lautè & benè potos, promissis etiam oneratos, noctu ad obtruncandum *Vernerum*, qui tunc fortè ad Biskupice villam venerat, cum *Bieniassio* fratre suo misit; Peragunt illi iussa, effractisq; portis, in cubiculo dormientem Episcopum, cum *Fratre Benedicto* Monacho BENEDICTINÆ Regulæ trucidant; Delituerat per eum tumultum, sub lecto Episcopi, puer Cubicularius, is igitur Authores sceleris prodit. Re cognitâ Archiepiscopus Gnesnensis *Petrus* familiâ *Srenianius* qui *Janico* non multo ante successerat, de consilio & voluntate cæterorum Episcoporum toti Prouinciæ sacris interdixit. Motus & atrocitate facinoris, & interdicto Archiepiscopi Boleslaus Princeps, comprehendi Bolestam, & ex vinculis causam dicere apud se, condemnatumq; in foro Gnesnensi, [ vbi hæc agebantur ] extructo rogo cremari iussit. Bieniassius vero post patratum illud scelus, nusquam postea comparuit, creditumq; est vulgo, eum terræ hiatu absorptum, meritum Sanctis supplicium expendisse. Quorum Corpora *Ploscum* delata, honorificè sepulta sunt. Nec ita multo post, varijs & salutiferis generi hominum miraculis cæpit sepulchrum celebrari. *Testatur de præmissis, & Matthias de Miechow sub Anno Domini* 1170. *die* 4. *Februarij, Beatum Vernerum, sic è viuis excessisse, vt latius apud eundem patet in Chronicis Regni Poloniæ lib. 3. cap. 20.* Hoc

 idem

idem confirmat Illuſtriſſimus *Staniſlaus Lubienius Epiſcopus Plocenſis*, in ſua *Serie Epiſcoporum Plocenſium*, vbi de B. Vernero, poſt prædicta, hæc addit. Moris erat Vernero, ab eo tempore quo Epiſcopatum Plocenſem ſuſcepit, vt ad cuſtodiam earum virtutum, quibus egregiè ornatus fuit, ſemper teſtes vitæ ſuæ, viros probatos & Religioſos adhiberet, eorumq; contubernio vteretur, vt & ad eorum exemplum, vitæ ſuæ ſtatum formaret, & conuerſatione eorum in meliorem virum euaderet, hi cum eo in eodem dormitorio cubare ſoliti erant, his ſolis conſcijs, Sanctus Epiſcopus cilicio & virgâ corpus affligebat, caſtigabatq; & non ſolum his exercitijs, verum etiam frequentibus ieiunijs, eo adigebat, vt ſpiritui ſeruiret; deuotus erat, & religioni, pietatiq; addictus; pijs operibus, & potiſſimum piæ in egenos largitioni deditus, idem tamen bonorum Eccleſiæ adſcriptorum, defenſor acerrimus. Parricidij eius dies, adnotatur pridie Idus Februarij, Anno Domini 1172. vt mirum meritò haberi debeat, inter *Verneri & S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi* ab Henrico Angliæ Rege cæſi Martyrium, triginta & octo dies, tantum interceſsiſſe; credas eos pari fulſiſſe Sanctitate, par quoq; in cælis præmium conſecutos eſſe, illud ſanè dolendum, quod hactenùs ignoratur, ſepulchrum, &c. *Hæc Lubienius in Vitis Epiſcoporum Plocenſium, vti ſuorum Anteceſſorum appoſuit.* Menologium autem BENEDICTINVM, de præfato Martyre BENEDICTO, Ord. Noſtri, ſecundâ Ianuarij agit: Similiter & in Cathalogo Patronorum Regni Poloniæ, Matthias Vbyſzewſki Anno Domini 1608. edito ſcripſit.

28. Ian. *V. Calendas Februarij.*

Rigæ in Liuonia, Commemoratio Venerabilis fæminæ, Annæ Toſchel, eiuſdem loci, Ordinis BENEDICTINI, Abbatiſſæ lectiſſimæ, quæ admirandâ ſane conſtantiâ, fide, & patientiâ, cælo terriſq; ſe probans, inter iuratiſſimos Romanæ fidei hoſtes,

DEO

DEO promiſſam virginitatem conſtantiſſimè ſeruans inuiolatam, innumeris tribulationibus exercita, exemplar ſolidioris patientiæ, pluſquam virile vniuerſis exhibuit, inſuperabilis inter tot Cerberos infernales animi magnanimitate, quæ cum triumpharet de omnibus inſultantibus, à nemine triumphata, plena dierum, à Diuino proculdubio ſpiritu, & Sancto zelo vegetata, Anno demum *Ætatis ſuæ Centeſimo ac Trigeſimo* ſubactis per Stephanum Poloniæ Regem Rigenſibus hæreticis, læta plurimum ſucceſſu Regio, & Catholicorum reſiduorum liberatione, ad requiem & præmia vocata, iuuentute aquilæ renouari meruit; adſcripta feliciſſimè æternitati, Anno Chriſti 1582. Eius vita Ingolſtadij typis vulgata: *Cuius quoq; meminit Conſtan: Ceietan: Marcheſius & Chronicon Polonicum Ord. S. Benedicti.*

## *MENSIS*
# FEBRVARIVS.

### *IV. Nonas Februarij.* 2. Febr.

IN *Polonia B. Vincentij Kadłubconis Epiſcopi & Confeſſoris.* Vincentius cognomento Kadłubek Natione Polonus, Parentes & genere & opibus præſtantes habuit. Is ad Cracouienſem poſtea celeberrimã euectus Cathedram, Magnifici & liberaliſſimi Principis exemplum ſucceſſoribus reliquit, & Eccleſiæ atq; vniuerſo Canonicorum Collegio præclarè conſulens, multa de ſuo contulit, inq; diſtributiones vt vocant quotidianas, decimas quaſdam addixit. Pontificatu demum decem Annis egregie geſto, coram omnibus in Capitulo, vt vocant congregatis, Mitram, annulum, & ſandalia deponens, fruſtra aduerſante Principe, & deprecante Clero, in Andreouienſi Cænobio cucullum indutus, admirandis virtutibus celebris, relictis nonnullis ſcitiſſimi ingenij, doctiſſimis Monumentis, feliciter in Domino obdormiuit. Anno Dñi. 1229. *Abrahamus Bzou. Herb. Cromer. Copiosè de illo.*

Non ita

Non ita verò pridem, Simon Starouolscius de Vita & Miraculis eiusdem B. Vincentij longiori scriptò tractauit.

## 23. Febr. *VII. Kalendas Martij.*

*GEnuæ in Cænobio S. Nicolai de Buscheto, Depositio Beati Nicolai Prioris, miraculis clari.* Hic Natione Polonus, Nobilis & doctus, ac exemplaris, in Italiam transiens, Patauij, habitum Regularem in Cænobio S. Iustinæ susceperat: cui initio conuersionis Sacristiam vt vocamus curanti, Christus eâ quâ cum discipulis conuersabatur formâ, apparere dignatus est, rarâ omninò gratiâ & exemplo memorabili, eâdem quâ Apostolos olim suos voce vocans, *Nicolaè sequere me.* Neq; multo post missus ad D. Gregorij Maioris Monasterium Venetias, Seruatorem denuò in Hostiâ Sacratissimâ dum Sacris operaretur intueri meruit. Ad S. Nicolai de Buscheto Genuam destinatus, Triginta quatuor ferè annis ibidem substitit, insigni prodigiorum gloriâ à DEO honoratus. Obsessum à dæmone illicò liberauit, de quo sæpius triumphos insignes retulit. Ab eo ex Capituli loco in dormitorium aliquando asportatus, vt inde præceps ageretur, præsidio quamprimùm Cælestes spiritus habuit, duplici choro distributos, & suauiter occinentes. *Nicolae oramus pro te.* Quorum contuitu aliquandiu recreatus est. Prior eiusdem Monasterij constitutus, impatiens honoris, cum triennium totum sollicitè admodum, Patres eo munere absolui rogasset, nec impetrasset, vndecim millia Pater & Aue, DEO ac Deiparæ eam ipsam ob causam offerens, miraculosè absolutus est. Charitate, humilitate, & obedientia mirè excelluit: verè doctus abundare & penuriam pati, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus &c. Mortuus felicissimè in eodem Monasterio de Buscheto Anno Dñi 1456. suprema verba hæc elocutus. *Diem hominis nunquam desideraui.* Miraculis deinceps celeberrimis commendatus, tantis quidem, vt solo etiam vestimentorum conta-

contactu infirmi innumeri, & rariore exemplo à mente etiam alienati, prodigiosissimè curarentur. *Historiam vitæ eius Petrus de Bugiano Italus, Prior Sancti Pauli, Ordinis S. Benedicti, & Julius Genuen. latissimè, demum & Menolog Bened. ad diem 23. Febr. consignarunt.* In Cathalogo quoq; Patronorum Regni Polon. à Matthia Vbyszowski recensetur, & in Historia BENEDICTINA Polonica copiosè de eo lib. 8. Anno 1456. agitur.

## *VI. Calendas Martij.* 24. Febr.

IN Monasterio Culmensi, Deuotæ Christi famulæ Magdalenæ Mortesca Abbatissæ prædicti Cænobij, Ordinis Diui P. N. BENEDICTI, pientissima obdormitio. Hæc illustris genere, illustrior virtute, Parentum minis à Christo & claustro diu deterrita, ostendit generosè, etiam nostro sæculo, regnum cælorum vim pati. Monasterium Culmæ ingressa, dominari noluit nisi sibi, vt verò sibi dominaretur obedire didicit: cumq; sciret perfectè subesse, præesse coacta est, & Abbatissa facta, in regimine primùm habuit, indignari virtuti suæ quod non latuisset, alterũ, cum latere non posset velle lucere. Culma, tunc primum felix omnib⁹ visa est, cum eiusmodi culmus succreuit in eâ, ex quo pasta, per quem est prouidè tecta. Vt vero suum asceteriũ Antistes Magdalena Tabernaculum Dei efficeret, noua in eo fecit omnia, vtq; cælestis institutionis germina, alijs communicaret, quinque Monasteria Virginũ in diuersis erexit locis, in quæ, exactæ probitatis virgunculas de suis introduxit. Atq; vt Hæreticorũ vicina frangeret odia, Societatẽ IESV Torunij fundauit. Verè in tota vita sua Sanctissima pijssimaq; Virago, verè altera è Christi disciplina Magdalena, altera è Benedicti Patris nostri scholâ Scholastica. Quæ postquã plurimum laborasset pro Deo, & insignem cætũ ex illustribus deuotisq; Virginibus aggregasset, atq; insignibus verissimæ pietatis, dignissimæ humilitatis, & feruentissimi maximè zeli exemplis, hocce sæculum nostrum haud leuiter in hoc am-

plissimo regno exornasset, A. C. 1632. migrauit ad Empyreū & ad sui imitationem terrenarumq; rerum contemptū, non paucos è lectiore etiā nobilitate concitauit. *Eius laudes R. Stan. Brzeffa Soc. IESV Presbyter in Translatione Corporis eiusdem ad Sepulchrum specialius celebrauit. Chronica quoq; Polon. Ord. S. Bened. meminerunt.*

## *MENSIS*
# MARTIVS.

**1. Martij.** *Calendis Martij.*

ANdegaui *S. Albini Episcopi & Confessoris*, Viri præclarissimæ virtutis & Sanctitatis. Hic Veneticæ Regionis claro admodùm natus genere, tenerâ ætate, mundum fastidijt, & Cincillacensi in Cœnobio Ordinis S. BENEDICTI, Monachis adscriptus, puerili etiamnum ætate, insigni miraculo à Numine commendatus est: cum ab Abbate aliorsum destinatus, per densissimos sæuissimæ tempestatis imbres, ab his intactus & nulla sui parte madefactus, transijt, atq; insigni admirationi spectantibus fuit. Abbas postea eiusdem Monasterij sui esse meritus, exemplar Regularis disciplinæ, imò ipsa Regula discipulis suis extitit. Pari modo ad Cathedram Andegauensem euectus, velut alter mundi Phæbus commendatæ sibi Prouinciæ illuxit, Sanctitatisq; atq; miraculorum splendore oculos omnium, & animos attinuit, atq; ad seruiendum Numini inuitauit & excitauit. Ad vicum Geginam præteriens, graui exaudito eiulatu, causam rogans, parentes afflictissimos, charissimi filij mortem deplorare intellexit, quos benignè solatus, cùm se in oratione prosterneret, memorabili prodigio, inexplicabili gaudio Parentum, filium eorundem Malabaudum nomine, à mortuis reuocauit, viuum & incolumem Parentibus reddidit, fama miraculi totum Regnum implente; Maurilio quoq; ciui cæco visum restituit, aliaq; multa stupenda operatus est, vt me-

vt meritò apud Hildebertum Regem Oſtrogotorum in maximo eſſet pretio. Mortuus eſt ſanctiſsimè & feliciſsimè circa Annum Chriſti 570. ætatis 80 Pontificatus 21. grauiſſimis etiam deinceps miraculis illuſtratus. *Eius vitam Gregor. Turonen. Beda, Vincent. Beluacen. Arnold. Vion. ſcripſerunt.* Et Gneſnen. Archidiæceſis, cum pro Patrono habet, Officiumq; de eo ritu duplici facit, quem ideò Aquilæ Polonæ adiungo cum Polonia Noſtra Patrocinio eius glorietur ampliſſimo.

## *VII. Idus Martij.* 9. Martij.

*IN Morauia SS. Epiſcoporum Cyrilli & Methodij, qui multas illarum regionum gentes, cum earum Regibus, ad fidem Chriſti perduxerunt. Mart. Rom.* Cyrillus & Methodius qui etiam Methodius, Monaſterij S. Andreæ in Vrbe Romanâ, Monachi, propagandæ fidei zelo, in Illyricum profecti, feliciſſimo rerum ſucceſſu, innumerabilem populi multitudinem Chriſto lucrati, Slauoniam, Bulgariam, Croatiam, Morauiam, deniq; ac Bóëmiam, verè Apoſtolico, atq; incomparabili merito, Eccleſiæ Matris gremio adduxère. Suatoplugum Morauiæ Regem, Borziuoium Bóëmorum Ducem, alioſq; Regnorum illorum & Prouinciarum Moderatores, Sacris Baptiſmi aquis luſtrauêre, varias paſſim Eccleſias & Sacras ædes condidêre, Scholas & gymnaſia, erexêre, innumeris & immenſis meritis Barbaros demeriti, quos optimis moribus & legibus, ad pietatem & humanitatis ſtudia, adduxère. Cyrillus deniq; poſt innumeros labores, quietis ſtudio, ad ſuam Romæ reuerſus cellulam, eò ſecum grande Vrbis Dominæ donum attulit, & Romæ, ſuum olim Pontificem, Apoſtolorum Principis diſcipulum, reddidit. Corpore nimirum S. Clementis Papæ & Martyris delato; cuius honori & Nomini, annuente Romano Pontifice inſignem Baſilicam condidit, atq; huic Ordinis Noſtri Monaſterium adiunxit, in quo vitæ reliquum in iugi rerum Diuinarum meditatione tranſ-

 egit,

egit. Methodius à Suatoplugi Regis ſucceſſore, quod venationi intentum ſacrificaturus non expectaſſet propè interfectus, in Boëmiam ſeceſſit, Morauoq; imprecatus, Regnum item in Boëmiam transferendum prædixit. Vterq; demùm meritorũ Apoſtolicorum multitudine ditiſsimus, poſt Annum Chriſti 910. ad æternitatis præmia euolauit, quorum honori, iuſſu Numinis cæleſti, Vratislaus, Borziuoi Ducis, filius & ſucceſſor, ſplendidam Baſilicam condidit. *His verbis Menolog. Benedict. de illis habet. Chronicon quoq; Boëm: Dubrauius: Æneas Syluius: &c.* Paulo aliter, vita eorum habetur inter officia Patronorum propria Prouinciæ Polonæ, quàm ex Annalibus varijs collector *Stanislaus Socolouius*, decerpſiſſe ſe inſcripſit. cuius tenorẽ hic pono, vt Hiſtoriæ veritas planius eluceſcat. SS. Confeſſores & Pontifices, Cyrillus & Methodiꝰ fratres, Conſtantini Theſſalonicenſis, cognomento Philoſophi ciuis Conſtantinopolitani erant filij. Cum adoleuiſſent, Presbyteratus Ordinẽ Conſtantinopoli conſecuti, gentiũ Slauinarũ primi Doctores, Viriq; Apoſtolici facti ſunt. Cyrillus Gazaros magnã Slauinorũ gentem, qui tùm *Tauricã* peninſulam, vicinaſq; Regiones incolebant, à Michâele Imperatore miſſus, ad Chriſti fidem conuertit. Cherſoneſum Heracliã eius peninſulæ ciuitatem Græcam, cum acceſsiſſet, dumq; ibi primum Gazarorũ linguã diſceret, S. Clementis Pontificis Romani Corpus, cum anchora eidem alligata, in vicino mari, temploq; marmoreo inuenit. Quod acceptũ, dum ſecum circumferret, magna miracula Deus paſſim per illud operatus eſt. Conſtantinopolim cum redijſſet Cyrillus, denuò à Suatoplugo Rege Morauiæ, ad Imperatorem venit legatio, petente, Cyrillum ſibi mitti eiuſdem Religionis docendæ gratiâ. Aſſumpto igitur fratre Methodio, longum iter ingreſſus, ad *Volgaros* Danubij accolas primùm diuertit, eis itidem fidem Chriſti, Sacraſq; literas in eorum linguam conuerſas tradidit, eas videlicet, quibus non tantum omnes *Volgarorum* populi, ſed multæ quoq; aliæ vtũntur nationes, quæ lumen fidei à *Volgaris* mutuatæ ſunt.

Ad *Morauos* deinde ambo, non ſine Corpore S. Clementis perueniunt, Suatoplugum, Regem *Velogradi* ſedem habentē, cum ſuâ gente baptiſant, quin & Boëmiæ Ducem Borziuoium cum ſua Vxore Sanctâ *Ludimilâ* eodem Sacro lauacro tingunt. Archiepiſcopus *Velogradi* Cyrillus ordinatur, cui adduntur, in amplo Suatoplugi Regno, ſeptem alij Suffraganei Epiſcopi. Fundatis tandem Eccleſijs, & Chriſti opere perfecto, Sancti Clementis Corpus Romam deferunt, & à Nicolao Primo Pontifice impetrant, vt gentibus à ſe baptiſatis linguâ vernaculâ obire Sacra liceret. Quod Diuino reſponſo approbatum eſſe fertur, vt omnis Spiritus laudaret Dominum. *Ita habetur in officijs Patronorum Regni Poloni.*

## *PARERGON.*

CÆterum hæc legenda diſcrepat à Romanâ Hiſtoriâ, quam Baron: in Notis Martyrologij, ad diem 9. Martij de his Sanctis ponit, vbi Cyrillum & Methodium Apoſtolos Slauorum & vicinarum Prouinciarum, ab Hadriano II. Rom. Pont. prædeceſſore Ioannis Octaui, Romæ Epiſcopos ordinatos, & ad Slauorum populos conuertendos ab eodem miſſos fuiſſe ſcribit, quod ex Regiſtro Ioannis Octaui Papæ, & literis eius ad Regem Slauorum datis, X. Iunij Indictio: XII. Anno Dñi. 879. ſatis patere affirmat. Qui etiam Ioannes Octauus PP. ad præfatum Methodium ſcripſit, Epiſt. 202. datam eodem die, & Anno, quo ſuperior ad Regem, qua eum vocat Romam, vt de fide, quam illis gentibus prædicaret, redderet rationem: falſis enim quibuſdam calumnijs fuerat accuſatus, aliter docere quam ipſe accepiſſet à Romanâ Eccleſiâ, qui Anno ſequenti Indictione 13 Menſe Iunio, Romam venit, & in Synodo cauſam dixit, probataq; ſuâ Fide, obtinuit quæ optabat à Romano Pontifice, nimirum vt Slauorum linguâ, laudes Deo dicere, & Sacra peragere licitè poſſet; ita tamen vt priùs Latinâ linguâ Euangelium coram populo legeretur. Extat de his omnibus

 epiſtola

epistola eiusdem Ioannis PP. 252. data 12. Iunij: Indict. 13. ad Slauorum Principem. Reuersus S. Methodius ad Slauos, cum vberes fructus, de Euangelicâ prædicatione colligeret, grauissimâ fuit persecutione vexatus, quem, idem Pontifex datis ad eum literis, est consolatus. Epistolâ 278. datâ Kal. April. Indict. 14. *Hæc ibi Baron. & subdit consequenter.* Habeturq; in Actis prædictorum Cyrilli & Methodij, ipsorum operâ, S. Clementis Rom. Pont. corpus Romam fuisse delatum, & in Basilicâ proprij nominis reconditum, de quo copiosius in die natali S. Clementis. Porrò ijdem Viri Apostolici Romæ morientes, miraculis clari, sepulti sunt, quorum Sacras Reliquias nuper sub altari in eiusdem Ecclesiæ sacello peruetusto repertas esse àccepi. *Hæc Cardin. Baron. loco citato.* Ex cuius testimonio & Tabulis Romanis, non Græcos sed Romanos fuisse, & consequenter Monachos Benedictinos probabile est, quandoquidem nonnulli scriptores, eosdem amplissimæ quondam Congregationis Monachorum Slauorum, Ordinis S. P. Benedicti auctores primos & Institutores, fuisse contendunt. De quâ Congreg. videatur infra.

## 16. Martij. *XVII. Calendas Aprilis.*

IN *Polonia B. Gertrudis Virginis & Abbatissæ.* Hæc sanctissimæ illius Polonorum Ducissæ Heduigis Filia, Matri virtute, pietate, zelo, per omnia simillima extitit. Cucullum amplexa in Trzebnicensi Virginum Cænobio, eximiâ vitæ perfectione, ita se omnibus commendauit, vt Mater ab omnibus & Abbatissa expeteretur, ac præesse cogeretur. Abiectis operibus tanta Princeps libentissimè manus admouit ijsq; quæ viliora & contemptiora erant, delectari se demonstrauit; Diuinorum contemplationi adeò addicta, vt extra illa, nullâ quietem reperiret. Eam illustribus signis & prodigijs DEVS honorauit, & meritis grauissimis opulentam, ac virtutibus comptissimam, ad regnum æternitatis

nitatis & thalamos suos purissimos introduxit. Claruit A. C. 1270. *Martin. Cromer. Annales Polon. Menolog. Cisterc. & Benedictin de ea agunt.*

## *XVI. Calendas April.* 17. Martij.

N*Iuigellæ in Brabantiâ, S. Gertrudis Virginis, quæ clarissimo genere orta, despiciens mundum, & toto Vitæ suæ cursu, in omnibus Sanctitatis Officijs sese exercens, Christum Sponsum habere in cælis meruit Martyrolog. Roman.* Gertruda clarissimis, & per totam Europam peruulgatis orta natalibus, *Pipinum* Seniorem, Brabantiæ Ducem potentissimum, & celeberrimi Nominis Principem, Patrem habuit. Itham pari nobilitate Matrem, cuius ab ore tenellâ iam ætate, trahebat verba vitæ & disciplinæ, omnemq; lubricæ ætatis leuitatem fugiebat, neq; vnquam generis sui sublimitatem attendens, ancillis suis se ancillam præstabat. Dignissima illa vox virginis, cum ad Patrem eius diuertens Rex *Dagobertus*, adducto qui eam Sponsam exambiebat, Regij generis iuuene, Austrasiæ Ducis filio, inter Regij splendoris epulum, Gertrudem cum Pipino Patre ad consensum inuitaret. *Ego* (inquit illa) *mihi sponsum delegi. cuius æternâ pulchritudine, omnis Creaturarum pulchritudo resplendet, in cuius diuitijs cælum & terra, & omnis ornatus numeratur, cuius nobilitatem Angelica sublimitas, cum tremore veneratur.* Quo quidem responso admiratus constantiam virginis Rex, conticuit: Princeps autem iuuenis, confusus, conscensis equis, cum indignatione recessit. Mortuo Pipino, *Itha* quamprimùm cucullo mutans purpuram, Sacrum velamen è Sancti Amandi nostri manibus suscepit. Cuius exemplum Gertrudis consecuta, accensis pari studio virginibus summæ nobilitatis plurimis, potentissimi Niuellensis Cænobij fundamenta iecit; cuius postea Abbatissa esse meruit. Quo quidem honore, cum tempore se abdicans, contemplationis & orationis studio, ita addicta fuit, vt solo in terris corpore, mente

mente autem reuera in cælestibus habitaret. Sorores suas voluit esse benè doctas, & vt in Cænobio Bibliotheca esset, optimis instructa libris curauit. Sacrarum literarum amore & studio, eò ipsa progressa est, vt omnem penè Sacram Scripturam memoriâ teneret, & obscura Allegoriæ verba, Sancto reuelante Spiritu luculenter Auditoribus explanaret. Hospitalitatis curam inter præcipuas habuit; piâ autem sollicitudine diligentiâq; veram se omnium Sororum Matrem ostendit. Ieiunijs, Eleemosynis, orationi, perpetuò addictissima, perpetuis laboribus corpus delicatissimum exercuit, & rigido cilicij vsu attriuit. Fuit insignibus à Numine prodigijs honorata, quæ inter, dum ad altare S. Sixti in Cænobio suo in preces incumberet, descendentem supra se sphæram igneam conspexit, adeo quidem fulgidam, vt per dimidiam ferè horam tota inde Basilica mire resplendesceret; Quod ipsum miraculum alia etiam vice Sorores intueri meruerunt. Suos dum viueret, & longissime abesset, in maris periculo inuocata, prodigiosè iuuit, & eripuit. Nihilominus cum tanta esset, Dei tamen iudicia Summoperè formidauit, & cum dies migrationis adesset, ad Sanctum Vltanum nostrum Fossensis Cænobij Monachum misit sciscitatum, quonam die foret ab hac luce decessura? valde enim formidare se dixit, pariterq; lætari. Respondit Vltanus: *Crastina die intra Missarum solemnia, Christi Virgo Gertrudis è corpore abscedet, ad obitum autem suum nequaqam trepidet, sed læta proficiscatur, S. Patricio Episcopo, cum beatissimis Angelicis Spiritibus, ingenti cum gloriâ ipsam excepturo.* Quâ promissione plurimum exhilarata, totam noctem cum sororibus, in Psalmis & precibus duxit insomnem, & die posterâ, quæ tunc erat Dominica, eâ, quâ vir Dei prædixerat, horâ, Sacris Mysterijs ritè munita decessit, A.C. 659. Ætatis 33. admirandâ cælestis odoris fragrantiâ, è virgineo eius corpusculo erumpente! Quam etiam deinceps Devs insigni miraculorum gloria commendauit, quæ inter, aliquando grauissimum sui Cænobij incendium, visa est velo capitis opposito & excusso, prodigiosè

digiosè repellere, & consopire. Vitam eius plures conscripsêre, *Molanus, Beda, Vsuardus, Trith.* Inter Patronas verò Regni Poloniæ cooptata, hac die in Gnesnensi potissimum Diœcesi solennitas eiusdem peragitur, & Lectiones de ea ex Molano, & Surio, per Collectorem Socolouium desumptæ, nonnihil alijs verbis, quam hic positæ, inter Officia *Patronorum Regni Poloniæ* habentur.

# *M E N S I S*
# A P R I L I S.

*III. Idus Aprilis.* II. Aprilis.

COmmemoratio Ven. Viri, Boleslai Regis Poloniæ, cognomento Audacis, immanissimi interfectoris Sancti Stanislai, Episcopi Cracouien. & Martyris inclyti, qui infandâ crudelitate Sanctum Pontificem, ad Sacrum Altare aggressus, multis vulneribus parricidiali scelere interfecit. Fuit is Boleslaus, Casimiri Primi ex Monacho BENEDICTINO Regis Poloniæ filius, felicissimus cæteroqui & bellicosissimus Princeps, qui Imperio Lechico longè latèq; propagato, A. C. 1065. Monasterium Mogilnense, Ordinis S. BENEDICTI, in Gnesnensi Archidiæcesi fundauit, plerasq; villas liberaliter eidem conferendo; sed Laurum triumphalem, & suam in DEI Ecclesiam liberalitatem, Ciuili primùm sanguine, & post, Diuinissimi Præsulis Stanislai innocuâ cæde, fædè cruentauit. Cuius sceleris postea seriò pænitens, factum tàm atrox mirandâ prorsus doloris contestatione detestatus, amplissimum regnum deseruit, & veste mutatâ, omnibus ignotus, in vastissima Carinthiæ deserta se conferens, nè solus sibi ipsi non sufficeret, in Ossiacensi celebri tunc Ordinis nostri Cænobio, cucullum amplexus, illic inter Fratres Conuersos accensus, ac vilissimis seruitijs addictus, insignia humilitatis, patientiæ & pænitentiæ documenta edidit, & sancto deniq;

niq; fine (quem DEI beneficio, & Martyris non vltionem, sed misericordiam, pro eo exposcentis intercessione, obtinuit) decedens, paulò antequam supremum spiritum exhalaret, parricidam Boleslaum se publicè confessus, non sine multis omnium lachrymis ex hac vita, & ærumnosi exilij calamitatibus, ad regnum æternum conscendit, cum voluntario se Martyrio, diu grauiter exercuisset & confecisset. In tumulo talis Epigraphe, in hodiernum vsq; diem legitur, *Hic iacet Boleslaus Rex Poloniæ occisor S. Stanislai*, & versus tales inferius appositi.

*Occidit, R[illegible]m pergit, veniens Osiac, illic*
*Ignotus seruit, notus pia lumina claudit.*
*Osiac, tunc placeat tibi Stanislae, tyrannum*
*Mitem quòd factum, cælestibus intulit astris.*

Aliquorum Historicorum de Boleslao Audace opinio hæc est, quod scilicet in amentiam versus, criminis atrocitate animum furijs agitante, & per syluas pluribus diebus vagus, quasi venationi instans, in profundum specum præceps ruisse, ibiq; mortuus, à suis quoq; canibus se insequentibus deuoratus esse dicitur. At hæc opinio incerta est; inde nata, quod ille compunctus, dimissis omnibus, & Filio Miescone, apud Vladislaum Regem Vngariæ relicto, in chlamide abiectâ, clam omnibus ignorantibus, in Carinthiam ad Monasterium Ossiacense cesserit, ex quo eius repentino discessu, omnes amentiam passum, & malam mortem tulisse coniecturabant quidem, sed absq; fundamento, de eo DEO interim aliud disponente. Monasterij Ossiacensis traditionem certam esse putauerim, grauium Scriptorum testimonijs fultam. Cui etiam Illustrissimus & Reuerendissimus Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis, Tynecen. olim Monasterij, Commendatarius Abbas fautorq; insignis, in Vita Marci Episcopi Plocen. subscripsit, multiq; alij idipsum confirmant.

IX. CA-

## IX. *Calendas Maij.* 23. Aprilis.

IN *Prussia Natalis S. Adalberti Gnesnensis Archiepiscopi & Martyris; qui Polonis & Vngaris Euangelium prædicauit. Mart. Rom.* Adalbertus Slaunici & Strezislauæ, Libercæ siue Libecensium Comitum filius, Regio genere oriundus, Woytechus (quod est Exercituum consolator) antea vocatus, à S. Adalberto nostro primo Magdeburgensium Pontifice educatus, nomen etiam & virtutem indeptus est. Puerulus etiamnum desperatâ iam vitâ, ad Deiparæ aram, ijs qui aderant mirantibus adrepens, Matris Virginis ope, prodigiosè & repentè conualuit, quam & in vita deinceps omni, præcipuè veneratus est. Iuuenilem ætatem, licentiâ vitæ temerans, horrendâ Pragensis Episcopi morte territus, & compunctus, saniora consilia suscepit, ita repentè mutatus, vt iam tunc ab ipso sibi inferus metueret; cumq; communibus ipse votis Pontifex eligeretur, ex energumeno validis vocibus, Adalbertum infensissimum sibi detestatus, coactus hospitium desereret; tantis mox Adalberti de Cathedra illa meritis, vt meritò à morte deinceps Patronus cooptaretur. Cum autem patriam Christo lucrari, pro viribus, satageret, & Böemos à feritate, rapinis, & impio dæmonum atq; idolorum cultu, reuocare frustra conaretur, pertæsus eorundem pertinaciam, Romam demigrauit. Vnde Pontificis Maximi permissu, Cassinum se transferens, Monasticæ vitæ exercitationem de integro complexus; exactis ibidem aliquot annis, cum vt Episcopum honorari se non ferret, Romam denuò concedens, in Monasterio S. Bonifacij, Sancto Leoni Abbati multo tempore subditus, obedientiâ & humilitate, ita se omnibus probauit, vt admirationi meritò esset, cum suæ oblitus dignitatis, culinam euerreret, lances elueret, abiectissima mediastinorum officia alacer obiret. Mirus ille de seipso & dæmone triumphus fuit, cum hoc frequentius impellente, ad mensam ministrans, vasa

 testacea,

testacea, seu cadens in terram, seu impingens frangeret, ciboséq; effunderet, quo toties repetito damno, malus genius sperabat, nimio deniq; rubore suffusum, à dicendâ de more culpâ absterrendum : verum cum nihil minus, quam hoc modo proficeret, eiq; & humilitatis, & patientiæ maioris auctorem se esse doleret, adeò deinceps ab infestatione eius abstinuit, vt nec vel leuissima quidem peccatilli suasione ipsum aggredi præsumeret. Adalbertum Romæ, spectante etiam Summo Pontifice, miraculorum gloria DEVS mirificè illustrauit, in cuius oculis cum iussus ille poculum vitreum vino plenum afferret, Cacodæmonis scelere (qui canis nigerrimi formâ, visus Adalberti pedibus se obijcere) impingens & concidens illud rupisset, vinumq; effudisset, surgens illico fusis precibus poculum integerrimum & vino plenum, grandi prodigio Pontifici obtulit, eoq; tantum hospitem mirificè recreauit : Alias, iussu eiusdem Sacris operatus, cum inter Sacra obdormisse cum suspicatus, excitari iuberet, & expleto Officio præsentib⁹ Cardinaliũ nonnullis modestè corriperet, iussu diuino, Fratrum germanorum, funera se in Böemia curasse respondit, quos impij idololatræ, in causa fidei trucidassent, eoq; ipso loco in altari alteram chyrothecã, per obliuionẽ reliquisse. Quod ipsum missis Nuncijs curiosè exquirens Pontifex, verissimum deprehendit, Böemis Archiepiscopum suum adfuisse affirmantibus, & chyrothecam illic relictam remittentibus. Repetitus postea enixissimis Boëmorum precibus, ægrè è Cænobio discessit, & flagellatam toto absentiæ suæ tempore siccitate, fame, & peste patriam prodigiosissimè absoluit. Dignissimum Summi Pontificis, ad Legatos Böemorum responsum & minimè prætereundum, quod collectâ, in causâ Adalberti, Synodo, audientibus Patribus dedit. *Reddimus* inquit, *quod iustè quærunt male merentes filij, sed dabitur eis hac lege: si audierint eum, teneant eum cum benedictione DEI, & faciant sub eo fructum centuplum. Si autem à consuetà iniquitate recedere nolunt, absq; periculo sui capitis malorum consortia declinet, &c.* Böemis leges

leges vtilissimas & sanctissimas condidit, multos eiuratis Idolis Ecclesiæ aggregauit: Templa & Monasteria varia condidit, & viris Religiosissimis commendauit. Cum maiore Böemorum parte in scelere obfirmatâ, rursum eosdem desereret, mox anxiè repetitus, reuerti compulsus est. Verum potestate ipsi, à Summo Pontifice factâ, apud quoscunq; vellet populos Euangelium prædicandi, condito prius, iussu Numinis in honorem S. P. N. BENEDICTI Brzeunouiensi Cænobio, eodemq; à Boleslao Pio Duce, iussu Diuino similiter liberalissime dotato, & dignissimâ nostrorum coloniâ instructo, in Vngariam primum se contulit, & Giezâ Duce ad Christum adducto, ac baptizato, natum postea filium Stephanum, sanctissimum illum, atq; celeberrimum Vngarorum Regem, sacris quoq; aquis abluit, ac benedictione sua impertijt, plurimasq; toto passim Regno Ecclesias ædificauit. Ad Polonos dein conuersus, Miecislaum Ducem cum omni populo in fide confirmauit, finitimas etiam Prouincias Regno Christi felicissimè adiunxit. In Liuoniam deniq; & Prussiam delatus, dum ibi rationes Ecclesiæ plurimum auget, sacrificulorum scelere appetitus, ab irruentibus barbaris, post SS. Missæ sacrificium celebratum, gratissima DEO victima cæditur, ipsa Crucifixi Seruatoris anniuersia Parasceueos die, conto primum prostratus, ac infixis terræ osculis in hæc erumpens: *Benedictus DEVS, benedicta misericordia DEI, si plus non accipiam pro crucifixo meo, vnum pretiosum ictum habeo.* Septem postea lanceis confossus, quo nimirum amantissimæ & vnicæ Tutelari suæ Deiparæ gratior, septem etiam doloribus concideret, manibus in modum Crucis extensis, felicissimũ Spiritum Creatori transmisit. Cuius Sacrum corpus in arbore suspensum, Aquila per triduum custodiuit, donec membra crudelissime concisa, per hospitem Sancti viri in sportam collecta, iuxta locum Martyrij primum humata, æquali dein auri pondere à Polonis redempta, primum Tremesnensem in Ecclesiam, ac postea Gnesnam summo cum honore omniumq; gratulatione translata sunt. Clarui

 innu-

innumeris deinceps, & stupendis miraculis, magnus Bôëmorum, Vngarorum, Polonorum, Luiticorum, Russorum &c, Apostolus, magnus magni Regni Poloniæ, & princeps Tutelaris, sed & Vngariæ atq; ingratæ olim Bôëmiæ, Patronus cooptatus. Tam illustre autem Martyrium, dono admirabilis Matris Virginis se consequuturum, ante pugnam edoctus, insigni desiderio sese accendens præparauit. Vidit namq; purpureum sibi floridumq; ac incomparabili ornamento pretiosè vestitum thalamum præparatum, cuius in superiori panno capitali, aureis inscriptum seu prætextum literis erat: *Munus hoc donat tibi filia Regis.* Quod ipsi interpretatus S. Leo Abbas. *Hoc tibi cito* inquit *inuenies quod quæris: dono Virginis procul dubio Martyr eris.* Meruit etiam à morte grauissimis & de Polonia, & Bôëmis suis beneficijs præstantissimus Apostolus, & multo quidem nomine eoq; inprimis, quo Triumphatoris & Exercituum Tutelaris, apud eosdem titulum est consecutus, maximis sæpè hostium copijs, præsenti eiusdem ope prodigiosissimè triumphatis. Sed & illud rarius celebratur à multis, Boleslaum Poloniæ Ducem Otthoni Imperatori, tanquam pretiosissimum munus donasse brachium Sancti Adalberti, postea Romam delatum, & in S. Bartholomæi, ab eodem conditâ celebri Basilicâ, repositum. Et Imperatorem in vicem muneris huius, aliorumq; obsequiorum ergò, Boleslaum dignitate Regiâ insignijsse. Vt non immerito magnum Patronum, Apostolum, & Martyrem suum, incredibili amore, cultu & celebritate solemnitatis, Poloni vsq; hodie venerentur. Passus est Anno Christi 997. ex Menologio BENEDICTINO, Cromero, Petro Damiani & aliorum quam plurium scriptis & Historijs. In cuius laudem Hymnus.

*LAudes Beati Præsulis*
*Iungamus illis laudibus*
*Quas Angelorum tinnulis*
*Persoluit ordo vocibus.*

Pedi,

*Pedi, tiaræ, & annuli*
*Decore non ſuperbijt*
*Inſtar & Petri pauperculi*
*Pedeſter ad gentes ijt*
*Ouilis ingratiſſimi*
*Rebellio pluſquam fera,*
*Paſtoris integerrimi*
*Paterna torſit viſcera.*
*Planxit gregem Paſtor pius*
*Et eius inſolentiam,*
*Quem grex coegit impius*
*Mutare ſedem Patriam.*
*In Vrbe degens Romulâ*
*Iunctus viris clauſtralibus*
*Vitâ Beatorum æmulâ*
*Mirisq; fulſit actibus.*
*Bis euocatus ad ſui*
*Præſul gregis cuſtodiam*
*Deo laboris ſtrenui*
*Se conſecrauit hoſtiam.*
*A Patriâ bis exulem*
*Gratum Polonis hoſpitem,*
*Læti canamus Præſulem*
*Iam glorioſum Cælitem.*
*Primas hic eſt dignus coli*
*Magiſter ac Apoſtolus,*

*Magnum*

Aquila
Magnum iubar Noſtri ſoli
Quo terra ſplendet, & Polus.
Effulſit in Polonia
Candore Sanctitudinis
Sed vernat in Boruſſia
Fuſi rubore ſanguinis.
Leuis ſtatera Corporis
Stupore replet Pruſſiam
Tunc gleba Sacri pignoris
Transfertur in Poloniam
Vrbs Gnezna felix nidule
Conſtructa Lechi tempore,
Lætare tanto Præſule
Eiusq; Sacro Corpore.
Remus Beati nauitæ
Quo verberatus læditur,
Prehendit oram ſemitæ
Cûi Porta cæli panditur.
Beate remex, ad tuæ
Appulſe littus Patriæ,
Nos nauigantes ſtrenuè
Perduc ad arcem gloriæ
Haſtis tuis hanc Patriam,
Præclare Martyr protege,
Remo tuo Nos per viam,
Maris procelloſi rege.

# *MENSIS*
# MAIVS.

7. Maj. *Nonis Maij.*

IN Monasterio Zwifaltensi Depositio Venerabilis memoriæ Gertrudis Ducissæ Poloniæ, Filiæ Boleslai Criuousti Ducis Polonorum, quæ abiectâ purpurâ cucullum illic exambiens, illustrissimo periturorum contemptu, plurimis alijs facem prætulit, suoq; exemplo mirificè accendit, & informauit, sub Annum Christi 1160. Ex Menolog. Benedict.

8. Maj. *VIII. Idus Maij.*

CRacouiæ in Poloniâ, *S. Stanislai Episcopi & Martyris, voto Monachi quamuis non ipsâ Professione, qui non eo solum nomine Nostris accensendus est, sed reapse rerum huius mundi omnium liberrimâ abdicatione, quas absolutis studijs, Parentibus optimis licet, commodũ tamen morte sublatis, vt ad Cænobium conuolaret, omnes omnino in pauperes erogauit.* His verbis loquitur de hoc Sanctissimo Martyre Polono, Menolog. Benedictin. ad diem 7. Maj, vbi voto Monachum Benedictinum fuisse S. Præsulem agit. De cuius rei veritate & assertione, addubitans ego, cum Historiam vitæ S. huius, diligentiùs euoluerem, in legenda Ioannis Longini Canonici Cracouień. de hoc Sancto Pontifice, hæc reperi. *Subibat & animum Diui Stanislai, dum apud Paryſios versaretur religionis alicuius cupido, & Euangelicæ perfectionis doctrina in pectore eius iugi meditatione insederat, vt sublimium Magistratuum & honorum quos sibi in Patria prouenturos haud dubitabat, ea cauis Infulis & omnibus terrenis derelictis, nudum Redemptorem nudus sequeretur. Sed hunc ipsius conceptum ne ab eo perficeretur, maiori illum certamini, quam quod in Cænobio geri solitum est Dominus reseruans auertit.*

*Septennio itaq; apud Parysienses Scholas Stanislaus, in summâ discendi solicitudine exacto, haud indignam secum Bibliothecam referens, in Poloniam rediyt, & amborum Parentum morte, in hæreditate locupleti se videns relictum omnem substantiam in pauperes Christi, & turbas inopum, fouens pauperes vltra sui mensuram, pia & liberali erogatione distribuit, expeditius absq; sarcinis terrenis Domino seruiturus: nondum siquidem omne propositum assumendæ Religionis à se relegauerat, & quem nam modum ad melius viuendum assumeret, assidua perplexitate distinebatur, cum interdum illi priuata & Cænobitica vita securior appareret.* Sic Longinus de voto Religionis, à Sancto Stanislao Martyre concepto edisserit. Probabilissimum exinde est, eum Ordinis Benedictini desiderio flagrasse. Viderat siquidem in Polonia B. Aaronem Archiepiscopum Cracouien. primum Abbatem Tynecensem insigni Sanctitate fulgere; viderat Parysijs Ordinis Benedictini tum florentis decus & gloriam. Neq; quis opponet alias Religiones, cum Mendicantium necdum fuissent institutæ, & sola penè Benedictina, in Ecclesia illo tempore emineret florentissimè.

## *In huius S. Patroni mei cuiusdam deuoti Hymnum adyicio.*

*Stella Sarmatarum Lux Episcoporum,*
STANISLAE Christi, *Martyr alme salue*
*Illud à cruento, Vulnus hoste sumens*
*Gloriose victor, Bella pace muta*
*Deme vincla captis, Lumen adde cæcis.*
*Pelle damna culpæ, Gratiamq; posce*
*Esse te Polonum, Patriæq; Patrem*
*Sedulo precatu, O Patrone monstra.*
*Singulare sidus, Inter astra cæli*
*Absq; labe castos, Nos fac & modestos.*
*Vita nostra pura Morsq; sit beata*
*Vt Deum videntes, Gaudeamus omnes*

Patris

*Patris atq; Nati, Spiritusq; Sancti*
*Par Decus canatur Laus Trium sit vna Amen.*

Tali Patrono præditæ Gentes Slauinæ plaudite.

*Pridie Idus Maij* 14. Maj.

ILlustris memoria Venerabilis Viri Fratris Hieronymi natione Bòëmi eruditionis laude & Sanctitatis opinione celeberrimi. Hic Sanctissimæ Congregationi Nostræ Camaldulensi nomen dedit, simulq; decus æternum addidit. Interfuit Concilio Basiliensi Senis primùm instituto, vbi pro concione bis cum stupore & admiratione omnium dixit, & magnam sibi auctoritatem & gratiam conciliauit. Missus à Patribus Concilij ad Vladislaum Poloniæ Regem, Legatione præclare functus est. Ab hoc postea, acceptis literis commendaticijs ad Vitoldum Lithuaniæ Ducem, illic arduos & vere Apostolicos suscepit labores; cum populi illi, serpentes pro Dijs adorarent, alij ignem, alij solem Diuino honore colerent, & lucos cacodæmoni sacrarent, apud quos ille, omnibus contemptis periculis strenue laborauit, & vt serpentes in foro exurerent, & lucos succiderent, institit. In hoc vero opere, cum quidam credens se arborem cædere, crus proprium grauiter læderet, & semianimis concideret, populo flente, & Hieronymum accusante; hic vt fascinatis mederetur, surgere hominem incolumem iussit, atque mox meruit; sed cum alia etiam nemora succidere pararet, toto muliercularum exercitu, ad Vitoldum concurrente, querelis lamentisq; effecerê, vt à Vitoldo Hieronymus Lithuaniâ cedere debuerit tantisper, quoad gentilitatis in Apostolicum Virum ira nonnihil conquiesceret. Reliquit multa præstantissimi ingenij monumenta, & varios contra hæreses tractatus, obijt Anno Christi 1440. multorum iudicio inter Sanctos relatus. *Æneas Syluius, Historia Camaldulensis, Rescius. Menol. Benedict.* ad diem 14. Maij.

21. Maij *XII. Calendas Iunij.*

IN Monasterio Tynecensi, obdormitio Ven. Fratris Vlodimiri, filij Vladislai Ducis Osuecimensis & Zatoriensis, qui spretis mundi illecebris, Patrisq; delicijs & amplo Ducatu contempto, vt elementa vitæ beatæ perdisceret, Scholam Dominici seruitij adijt, & in Monasterio Tynecensi vitam Monachi solenniter est professus. Cuius auidum cælestis eruditionis animum feliciter progressurum, desideria primùm benè concepta demonstrabant; vt pote spe æternorum gaudens perfectionis Religiosæ cursum tanto alacrius arripiebat, quanto maiora confidebat. Exhilarabat animum eius spes, vt exultaret ad percurrendam viam beatæ Hierusalem sempiterno æuo mansuræ; nec vlla lætitiæ causa ei vberior esse poterat, quam cum in hoc exilio, ad supernæ vocationis brauium animabatur. Seria mente expendebat, quod è statu lubrico erutus, & in statum Religionis assertus, ædificium quod moliebatur absoluendum sibi maneret; itaq; iuxta consilium Magni Præceptoris, semetipsũ introspiciebat, sumptum qui ad opus perficiendum necessarius erat computabat, & partes hominis per culpam lapsi, auxilio gratiæ reparandi perspicaciter explorabat. Cùm vero ex spiritualis Magistri, à cuius nutu vnice pendebat, communem vniuersorũ hominũ, qui è culpæ morte ad vitam gratiæ Diuinæ resurgunt, conditionẽ esse intellexisset, vt licet mente studeant seruire legi Dei, carne tamen seruiant legi peccati; quibus verbis Apostolus de seipso agens vsus est, vt inferiorem partem hominis à superiore discerneret; quod postquam Adam prolapsus in culpam originalis iustitiæ, vincula quæ hominis partes in officio continebant infeliciter dissoluit: quicunq; ad statum gratiæ suscitantur, tametsi quod ad superiorem hominis partem, intellectum scilicet ac voluntatem spectat, reformentur, vt æternæ legis rationes intelligere ac diligere possint; partis tamen inferioris, quæ sensibus tum internis, tum exter-

nis &

nis & appetitu ſenſitiuo conſtat, rebellione vexantur, quam ſenſit Apoſtolus aiens *ſentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ.* In hanc palæſtram inſtitutoris religioſi ductu, exuens veterem hominem & Spiritus Sancti vnctione delibutus, luctaturus deſcendit, vt ſui partem inferiorem, cæleſti auxilio ac labore multo, ad ſuperioris partis præſcripta reformaret. Quocirca bellum interno & externo conflictu peragendum ſibimet indixerat, & ad paſſiones proprias expugnandas, virtutes exquirendas, ſenſus ab imaginibus creaturarum repurgandos, armabatur. Mouebat autem ampliſsima illum merces, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, quo nihil in hoc genere efficacius ad bonum ſtimulari poterat. Quapropter, miles nouus in caſtris Benedicti Ducis, ſpe tantæ mercedis erectus, timorem quemuis obrepentem excutiebat; & idem quod olim Abrahæ, modò ſibi oraculum redditum exiſtimabat. *Noli timere Abraham: ego protector tuus ſum & merces magna nimis.* Non poterit ſanè miles ignauus è ciſterna Bethleem aquam puriſsimam haurire, hoc eſt, ad honeſtiſsimum Virginis filiū, fontem aquæ viuæ peruenire, qui per media obſtantium inimicorum caſtra non audacter irruperit. Fortiſsimè igitur, pro tanto bono, ſub Protectore & Duce Benedicto, ad operis arduitatem ſuperandam animum erigebat, & rerum excelſarum cogitatione incitabat, ne quid ex propria fragilitate formidaret, doctus à ſuis Maioribus, nihil Chriſti militibus ad grandia vocatis timore peius nocere, aut compendioſius Magnanimitate prodeſſe poſſe: quippe quod timor innumera Iſraelis millia Ægypto dedita conſumpſiſſet; Magnanimitas verò paucos plurimis meliores, in feraciſsimam promiſsionis terram inuexiſſet. Quocirca recenſeri cupiens inter paucos illos, qui contendunt intrare per anguſtam portam, arctamq; viam quæ ducit ad vitam multâ expeditione conficere, & miraculum Orbi ſtupendum quomodo diues intraret ad Regnum cæleſte, demonſtrare; ipſo propoſito aſtringebatur ad ignauiam omnem

propulſandam. Illaq; omnia quæ ad clauſtri diſciplinam, & Officium Monachi probi ſpectare compererat, paſſiones nimirum, & motus inſurgentes vincere, tentationes ſuperare, virtutum acquiſitioni ſtudere, vitia extirpare, implorare Spiritus Sancti dona & fructus colligere, ſedulus exequebatur. Orationis quoq; deuotionis & exercitiorum quibus BENEDICTINI inſtituti perfectio paratur diligentiſſimus cultor fuit, vt ſepoſitis omnibus alijs quæ minus proſunt curis, huc omnes vires animi cogeret, & per oſtenſam ſibi viam, ad Religioſæ perfectionis faſtigium, ſub Ieſu Chriſti D. N. & Sancti BENEDICTI vexillo feſtinaret. In his exercitijs ſedulitatem multam dum poneret, & opus cæptum perficere vellet, ſtadium vitæ ſeptimo à profeſſione anno, poſitis exuuijs corporis, glorioſe perfecit. At ſui meliore parte, ex loco vaſtæ ſolitudinis & deſerto mundi tranſlatus in Empyreum, de quo verè dici poteſt. Conſummatus in breui expleuit tempora multa. Obijt Anno reparatæ ſalutis 1256. Die 21. Maij in eodemq; Cænobio Tynecenſi ſepultus quieſcit.

## 29. Maij, *IV. Calendas Iunij.*

GNeſnæ in Polonia Beati Gaudentij Archiepiſcopi Gneſnenſis & Confeſſoris, Gaudentius ſiue Radzinus patrio ſermone dictus, Natione Boëmus, Principe genere natus, contemptis fortunæ blandicijs illuſtrior. Monachũ in Brzeunouienſi Boëmiæ Monaſterio Ordinis Sancti BENEDICTI, profeſſus eſt. Ob ſingularem vitæ puritatem, & Apoſtolicum propagandæ Fidei Zelum, magno Böemorum, Vngarorum & Polonorum Apoſtolo, Sanctiſſimo Adalberto noſtro, (cuius carne & profeſſione Frater erat) comes eidem indiuiduus adhæſit. Adalbertum autem, relicto Epiſcopatu Pragenſi Romam contendentem & ſponte exulantem, & ipſe conſequutus, in Diui Alexij, ſeu Bonifacij Cænobio, nouo feruore cum eodem ſacrum Regularis diſciplinæ rigorem denuo amplexus, extractum poſt annos rurſum

ſum aliquot Adalbertum, pari diligentia proſequutus, ſtrenuam eidem in conuertendis gentilibus operam nauauit. Miſſus in Vngariam, Apoſtolici laboris fructum centuplum retulit, & Chriſti atq; Eccleſiæ horreo aggregauit. In Poloniam quoque accitus, ab eodem Adalberto, Metropolitanus Gneſnenſis ordinatus, digniſſimâ vitæ ſanctitate Cathedram illam celeberrimam mirifice exornauit; & velut ſol in meridie illuſtriſſimus, Apoſtolicorum meritorum radijs, regno ampliſſimo, imò Orbi vniuerſo illuxit : cuius inter ſummos honores, & tanti nominis celebritatem profundiſſima animi demiſſio inprimis celebratur. Claruit inſignis Vngarorum, Polonorum, pluriumq; gentium Apoſtolus Anno Chriſti 996. & 1000. & bonorum operum diues, mortalitati valedicens, immortalitatem induit, & æternum ſui deſiderium Polonis reliquit. *Hoc ex Menolog. Bened. & Dubrauio referimus.* Ex Hiſtoricis autem Polonicis de hoc Beato Gaudentio conſtat, eum, Ottone III. Cæſare in Polonia hoſpitante, & diadema regium Boleſlao Chabri Duci Poloniæ donante, Coronam benedixiſſe & Regem inunxiſſe, Coronâq; redimiuiſſe præſente Imperatore. Licet vero clariſſimis oſtentis ſanctitatem viri DEVS declarauerit ſæpius, hoc quoq; Venceſlaus Haiek Böemorum Hiſtoricus de hoc Beato refert, quod Anno Chriſti 1071. die 7. Iunij contigerat. Thomas Nobilis adoleſcens Pragenſis, cum eſſet in ſtudijs, ob quoddam confictum crimen, in tetrum coniectus carcerem, triennio duriter tenebatur; qui auxilium à ſuis non videns, ſe DEO Diuóq; huic Gaudentio, tum inter Böemos, ob miracula poſt eius obitum facta claro commendat. Et ecce die 7. Iunij adeſt, Beatus Gaudentius Archiepiſcopali candido ornatu indutus, eumq; bono animo eſſe iubet, & ſe ſequi præcipit. Sequitur, & ianuas carceris egreſſus, liberum ſe conſpiciens, & beneficium agnoſcens, crimen ſibi olim imputatum clare diluit, & aduerſarios conuicit. Hic adoleſcens iam DEO amplius deditus, & in ſtudijs progreſſus faciens, etiam inter Canonicos Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis

gensis adscriptus, & Decanum in Collegio agens, post in Archiepiscopum Pragensem electus & consecratus fuit. Memor vero beneficij à Diuo Gaudentio accepti, illud prædicare nunquam cessabat. Hac de re videatur etiam Bonfinius & Paprocki noster. Corpus vero huius Beati Gaudentij per Bóëmos Gnesnâ ablatum est tali modo A. D. 1038. Bretislaus Bóëmiæ Dux, intelligens Poloniam absq; Rectore laceratam (tempore interregni septennalis ante Casimirum primum) collectâ nobilium & agrestium multitudine, Poloniam ingressus, Vratislauiam & Posnaniam, oppida quoque, vicos, & villas, quæ ciuilis belli stridor nondum deleuerat, diripit & exurit. Gnesnam Metropolim, quoniam nec situ, nec arte munita erat facile capit; Ecclesiam Beatæ Mariæ Metropolitanam, suasu Seueri Episcopi Pragensis, qui huiusmodi bello se miscuerat, spoliat, Corpus S. Adalberti quod certi Prælati & Ministri Ecclesiæ de sepulchro extractum in sabulo occultârant, perquirit, & non inueniens solicitat, non solum amplissimis promissis, sed & probris Ministros Ecclesiæ de corpore inueniendo. At illi ex industria Corpus Beati Gaudentij Archiepiscopi Gnesnensis ostendunt, quod Bóëmi Pontificalibus indutum, rapuerunt, credentes esse corpus Beatissimi Præsulis Adalberti; Rapuerunt & corpora quinq; Fratrum Martyrum Ioannis, Benedicti, Isaac, Matthæi, & Christini, Morauisq; instantius petentibus, corpus Sancti Christini tradiderunt, quod in Ecclesia Olomucensi, sub tabulis argenteis auro tinctis locauerunt, sub titulo & nomine eius, postea Ecclesiam Cathedralem Olomucensem dicando. Rapuerunt insuper Bóëmi imaginem crucifixi, trecentas libras puri auri pendentem, per Boleslaum Primum Ecclesiæ Gnesnensi donatam: rapuerunt & tres tabulas maioris altaris auro puro, & pretiosis lapidibus per Boleslaum Regem decoratas, Cæteraq; clenodia, vasa, campanas magnitudine & sono notabiles, abstulerunt. Cum his & multitudine captiuorum vtriusq; sexus, Bretislaus in Vigilia Sancti Bartholomæi Anno 1038. Pragam perueniens, sacrile-

crilegam prædam in maiori Ecclesia Pragensi deposuit. Captiuos vero, inter quos & Sacerdotes videbantur, in colonias distribuit; & licet Stephanus Metropolitanus Gnesnensis, coram sede Apostolicâ super spolio suæ Ecclesiæ, Bretislao Duci & Seuero Episcopo Pragensi lites intentâsset, & definitiuam obtinuisset, nihil tamen de ablatis rehabuit : *Mat. Miecbouita Chronicorum Regni Polon. lib. 2. cap 13.*

# *MENSIS*
# IVNIVS.

*Calendis Iunij.* I. Iunij.

IN Monasterio Lubinensi Ordinis S. BENEDICTI Diœcesis Posnaniensis, Commemoratio Venerab. Serui DEI Bernardi eiusdem Monasterij Monachi & Sacerdotis, qui in Oppido Fridek natus, Posnaniæ cùm operam daret studijs, in magna hebdomada, feriâ sextâ Parasceues, ad concionem illam de luctuosâ morte Seruatoris, cum ex suburbio iret, portãq; ciuitatis clausam inuenisset, & dolens cum lachrymis se incusaret, quod pridie serò non intrasset: ecce vltrò aperitur porta, & post eius ingressum, rursus occluditur nemine agente, & pessulum opponente. Intrauit autem DEO dirigente in Monasterium Lubinense Ordinis S BENEDICTI, vbi religiosissimè agens, Sacerdos factus, sacra cum lachrymis copiosis peragere solitus erat, in nudo scamno cubabat, idq; paucis horis, abstinentiam singularem seruabat, horas vigiliarum nocturnarum, & stata deuotionis tempora præueniebat, omnisq; probitatis Nouitijs & Fratribus quibus Magister præerat, Monasticæq; exercitationis spectandum exemplar se exhibebat. In qua sui maceratione impigrè dum versatur, DEO Maximo sic volente, & serui sui breuis certaminis cursum munerante, cùm infirma valetudine grauaretur, tandem feliciter solutus eius à corpore spiritus, ad

 cælestis

cælestis beatitatis possessionem migrauit. De quo verè dici potest, Consummatus in breui expleuit tempora multa. Sub agonem ipsum malignum spiritum adstantem & se terrificantem viderat, sed eum fortius increpans seq; Fratrum orationibus recommendans, acceptâ à Priore Monasterij generali absolutionē, placidè os componens, & lumina claudens quietissimè obdormiuit. Post mortem, DEVS sanctitatem eius aliquoties declarauit. Adolescens desperatæ valetudinis, huius Sancti literas ad Parentes suos datas, pectori suo, magnâ cum spe valetudinis applicuit, se Sancti Viri Orationi & patrocinio deuouens; nec mora ab illa infirmitate liber fuit. Alter quoq; maligna æstuans febri, & à medicis opem nullam habens, ijsdem literis persanatus est. E tumulo autem eius, odor fragrantissimus continuo exspirat, & ipse Beatus Fratribus loci illius, crebrius singulari claritate circumamictus, in somnis videndum se præbuit. Obijt Anno Christi 1603. die 1. Iunij. Eius vitam stylo Latino R. P. Andreas Fredecensis eiusdem Monasterij Presbyter complexus est, & Matthias Vbyszewski in Cathalog. Beatorum Regni Poloniæ, edito Anno Christi 1608.

## 2. Iunij. *IV. Nonas Iunij.*

IN Polonia passio plurimorum Monachorum Christi Martyrum, qui Anno Christi 1140. à Tartaris Russiam, & Sendomiriensem Poloniæ tractum, Russiæ finitimum populantibus, in Monasterio Copriunicensi, & alibi intercepti, in odium Religionis, immaniter cū multis alijs Christianis trucidati, gloriosissimè occubuerunt, quorum Triumphus singulis Annis, magno fidelium concursu solenniq; memoria recolitur, magnis in eos qui occurrerent Gratijs siue vt vocamus Indulgentijs, ab Alexandro IV. Pontifice Maximo erogatis. *Ex Menolog. Bened. Aub. Miræo. Mart. Cromero.*

IV. Idus

## *IV. Idus Iunij.* 10. Iunij.

IN Polonia B. Bogumili Archiepiſcopi Gneſnenſis, & Eremitæ Camaldulenſis, Confeſſoriſq; eximij. Inſigne Poloniæ noſtræ & immortale decus, re & nomine Bogumilus id eſt DEO Charus, qui illuſtri Rozeorum vel vt alij volunt Habdancorum familiâ natus, puer etiamnum maturrimæ ſanctitatis ſpecimina edidit, quæ ſummæ perfectionis vt initia erant, ſic longioris temporis decurſu feliciter excreuerant: ſacro clericaliq; ſtatui ab infantia deuotus, eundem amplexus eſt, ac poſtmodum Gneſnenſis Decanus factus, bonorum operum exemplar omnibus ſe præſtabat. Habebat autem villam hæreditariam Dambrowa dictam, quatuordecem milliaribus Gneſnâ diſtantem, in qua, Eccleſia Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis, conſtructa fuerat. Ad eam Eccleſiam Dominicis & feſtis diebus, in Gneſnenſi Cathedra Canonicis horis prius peractis, pedeſter venire aut potius Angelico obſequio miraculoſe, per tam longũ ſpatium breui tempore deferri conſueuerat. Quæ Eccleſia paguſq;, cum eſſent vltra fluuium Varta in colle poſita, ad eam propter aquarum illuuiem, nemo pedeſter tranſire poterat, ſed omnes aduentum viri DEI certò futurum, cum ingenti deſiderio expectabant. Quo adueniente & ſicco veſtigio ſuper aquas præcedente, omnes pariter eadem miraculosâ viâ in alteram fluuij partem, intacti ab vndis tranſgrediebantur, coram quibus vir DEI Sacroſancta Miſſæ Sacrificia peragens, & concionem faciens, iterum in aliam partem fluuij iteratò cum toto populo ſe ſubſequente redibat. Et cum frequens, ex remotioribus partibus conflueret numerus deuotorum, miſerationem imitatus Saluatoris, nè ieiunos dimitteret, piſces ad ſe virtute Verbi DEI congregatos, pro cuiuſq; indigentia, ſtans in littore fluuij, proprijſq; manibus ex vndis leuans, omnibus diuidebat, ſicq; ſpirituali & corporali refectos cibo, benedictionẽ ſua munitos, domos abire proprias, piſceſq; reliquos in vnum congregatos in

sua regredi loca, potenti verbo iubebat. His interim illo in loco peractis, Gnesnam eodem mane ad horam consuetam prandij, quam communem cum reliquis Canonicis habuit, redibat. Et multis ille clarebat miraculis, quem ob summam vitæ celebritatem, post mortem Archiepiscopi Gnesnensis, vnanimi voto Capitulares successorem delegerant, & vt consecrationem de more solitam consequeretur, impensam omnes dederant operam, circa A. D. 1167. Quo in munere sanctissimè degens Diuinissimi Adalberti Prædecessoris sui vestigijs inhærendo, maiorem DEI gloriam, salutemq; ouium commissarum sibi, studiosè promouebat, & propriam villam Dabrouuam Religiosis Cisterciensibus donando, omnia sua ad gloriam DEI expendere statuerat. Fuit vero BENEDICTÆ Admirabiliq; Matri Virgini Deiparæ, singulariter deuotus, & Sanctorum quinq; Martyrum Polonorum Eremitarum, iugi patrocinio sese deuouens, eorum institutum imitari continuo anhelabat. Quod tandem reapse consecutus est hâc occasione. Præmislaus maioris Poloniæ Dux, Lucardam fæminam pudicissimam coniugem suam, eo quod esset expers & exspes prolis præfocandam curauerat, quod factum inhumanum omnes quidem, sed maximè Antistes Sanctus, vti Pastor ouilis Christi acerbe ferebat, & exemplo Diuinissimi Stanislai, Ducem acrioribus exstimulare ad pænitentiam verbis, pænamq; Excommunicationis, ni faceret fructus dignos pænitentiæ minari non cessabat: offenderat paterna correptio Principem, iniuriamq; sibi à Præsule factam, dum sic amariùs castigatur interpretatus, suos contra Præsulem instigabat, & diuersis iniurijs subditos Archiepiscopi, Clerumq; exagitabat, motibus infestis totam ferè Poloniæ maioris oram concitando. Turbarum huiusmodi multum pertæsus Præsul, suæ quieti Diœcesisq; totius tranquillitati consultum volens, exemplo Ionæ ad sedandos fluctus in mare se mittentis, decreuit Archiepiscopatu cedere, quem etiam in manus Alexandri III. Papæ, à quo olim confirmationem obtinuerat, humiliter resigna-

resignauit. Quo munere onereq; deposito, lætus illud Prophetæ occinebat. *Dirupisti Domine vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis*, & solitarium petens locum, non longe ab Ecclesiâ illa in villâ Dąmbrowa existente, in loco nemoroso tuguriolum extruxit, in quo Anachoreticæ vitæ, cuius desiderio dudum tenebatur, ponebat exercitamenta. Sanctum vero Romualdum imitandũ sibi in exercitijs Anachoreticis decernens, secundum Regulam Beati BENEDICTI, quam idem Romualdus & quinq; Martyres Poloni, à Bogumilo in speciales assumpti Patronos per vitam seruauêre, viuendum sibi & conuersandum statuit; ex cuius Regulæ obseruantia, ad summum perfectionis apicem felicissimè mox deuenit, & cælestibus reuelationibus diuinisq; consolationibus crebrius recreari meruit. In quo exercitio profectuq; spirituali, cum plures Terrestris iste Angelus exegisset annos, finemq; suum adesse præsentiens, Sacramentis Sanctis munitus, vltimam horam exitus sui, cum magno desiderio lætus expectabat. Sub cuius agonem Benignissima Mater Deipara, vnicum suum Filium gestans, copioso Angelorum & Sanctorum DEI famulatu stipata adfuit, quorum ille præsentiâ incredibiliter exhilaratus, inter vicinas cellæ suæ quercus, manibus in crucis modum formatis animo gestiens, hæc verba iterans *JESV Fili DEI & Virginis MARIÆ suscipe Spiritum meum*, Sanctam exhalauit animam, quam in specie columbæ candidæ ille Hierarchicus Angelorũ chorus in cælum deducere visus est, die 10. Iunij Anno 1182. De cuius sancto obitu postquam Gnesnenses Capitulares certiores facti sunt, in maximo diuersorũ hominum concursu, sacrum corpus Archiepiscopi sui Pontificalibus indutum, in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis honorificentissimè sepeliendum curârunt; vbi sicut in vita, sic post mortem innumeris statim cæpit clarere miraculis, quoniam cæci visum, claudi gressum, diuersis calamitatibus pressi consolationes & perfugia, interuentu huius Sancti consequebantur, præpotente DEO Serui sui Sanctitatem ita contestante & prece eius multi-

 plicia

plicia beneficia indigentibus clementer largiente. Inter cætera vero Diuina beneficia, Vnicіouienses & Colnenses ciues, hoc percepisse se meritis huius Sancti testantur, quod ab incendijs crebris inopinatò erumpentibus & ædes aliorum absumentibus miraculosè seruati sint. Verùm omissis alijs, hoc quod contigit, vnicum referam ad præsens miraculum. Honestus ciuis mercatorq; Colnensis, Stanislaus Vach ita nuncupatus singulari deuotionis affectu erga hunc mouebatur Sanctum, cuius sepulchrum omni commodâ occasione visitare solebat, præcipuè si iter aliquod difficile euenisset conficiendum sibi. Aliquando currum panno oneratum ad nundinas proximi oppidi ducens, equus vnus illi de sexigis, maiori pondere victus concidit, & subito exspirauit, cui mercator curans pellem detrahi, pro insolita deuotione erga hunc Diuum, suum peculiarem Patronum, eam Presbyteris ad Ecclesiam tumulumq; D. Bogumili residentibus dono obtulit, se verò ad sepulchrum Sancti nonnihil conferens, suas fortunas seq; eiusdem patrocinio commendabat, & vt meritis eius, ab infortunijs alijs præseruaretur impensius exorabat. Hæc vota dum ille nuncupat, ecce ante valuas Ecclesiæ equus hinnire incipit vocem referens extincti, quâ commotus Stanislaus egreditur templo, & equum per omnia similem eundemq; planè cui corium detractum fuerat stantem inuenit, quo facto ad stuporem versus, & DEI magnificum opus serio reuoluens, meritis id Sancti acceptum referebat, & DEI beneficium apud omnes deprædicans, equum iunxit currui, quem iam extinctum deplorauerat. Ad futuram vero facti tam insoliti memoriam, illam pellem equi sibi oblatam, foribus sacristiæ Sacerdotes clauis affigendam curauerunt. Anno eodem, quo factum, videlicet 1396.

Huius Sancti vita impressa habetur ad calcem deuoti Libelli *Corona vitæ Saluatoris Nostri secundum vsum Camaldulensium Patrum.* Imagines quoq; eius diuersæ circumferuntur passim, inter eas vero insignis illa est, quæ Romæ sculpta Illustrissimo & Reuerendissimo

dissimo Domino Andreæ Lesczynski Archiepiscopo Gnesnensi dedicata, in quâ multa miracula eiusdem Sancti collateraliter apposita leguntur.

### *Idibus Iunij.* 13. Iunij

MEmoria Ven: Nicolai Primi Abbatis & Fundatoris Monasterij Andreouiensis in Polonia, morum integritate & miraculorum gloria illustris, *ex Annalibus Henriquesij, & Patris Francisci de Biuar. Ord. Cister.*

### *XVI. Calendas Iulij* 16. Iunij.

SAncti Bennonis Episcopi & Confessoris, Diæcesis Posnaniensis in Prouincia Poloniæ singularis Patroni, cuius Officium ritu duplici agitur. Benno siue Benedictus, illustri genere Comitum à Bullenburg, Patre Friderico, Matre Bezela natus est. Puer à S. Bernhardo Nostro Hildesheimensium Episcopo cognato suo educatus, eo mortuo in Diui Michaelis Hildesheimensi Monasterio sub Regula D. Benedicti Monachum Professus, inde Abbas, eo honore sponte abdicato, extremâ vilitate contentus; demum ingenti omnium gratulatione Misnensium Pontifex electus, insignibus meritis non Saxoniam solum sed Ecclesiam demeruit vniuersam, constantiæ inprimis exemplo, quo inter tantas Schismaticorum turbas, Romano Pontifici fidelissimè adhærens, Cæsarum libidini atq; potentiæ, magno animo obnixus, exilium pro Christo etiam dulce habuit. Enituit admirandis prodigijs; alia inter, agilitatis mirificæ & Prophetiæ dono celebratus. Pauca & rariora ponimus: cum pro Ecclesiastica libertate exul, claues Ecclesiæ proijci in flumen iussisset, ipso deniq; ad sedem suam redeunte, claues mox eædem sub pennis piscis cuiusdam repertæ sunt. Ad populum inter æstiuos & feruentissimos calores cum verba faceret, miseratus nimiam auditorum sitim, infixo

infixo in aridum solum lituo Episcopali, mox prodigiosissimũ fontem elicuit, Sanctum deinceps cum vniuersa valle illa appellatum; ad operarios suos inuisens, laboribus eorum condolens, signo crucis aquam signans in vinum conuertit, quod miraculum, simplex è famulitio eius Ephebulus postea imitaturus, *Faciam inquit quod Dominus meus*; nec dissimili prodigio aquam signans in vinum conuertit. Albim sicco vestigio cum transiret cum plaustro fæni, statim à tergo subsecutus rusticus, meritis Viri Sancti, & ipse prodigiosè flumen superauit, correptus tamen à Sancto, & nè se viuente miraculum proderet adiuratus. Iuxta paludem ambulando dum oraret, ne ranarum coaxatione impediretur, eis silentium indixit, illicò obmutescentibus vniuersis, sed mox recordatus Psaltis Regij, *Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis Domino*; Pænitens facti reuersus, vt Deum laudare pergerent, imperauit & impetrauit. Illud vt rarum sic æternum, propè villas, vbi orando & meditando ambulare consueuerat, in hodiernam vsque diem, solum longè esse fertilius, sed & fruges multò quàm alibi citius flauescere & maturescere. Agilitatis vt diximus prodigioso dono etiam in terris à Deo honoratus, ita vt cum solitudinis studio in villa ageret, post Sacramentorum tractationem, subito in Ecclesiam Misnensem, per viginti quatuor passuum millia raperetur. Quod exploraturus aliquando Sacellanus eius, cum nonnihil procederet, & ipse translatus post geniculantis Domini tergum, in dicta Ecclesia constitit, nec nisi post alterum diem in villam redire potuit, cum Benno more suo vere miro reuertisset. Prædicationis insuper munere & labore dignissimus Pontifex, longèq; felicissimus fuit, Slauorum inprimis Pomeranorumq; Conuersione, Apostoli eorundem gloriosissimum nomen consequutus: tum hoc præclarissimè egit, quod Vandalos, Silesiosq;, & Cassubos, malè de religione sentientes, ex pernicioso errore eripuit. Apud suos autem deniq; mortuus sanctissimè, insignibus etiam à morte prodigijs, ad æternam Schisma-

ticorum

ticorum & noſtri etiam æui Hæreticorum confuſionem, à Deo mirificè illuſtratus eſt. Claruit Anno Chriſti 1100. Obijt Anno 1160. ætatis ſuæ 96 ſedis 40. Ex Menolog. Benedict. ad diem 16. Iunij, & Radero. *Inter Patronos Reg. Pol. colitur & officio duplici per Poſnan. Diœces. honoratur, ideoq; Aquilæ Benedictinæ Polonæ adſcriptus.*

## XIII. *Calendas Iulij.* 19. Iun.

*IN Ruſsia S. Bonifacij Martyris diſcipuli Beati Romualdi, qui à Romano Pontifice, ad prædicandum Euangelium in Ruſſiam miſſus, cum per ignem tranſiſſet illæſus, Regemq; ac populum baptizaſſet, à furente Regis fratre necatus, optatam Martyrij coronam accepit. Mart. Rom.* Fuit Bonifacius vti Regio genere, ſic humillimi Monachi demiſſione ſublimiſſimus, Otthoni III. Imperatori conſanguineo ita charus, vt non alio nomine, niſi *Anima ſua* ipſum appellaret. Cæterum cum tanti fieret, tantuſq; eſſet, in oculis ſuis vilis, vt peſſimè meritum duriter ſe habuit, & abſtinentiæ inprimis rigore nimio ſeſe confecit, adeò vt ſæpe Dominicis ſolum diebus, & quinta feria cibum admitteret, alias Sanctiſsimi Patris Noſtri Benedicti exemplo, in vrticarum ſeſe & veprium denſitatem proijceret & volutaret. Ex quo, cum quidam frater ipſum aliquando corriperet, quod nec alijs quidem intuentibus eiuſmodi cruciatu voluntario abſtineret, hoc vnum reſpondit. *Tui ſunt Confeſſores, mei ſunt Martyres.* Velut & ſæcularis Princeps, etiamnum in aula Cæſaris cum ageret, Martyrium ſibi ominabatur; cum S. Bonifacij Martyris Eccleſiam aliquam intueretur, in hæc verba erumperet, *Et ego Bonifacius vocor, cur ergo etiam ipſe Martyr eſſe non debeo.* Cuius Laureolæ ſanctiſsimâ ambitionê perpetuo vexabatur. Excoctus Monachicis diſciplinis, & contemplationis calore accenſus, ſuperiorum facultate, Romam contendit, vt cum liberalium artium diſciplinis apprimè imbutus eſſet, & propagandæ fidei zelo to-

tus deflagraret, functionem eiusmodi, auctoritate Pontificis Maximi susciperet, toto illo in itinere, iugiter psallens, & cæteros longè præcedens, nudis semper pedibus incessit, ad leuandum quidem laborem itineris comedens quotidie, non nisi tamen panem medium, & aquæ crudæ modicum. cui tam frugali refectioni festis diebus, de pomis seu radicibus, absq; tamen liquamine aliquo, pauxillum superaddens. Tantâ præparatione, tanto feruore ad prædicationis munus, tantus se Princeps disponebat. Archiepiscopus ad conuersionem gentiũ ordinatus, *quotidie* inquit S. Petrus Damiani *obseruabat, & Monasticum pariter, & Canonicum in celebrandis horarum officijs ordinem. Cum verò iam vltra montanos peteret fines, equo quidem vehebatur, sed Venerabilis Pontifex nudis cruribus semper & plantis, adeo intolerabilem frigidissimæ regionis superabat algorem, vt volens descendere, non pedem absubhærente ferro disiungeret nisi aqua calida subueniret &c.* In Russiam delatus, Apostolicum laborem strenuè aggressus, Regi Demetrio primùm suspectus fuit, quod vili indutum habitu & nudipedem, pecunijs potius inhiantem, quam saluti mortalium studentem conijceret. cui proin multas diuitias obtulit, si ab hac vt dicebat vanitate desisteret. Verum Bonifacius sine mora ad hospitium digressus, pretiosissimis indumentis Pontificijs indutus redijt. Quod iterum vanitati tribuens excæcatus Princeps, eâ deniq; conditione se ijs quæ prædicaret crediturum dixit, si per struem ignium altissimam, & vtrinq; ardentissimam illæsus pertransiret; quam conditionem vniuersi populi applausu consensuq; acceptam, & ipse acceptans, vt erat Pontificijs excultus ornamentis, ignem vastissimum, lustrali prius aquâ incensoq; thure expiatum, securè ingressus, spectantibus vniuersis illæsus pertransijt, adeo vt nec capillus quidquam senserit adustionis. Obstupuit miraculo Rex, cumq; vniuersis qui aderant ad pedes Sanctissimi Pontificis prouolutus, veniam lachrymabundus rogauit, & sacris Baptismi vndis lustrari expetijt. Tantâ autem diligentiâ Bonifacium deinceps

inceps coluit, vt abdicato Regno, & in filium reiecto, tanti Magistri disciplinis se prorsum deuouere statueret. Quin & fratrem quem penes se in aula fouebat, cum credere nollet, absente Bonifacio, zelo succensus fidei ipse interemit. Cum interea, alterum Regis fratrem dissito commorantem loco, frustra lucrari conatus Bonifacius, comprehensus, vt ne viuus à fratre Rege, armatâ etiam manu repeteretur, suâ & frequenti populi in frequentiâ, decollari iussus est. Statim autem cæcitate percussus ipse, cum vniuersis qui aderant, surduit, obmutuit, diriguitq; vt velut lapides, circum sacrum magni Apostoli & Martyris corpus immobiles permanerent; donec fama rei Rex ipse excitus, eo contenderet, & miraculo tanto commotus, (cum fratrem cæteroquin, cum sceleris conscijs omnibus mactare decreuisset) mutatâ sententiâ preces prius pro solutione rigentium cum suis fundere, & siquidem à Numine soluerentur, fidemq; à tanto Martyre confirmatam agnoscerent ac susciperent, parcere statueret. Mox ergo Christianis in preces diutius incumbentibus, soluti illi, scelus suum detestati, supplices, fluentibus lachrymis, veniam rogauêre, & maximo feruore atq; alacritate, Christum confitentes, facili iam ad veniam Rege, sacro Baptismi lauacro expiari petiêre. Super sacro autem tanti sui Apostoli, & in immeritissimos meritissimi Patroni corpore, insignem Basilicam condidêre. Claruit celeberrimus hic Russiæ Apostolus, sub Annum Christi 1000. *ex Petro Damiani. Augustino Camaldulensi, Menolog. Bened. Annalium Bened. Tomo. 1.*

## *M E N S I S*
## I V L I V S.

*Sexto Nonas Iulij.* 2. Iulij.

BAmbergæ Sancti Otthonis Episcopi, qui Pomeranis Euangelium prædicans eosdem conuertit ad fidem. Ottho perillustri

luſtri genere, Bartholdo patre Andecenſi Comite, Matre Sophia genitus, illuſtriſſimo ſanctitatis nomine Sueuiam patriam, ſed & Poloniam, Pomeraniam, Franconiam, de quibus inſignitur deinceps meruerat, illuſtrauit. A Poloniæ Duce (in cuius familiam ob morum virtutiſq; excellentiam adlectus erat) ad Henricum IV. Cæſarem legatus, ob perſpectam in rebus gerendis dexteritatem, Cancellarius Imperij à Cæſare eſt deſignatus. Eum inuitum licet ac renitentem idem poſtea Auguſtus, Bambergenſium Pontificem renunciauit, & præclariſſimâ oratione ipſum commendans legatis, hæc inter alia: *Cernitis* inquit, *quæ ſit huius hominis ambitio, duos antea ipſi oblatos Epiſcopatus, ad ſocios reiecit Auguſtanum & Halberſtadienſem: tertium verò, quâ animi humilitate, & pertinaciâ recuſet, vos mihi ipſi teſtes eſtis &c.* Quibus dictis annulum, eius inſerens manui, pedoq; tradito, inueſtitum legatis commendauit. Sed Ottho Romam profectus, abiectis ad pedes Summi Pontificis inſignibus, iuſſuſq; reſumere, nec ſic quidem acquieuit, vſq; dum Româ digreſſus, diei iam vnius confecto itinere, reuocatur à Papâ ſub ſancto obedientiæ præcepto, Pontificatum admittere cogeretur. Sed & poſtea abdicato rurſum honore, quietem in cucullo quærens, illumq; in monte S. Michaelis, inhiantiſſime exambiens, Monachis adlectus, ab eo ipſo tamen cui ſubeſſe & in omni vita parere promiſerat, Abbate, præeſſe, & lituo reſumpto Pontificatum curare, in virtute obedientiæ iuſſus eſt. Curauit eâ induſtriâ ijſq; ſucceſſu ac fructu, vt Diœceſeos poſtea Diuus Tutelaris merito eligeretur. Regulæ tamen ſuæ, & diſciplinæ Monachicæ, nunquam oblitus, in poteſtate noſtrorum ſemper fuit, apud quos cum in vita, vt volebat, diu non potuiſſet, mortuus conſepeliri, ſimulq; tubâ Domini expectare decreuit, & meruit. Fuit Virginum Virginis longè amantiſsimus, eidem ab infantiâ à Parentibus oblatus & conſecratus, quam & in vita omni, & conuerſione inprimis Gentium, ſpecialem auxiliatricem habuit, eamq; ipſam ob cauſam, celeberrimam illam & miraculorum gloriâ

gloriâ illustrissimam Weyerensem Basilicam, ex voto ante legatione suam præconcepto, eiusdem Magnæ Matris honori struxit, fundauit, & dedicauit. Fundauit solus hic Pontifex quindecim nobilissima Monasteria, præter longe plura, quæ liberalissime iuuit, restaurauit, ampliauit, locupletauit, vt Monachorum omnium Patrem iure affirmares. Fuit perinsigne eius atq; immortale meritum, Pomeraniæ, amplissimæ Prouinciæ, cum Duce eiusdem Wratislao Primo, filijsq; Boguslao & Casimiro conuersio, ad quos rogatu, Magni illius Boleslai Poloniæ Ducis, Sanctissimus Pontifex profectus, verbo & exemplo barbarorum feroces animos mirè emollijt, Sacrificiorum immundorum cultum sustulit, delubra & aras euertit, Ecclesias Catholicas plurimas construxit. eoq; nomine *Præcipui Sarmatarum Apostoli* gloriosissimum titulum meruit. Sarmatarum inquam Apostoli, quoniam Pomerania, Cassubia, Silesia, & cismarinæ versus occidentem Prouinciæ, Slauorum erant, quarum populi ex eadem gente cum Polonis processêre, eodemq; idiomate vsæ, & sub sceptro Principum Poloniæ, seu alias Sarmatiæ Europeæ, olim fuêre omnes. Decessit æternum Monastici Ordinis decus, Anno Christi 1139. admirandis cùm in vita, tum post mortem prodigijs, serui sui sanctitatem DEO comprobante, *Ex vita Henric. Canis. Monumen. & Chronol. Pomeran. Carolo Stengelio. Baron. lepes. Annal. nostris. Germ: & Benedict. &c.* Ad hunc Otthonem Boleslai Criuousti Polonorum Monarchæ literæ extant, quarum seriem Baronius, Annal. Eccles. Tomo XII. Ad annum Christi 1124. ponit, estq; talis. *Domino suo & Patri amantissimo Othoni venerabili Episcopo, Boleslaus Dux Polonorum filialis obsequij humilem deuotionem. Quia in diebus iuuentutis tuæ, apud Patrem meum, decentissimâ te honestate conuersatum memini & nunc quoq; Dominus tecum est, firmans te & benedicens tibi in omnibus vijs tuis, si tuæ non displicet dignitati, veteres tecum renouare amicitias, tuoq; consilio simul, & auxilio vti, ad Dei gloriam promouendam, ipsius gratiâ coadiuuante, cupimus. Nosti enim vt arbitror,*

*bitror, quomodo Pomeranorum crudâ barbariê, non meâ quidem, sed Dei virtute humiliatâ, societati Ecclesiæ, per Baptismi lauacrum se admitti petunt, sed ecce per triennium laboro quod nullum Episcoporum vel Sacerdotum idoneorum mihiue affinium ad hoc opus inducere queo Vnde quia tua Sanctitas, ad omne opus bonum prompta & indefessa prædicatur, rogamus Pater amantissime, non te pigeat, nostro comitante seruitio, pro Dei gloria, tuæq; beatitudinis incremento, id laboris assumere. Sed & ego tuæ Paternitatis deuotus famulus, impensas omnes & socios itinerum, & linguæ interpretes & coadiutores Presbyteros, & quæcunq; necessaria fuerint præbebo, tu tantum Sanctissime Pater, venire dignâre.* Hactenus Boleslai Epistola ad Otthonem de Apostolatu ad Pomeranos suscipiendo. Quod autem idem Vir Apostolicus Ottho probè sciret, non esse alterius cuiuspiã, aut ab animi alicuius arbitrio pendere, sibi sumere ad Gentes Apostolatum, quamuis inuitatus sit, à Principe Boleslao; sed esse Primariæ Sedis Apostolicæ auctoritatis, Petri successoris, & Christi Vicarij duntaxat, ne in vacuum curreret, sciens quod quæ à Deo sunt, ordinata sunt: primùm omnium à Romano Pontifice facultatem, huiusmodi impertiri sibi per literas procurauit, quàm à Calisto Papa obtinuisse *Vrspergensis Abbas* rem ipsam oculis intuens, testatur in Chronicis ad Annum Christi 1124. vbi institutionis capita, tradita Pomeranis ab eo, postquam Sacris Ritibus eosdem imbuisset, ad præsentium Nouatorum sugillationem exponit. *Quibus baptisatis* (inquit Vrspergensis) *& conuersis, Ecclesias construxit & consecrauit, & hæc secundum SS. Patrum instituta eos seruare docuit, scilicet vt Sexta feriâ abstineant à carne & lacte, more cæterorum Christianorum (id apud Polonos solos sancitum est, à lacte abstinere sextis ferijs) Dominica die vacent ab omni opere malo & ad Ecclesiam, diurnum Officium audituri veniant, ibiq; orationibus studiosè insistant, Solennitates Sanctorum cum vigilijs, vel secundum quod eis indicatum fuerit, cum omni diligentia obseruent: Sacrosanctam Quadragesimam, ieiunijs, vigilijs, eleemosynis, & orationibus diligentissime obseruare studeant Infantes suos Sabba-*

*Sabbato S. Paschæ, & Pentecostes, cum candelis & cappa, quæ dicitur vestis candida, & Patrinis comitantibus, ad Baptismum deferant, & celebrationi Diuini officij interesse satagant. Hoc etiam iniunxit, ne filios suos necarent, quod nefas inter eos maxime vigebat. Ne etiam filios suos & filias ad baptismum teneant, sed sibi Patrinos quærant, Patrinis etiam fidem & amicitiam, vt carnalibus Parentibus seruent. Indixit etiam, ne quis commatrem suam ducat in vxorem, neq; propriam cognatam suam, vsq; in sextam & septimam generationem; & vnusquisq; contentus sit vna vxore. Ne sepeliant mortuos Christianos, inter paganos, in syluis aut in campis, sed in cæmeterijs sicut mos est omnium Christianorum. Ne fustes ad sepulchra eorum ponant, omnem ritum & prauitatem paganam abijciant, domos idolorum non construant, pithonissas non adeant, sortilegi non sint, ne quid immundum comedant, non morticinum, non suffocatum, neq; idolothytum, neque sanguinem animalium; ne communicent paganis (sed hæc ex ritu Græcorum potius quam Latinorum pergit) Ne cibum aut potum cum eis aut in vasculis eorum sumant, ne in his omnibus consuetudinem paganam repetant. Iniunxit etiam eis, vt dum sani sunt, veniant ad Sacerdotes Ecclesiæ, vt confiteantur peccata sua, in infirmitate autem suâ vocent Presbyteros ad se, vt confiteantur peccata sua, & Corpus Domini accipiant, iniunxit etiam vt de periurijs, de adulterijs, de homicidijs, & de cæteris criminalibus secundum Canonũ instituta, pænitentiam agant, & in omni Christiana religione, & obseruatione obedientes sint; Mulieres post partum ad Ecclesiam veniant, & benedictionẽ à Sacerdote, sicut mos est accipiant.* Huc vsque Vrspergensis de S. Otthone. Quæ cuncta non vt ab homine, sed vt à DEO ipso accepta, Pomerani susceperunt, & eo Doctore, in sacris Christianorum institutis, mirificè profecerunt, in tantum, vt etiam nunc fidem catholicam quantum in illis est, & per potentiam Principum hæreticorum Germanorum licet, tueantur & profiteantur; A Germanis Pomeraniæ nunc Dominis, Vandali dicti, qui origine Slaui sunt, & multo tempore sub Polonico sceptro fuêre, linguam quoq; Slauicam tenuêre, quanquam nunc armis & nouis Ger-

uis Germanorum colonijs oppressi, Teutonicum idioma vsurpent. Quod autem in literis Boleslai habetur, illum promittere S. Otthoni *linguæ interpretes* non in eum sensum id trahi debere, quasi Sanctus Episcopus linguam Polonicam siue Slauonicam ignorauerit, cum regnante Vladislao eius Boleslai Patre, in aula Poloniæ Regis educatus sit, & Consiliarij munere functus; sed quod sciret Boleslaus, cum ex Germania Presbyteros huius idiomatis gnaros, secum habere non posset, suos ex Polonia lectos Sacerdotes illi se submissurum pollicetur. Notandum quoq; illud, quod in vita huius S. Otthonis à nostro Bucelino scripta legitur, cum Legatum à Duce Poloniæ ad Henricum IV. Imperatorem fuisse, feliciterq; vota Ducis Poloniæ implêsse, siquidem inter Boleslaum Criuoustum, & Henricum IV. Imperatorem interuentu Otthonis, pax stabilita fuit, post multa bella, ante hostiliter inita. Insuper Soror Henrici, Boleslao in vxorem oblata, & Christina filia eiusdem Cæsaris, Vladislao, seniori filio Boleslai Ducis, in coniugium, cum amplâ dote similiter datâ, paxq; solennis ab vtrinq; conclusa. Meruit itaq; hic vir amplissimus de nostra Polonia.

## 8. Iulij. *VIII. Idus Iulij.*

IN Polonia Passio gloriosissimæ Christi Martyris & Virginis BENEDICTÆ quæ Regulam Sancti Patris Nostri BENEDICTI in Trebnicensi Poloniæ Cænobio, sub Sanctissima Cisterciensium nostrorum reformatione amplexa, tot virtutibus profecit, vt inter reliquas, Virgines DEO dicatas, singulari sanctitatis opinione fulgeret; quæ tandem à barbaris Scythis immaniter occisa, cum Martyrij palmâ cælum triumphans conscendit. *Menolog. Bened. ex Cisterci. Menol. & Chrisost. Henriquez, & Franciscus Binarius testantur.*

## *XVII. Calendas Augusti.* 16. Iulij.

S*Anctorum Monachorum Andreæ Zoerardi Confessoris, & Benedicti Martyris.* Quorum vitam D. Maurus Monasterij S. Martini in Vngaria Monachus & post Episcopus Quinque-Ecclesiensis ita descripsit, quam hîc pono. Tempore quo sub Christianissimi Stephani Regis nutu, nomen & religio Deitatis, in Pannonià rudis adhuc pullulabat, auditâ famâ boni rectoris, multi ex terris alijs, Canonici & Monachi, ad ipsum quasi ad Patrem confluebant, non quidem alicuius causa coacti necessitatis, sed vt nouum sanctæ conuersationis gaudium, ex eorum conuentu adimpleretur. Inter quos quidam Sancti Spiritus instinctu tactus, ex rusticitate quasi Rosa ex spinis ortus, nomine Zoerardus, hanc in patriam, de terra Poloniensium aduenit, & à Philippo Abbate, cuius Monasterium Zobor nominatum, in Nitriensi territorio, ad honorem Sancti Hyppoliti situm erat, habitu accepto, & Andreas nominatus, eremiticam vitam agere statuit, ibiq; quanta contritione cordis, & corporis maceratione seipsum affligeret, ex relatione sui discipuli Beati BENEDICTI secum conuersantis, quæ audiui paucis literis commendare decreui. Ego quidem Maurus nunc DEO miserante Episcopus, tunc autem puer Scholasticus, virum bonum vidi, sed quæ eius esset conuersatio, non visu sed auditu percepi. Ad nostrum ergo Monasterium ad honorem Beati Pontificis Martini consecratum, cum iam dictus Monachus BENEDICTVS sæpè venisset, mihi hæc quæ sequuntur de eius vita venerabili narrauit. Postquam idem Beatus vir Andreas, eremi solitudinem subintrauit, magnâ corporis defatigatione, Spiritualis autem vitæ corroboratione, ieiunium semper obseruauit, tribus diebus ab omni re quæ mandi posset abstinuit, pro dilectione gratiæ ipsius, qui propter homines *homo factus* quadraginta diebus ieiunauit. Cum autem quadragesimale tempus adueniret, exemplum vitæ regularis, sub qua Zo-

zimas Abbas degebat, vbi quadraginta quinq; dactilis quisq; quadragesimam deduxit, securus ipse, à Patre Philippo à quo habitum perceperat, quadraginta nuces accepit, & eo existens victu contentus, diem Sanctæ Resurrectionis cum gaudio expectauit. Eisdem vero & alijs diebus, licet esus ad corpus refocillandum, non solum non sufficeret, verùm etiam spiritum ipsum ad defectum perduceret, ipse tamen excepto tempore orationis, nunquam à labore cessauit, sed acceptâ securi, quendam laboraturus syluæ locum solitarium subintrauit, vbi cum præ nimio labore & ieiunij districtione, corpore & spiritu deficiente, quadam die præmortuus iaceret, quidam iuuenis pulcherrimus aspectu, & visionis Angelicæ, aduenit, & superpositum vehiculo, ad cellam suam perduxit. At extasi, in quâ erat, dilapsâ, postquam ad se reuersus, quod erga eum Dei misericordia ageret agnouisset, supradicto discipulo suo Benedicto, qui mihi hæc narrauit professus est eadem, constringens eum cum iuramento, ne ante diem obitus sui nota cuiquam faceret. Post laborem autem diurnum, corpori quietem nocturnam talem adhibuit, quæ magis tormenti & afflictionis quam requiei nomen habere potuit; planatum equidem truncum quercinum, sepi circumdedit: & per ipsam sepem arundines acutas ex omni parte infixit, ipse verò in trunco sedens, tali sessorio artuum vsus est reiteratione, vt si fortè corpus sopore grauatum qualemcunq; se in partem flecteret, arundinum acie sauciatum grauiter, euigilaret. Insuper & ex ligno coronam factam capiti suo circumponebat, ad quam quatuor in partibus, quatuor lapides suspendebat, vt si caput sopitum quocunq; inclinaret, lapide percuteretur. ô Beati viri Andreæ merces, quam beata & æterna vita, corona centies ornatâ, quæ in cælo recompensat, quod in terra grauiter emptum fuerat: ô inauditum genus confessionis, quod pretiosius facit regnum promissionis, non cibus, non requies, auferre potuit dulcedine vanâ, vitam æternitatis, & nequam spiritus

ſpiritus aditum inuenire nequiuit deceptionis. Hæc quæ inſerta ſunt, diſcipulo ſuo iam dicto BENEDICTO referente cognoui; qui & ipſe Patre ſuo defuncto, locum eundem deſertum inhabitare decreuit. Cum per tres annos, exemplo Magiſtri diſtricte vitam ageret, latrones ſuperuenientes, & multam apud ipſum pecuniam eſſe ſperantes, ductum ad ripam fluminis Wag iugulauerunt, & in ipſam aquã demerſerunt. Diu vero ipſius corpore quæſito, & non inuento, per integrum annum viſa eſt Aquila, in ripa fluminis Wag, quaſi quædam obſeruatura ſedere, per quam de corpore certi effecti, quendam aquis intromergi fecerunt, & ſic integrum quaſi nuper obijſſet inuenerunt. Poſitus autem eſt ibidem BENEDICTVS in Baſilica Beati Emeramni Martyris, in eadem ſepultura, in quâ pauſabant oſſa Sancti Patris Andreæ, qui mihi de eodem Beato Eremita omnia quæ ſcripſi iam retulit. Sed quæ ſequuntur, Philippus Abbas mihi Abbati conſtituto enarrare conſueuit. Cum igitur tempus reſolutionis ſui corporis immineret, indicans Andreas eis hoc qui aderant, ne ab vllo veſtimentorum ſuorum exueretur operimento, præcepit, donec Abbas Philippus, poſt quem miſerat adueniret. Qui Pater adueniens, vbi corpus venerabile iam mortui iacebat lauandum exuit, catenam æream viſcera iam attingentem inuenit. O mira res & inaudita, catena carnes intus putrefaciens, cute foris eſt obducta, ſed neſciri poſſet hoc genus Martyrij, niſi ad vmbilicum ligati nodus appareret metalli, ſoluta vero catena dum ex corpore trahitur, ſonus coſtarum læſarum grauiter, audiebatur; cuius catenæ partem mediam, ab Abbate eodem impetratam, & vſq; nunc cuſtoditam, petitioni Ducis Chriſtianiſſimi Geyſæ, cum deſiderio mihi pro ea inſtanti negare nequiui, ſepulto quoq; viri beati corpore, quæ per reuelationem Abbatis Philippi cognita, digna videbantur eſſe memoriâ, notaui. Tempore quodam latrones, quorum collegia, maximâ ex parte ſolitudinem inhabitant, in ſylua congreſſi ſunt, quibus confli-

 genti-

gentibus vnum eorum multum fauciarânt, conflictu dirempto, cum hunc vulneratum socij nequaquam in sylua dimittere voluissent, consilio inito ad cellam superius dicti viri Andreæ, cuius fama omnes circumquaq; attigit, eum deferre statuerunt, sed cum locus adhuc longè hinc abesset, latro in via defunctus est; corpore vero eius ad cellam deportato & in eadem posito, media iam nocte, cum ossa commendare vellent humo, subitò spiritu reuerso, iam mortuus resurgere cæpit, illis autem qui aderant valdè perterritis, & præ pauore fugientibns, resuscitatus ille reuocabat eos dicens. Nolite fratres formidare neq; fugere, Sanctus enim Zoerardus me à morte resuscitauit ad vitam. Illis quippe præ gaudio plorantibus, & vt discederet cum eis rogantibus, dixit, se nunquam ab ea cella discessurū sed ibi in perpetuū Deo & Sancto Zoerardo seruiturum. Fecit itaq; quod promisit, & vsq; ad obitum suum ibi permansit. Aliud quoq; eius miraculum, nequaquam reticere volui, quod eodem modo, Abbate Philippo narrante, cognoui: In ciuitate Nitria, quidam reus damnatus, suspensus est, qui post, solutus Dei misericordiâ, ad Abbatem venit Philippum, & qualiter per merita Beati Viri Andreæ liberatus esset indicauit; dixit enim, quia cum damnatus esset, semper nomen eius implorasset, & cum subleuaretur in patibulum, statim manibus suis, Beatus Vir Andreas, eum sustentauerit. At illi, cum eum omnes mortuum putantes, domum reuerterentur, ipse eum manu suâ solutum, abire permisit. O qualis meriti Vir ante Devm, qui visibilis apparens, homines soluat, cum inuisibilis inter Angelorum choros locum possideat. *Eousq; de vita & gestis horum beatorum, Maurus Episcopus Quinque-Eccles: quorum solennis memoria die 16. July agitur in Polonia.*

## 17. Iulij. *XVI. Calendas Augusti.*

IN Polonia Passio B. Stanislai Abbatis, & sociorum triginta duorum Monachorum. Stanislaus illustrissimo natus genere,

nere, Boleslai Regis cognomento Pudici consanguineus, cucullo & sanguinis sui purpura multo illustrior, quam cognati Regis diademate emicuit. Cum autem Tartarorum ingens vis, Nogaio & Celebuga ducibus, in Poloniam se per Russiam effunderet, fluminibusq; glacie concretis vsi, Lublinensem oram prætergressi, in Sendomiriensem impetum facerent, rerum aliquandiu potiti, in sacra inprimis loca immmaniter sæuierunt. Ea inter Cænobium Sanctæ Crucis in monte Caluo siue Lyssecio constructum, in quo Sanctus Pater Stanislaus triginta duobus Monachis religiosissimè præerat, similiter aggressi, in lectissimum Christi gregem, velut lupi ferocissimi inuolarunt, atq; in odium fidei, inhumaniter omnes contrucidarunt. Qui alacriter pro Religione Christiana, animas suas in sacrificium offerre non dubitantes, simul cum Abbate suo, qui sicut eos in vita sanctis informauerat exemplis, iam ad mortem non modo pro Christo non formidandam sed exoptandam excitabat, feliciter occubuerunt. Anno Christi 1260. *Franc. de Biuar. Menolog. Benedictinum. Henriquez, istis verbis referunt.*

Super tumulum vero eorundem, in Ecclesia præfati Monasterij S. Crucis, ad cornu Euangelij summi Altaris; talis Inscriptio marmori incisa, legitur.

*O vos felices Martyres, qui abdicatis mundi illecebris, in hæc iuga, cælestibus æstuantes concessistis: ac ab immani Tartarorum impetu oppressi, emensis turbulentæ vitæ fluctibus, victimam superis acceptam, sanguine vestro libantes, ad æthereas sedes, haustis diuinitus animis euolastis. Frater Boguslaus Abbas ex veteri tumulo huic commodiori loco reddit, & cum Fratribus suis ritè veneratur. Fauete Cælites facti, & hæc cacumina ab hostili furore tueamini, eosq; in his vitæ præcipitijs moderaminor, vt hic labe criminum expiati, exutâ mortalitate, propitium numen vobiscum sortiantur.*

# *MENSIS*
# AVGVSTVS.

## 14. Aug. *XIX. Calendas Septemb.*

IN Liuonia Sancti Maynardi Epiſcopi, Monachi Sigebergenſis, qui zelo fidei propagandæ ſuccenſus, cum eruditione, eloquentiâ & ſanctioris vitæ exemplo illuſtris eſſet; ab Archiepiſcopo Bremenſi, ad conuerſionem gentium Epiſcopus ordinatus, & in Liuoniam delatus, populis illis Chriſti legem nuntiauit, infirmitates ægrorum Cruce viuificâ perſanando, & ſenſim infidelium corda ad agnitionem DEI perducendo. Supra fluuium Dzwina non longe à mari tuguriolum pro ſe primo ſtruxerat, ex quo ad vicinos pagos & oppida digrediens, ægros curando & conſolando, reliquos beneuolos conciliauit ſibi. Iam vero creſcente fidelium numerô, duobus milliaribus Rigâ, Eccleſiam in loco Kierkolm dicto ædificauit. Inde Rigenſibus notior factus, ab eiſdemq; intra vrbem receptus, verbo & exemplo ad veræ fidei agnitionem ciues traduxit, apud quos Apoſtoli & Epiſcopi munia peragens, zelo DEI ardebat, fuitq; eloquio dulcis, pernox in vigilijs, efficax in ieiunijs, hiſq; perfunctus laboribus, & plurimis defunctus periculis, poſt innumera patrata miracula, Apoſtolicis meritis diues, laboribus tam dignis immortuus, ad æternitatis mercedem emigrauit. Floruit Anno Chriſti 1180. *Ex Annalibus Noſtris Benedictinis, Henriquez, Arnoldo Duaceno, Belforeſtio Tom. 2. SS. Ordin. &c.* Bzouius in ſua Propagine Ordini Prædicatorum eum aſſerit, ſed qua ratione, iudicent alij, cum Ordo necdum inſtitutus fuerit.

## 29. Aug. *IV. Calend. Septembris.*

IN Polonia Beatæ Aleydis Filiæ Caſimiri Regis, quæ mundi huius illecebris valedicens, voluntariam in Trebnicenſi Sacratiſ-

cratiſsimâ Ciſtercienſium Noſtrarum familiâ amplexa paupertatem, Sacro adoperta velamine, mores ſuos ſanctiſsimè inſtituit, vbi Chriſtum cunctis ſæculi delicijs præponens, & carnem ſpiritui ſubijciens, dignum bonæ conuerſationis fructum, Altiſsimo obtulit, & tandem virtutibus, & gratiâ miraculorum coruſcans, ad regnum cælorum perpetuo victura migrauit. *Ex Menolog. Benedic. & Ciſter. & ex Tabulis SS. Poloniæ.*

# *MENSIS* SEPTEMBER.

*Calendis Septembris.* 1. Septemb.

TRanslatio S. Heduigis Duciſſæ Poloniæ Monialis Trebnicenſis, quando aperto Sepulchro eius, odor mirificus omniũ nares impleuit, animoſq; ſtupore & gaudio affecit. Oſſa autẽ Sacri Corporis cum eleuarentur, conſumptis carnibus, & membrorum compage ſoluta, tres digiti ſiniſtræ manus eius, inuenti ſunt prorſus integri, & incorrupti, & intra illos exigua Imago Beatæ MARIÆ VIRGINIS quam illa viuens apud ſe crebro ferre ſolita, moritura eandem adeo ijs digitis ſtrinxit & retinuit, vt commodè auelli non poſſet. Repertum etiam eſt cerebrum eius incorruptum ac recentiſsimum, tum & liquor purus ac clarus, inſtar olei oliuarum, ſuauiſſimi mirandiq; odoris è capite erumpebat, ſindones & pannos quibus illud inuoluebatur madefaciens, perinde ac ſi è flumine extracti eſſent. Facta eſt hæc Translatio Anno Chriſti 1268. *Engelbertus in vita & Surius, Menolog. Benedict.*

*XV. Calendas Octobris.* 17. Septemb.

IN Pruſſia Paſſio B. Caſimiri Abbatis Monaſterij Oliuenſis, qui ſimul cum multis alijs ſui Cænobij Monachis, trucidatus Mar-

tus Martyrij Coronam promeruit. *Menolog. Cistercienſium copioſius de eo.*

## 18. Septemb. *XIV. Calendas Octobris.*

MEmoria Venerabilis Annæ Iagelloniæ, Ordinem S. BENEDICTI Profeſſæ Viennæ in Auſtria. Caſimirus Tertius Iagiellonides Rex Poloniæ, & Elizabeth Auſtriaca coniux eius, fortunatâ prole à Deo donati fuerant. Nam Vladislaum Regem Vngariæ & Böemiæ, Ioannem Albertum, & Alexandrum, Sigiſmundum quoq; Primum, tres continuo ſibi ſuccedentes, Reges Poloniæ, & Fridericum, qui R. E. Cardinalis, ſimulq; Gneſnenſis Primas, & Epiſcopus Cracouienſis fuit, ſextum quoq; Caſimirum, magnæ ſanctitatis Virum, quem Leo PP. X. Sanctorum numero adſcripſit, & Clemens VIII. officij duplicis ſolennitate honorauit, ſeptem inſuper puellas feliciter progenuerant. Horum natu maximus, Vladislaus Vngariæ & Böemiæ Rex electus & coronatus, duplici ſublimis Throno, & proſpere regnans, ex Francia coniugem Annam acceperat, ex quâ hanc Annam primogenitam, matris nomine in baptiſmate nuncupatam Anno Chriſti 1503. die 23. Iulij, Sancto Apollinari Martyri ſacrâ, horâ medij horologij ſeptimâ (*Genethliacum aſpectum notante, Matthia Miechouita lib. 4. Cap. 83. ſuorum Chronicorum*) aſcendente tertia facie Virginis, ſuſceperat. Verum Regina in ſecundo puerperio, quo Ludouicum filium enixa eſt, plurimum debilitata, Anno Chriſti 1506. die 26. Iulij hora Veſperarum extincta eſt. Poſt cuius obitum, Vladislaus Pater, bimulā tum Annam hanc primogenitam, matre iam orbam, Viennam ad Maximilianum Cæſarem deducens, eius tutelæ commendauerat, vt adultæ ætatis cum foret facta, nepoti Cæſaris daretur in coniugem. Æniponti igitur cum educaretur, inſignem morum grauitatem à pueritia ſtatim præferebat, quod videntes Aulæ Cæſareæ Procuratores, Imperatricem futuram ominabantur, & Auguſtam perſæpe dicto nuncupabant.

In ma-

In Matrimonium igitur, adultior facta, Lincij ad Danubium, Ferdinando desponsata est, vbi cum minorem pompæ apparatum, quàm mos Regum ferret, exhiberi cerneret, insigniter exinde se lætam ac contentam dicebat, quòd ad eius mentem planè omnia fierent; nam vanum fastum mundi, & inanem ostentationem Aulæ, à pueritia fermè exosa, fastidiebat iam exquisitam pompam, & se ad omnem pietatem, in spiritu humilitatis, & contemptu mundi, tametsi Regalibus ex voluntate directorum amiciretur, exercebat. Quo in connubio aliquot exactis Annis, morte sublatum amisit Maritum à cuius obitu, sanctiùs institutum vitæ, pridem à se desideratæ, confestim inijt: nam omnibus suis facultatibus in pauperes erogatis, in Monasterium Sanctimonialium Ordinis Sancti BENEDICTI, stupendo humilitatis in tanta Principe exemplo, instantissimè petiit suscipi, in quo, Cæsare vix permittente, recepta, veræ humilitatis operibus, religiosæ perfectionis studio, & meditationi continuæ se totam addixit, sic vt quandoq; extases fuerit experta, & Beatissimæ Virginis MARIÆ præsentia perfrui meruerit. In hac verò cælesti exercitatione austeritateq; pluribus peractis feliciter annis, Serenissimum stirpis Iagellonicæ, & Orbis Polonici sydus, veraq; Principis Nostri CASIMIRI Sanctissimi Neptis, cursu peregrinationis suæ ad miraculum prosperè consũmato, ad æternã felicitatem Anno 1534. die 18. Septemb. euolauit. *Miechouita lib. 4. Cap. 83. Corpus Hist. Pol. Tom. 3. lib. 2. & Chronic. Benedictinorũ Polonicum in fine lib. 8. de ea habet.*

# *MENSIS*
# OCTOBER.

## *VII. Idus Octobris.* 9. Octob.

BEati Aaronis primi Tynecensis Abbatis, & post Archiepiscopi in Ordine septimi & vltimi Cracouiensis. Beatus

 Aaron,

Aaron, in Gallia illuſtri genere natus, Cluniaci vitam Monaſticam, ſub Sancto Odilone Abbate profeſſus, pietatis & doctrinæ, ſpeciminibus enituit. Poſtulante verò Caſimiro Primo Rege Poloniæ, ſubmitti ſibi fratres ad fundationem, Monaſterij nuper à ſe ædificari, cæpti, inter duodecim alios, præſtantior hic Aaron venit, qui communi conſenſu iſtorum duodecim accedente Regis voluntate in Abbatem noui Monaſterij Tynecenſis felicisſimè ſuffectus eſt. Mortuo dein Rachelino, Sexto Archiepiſcopo Cracouienſi, Aaron propter Sanctimoniam vitæ, & virtutum ac doctrinæ præſtantiam, CASIMIRO Rege inſtante & petente ad regendam Sedem Archiepiſcopalem Cracouienſem, à Capitularibus Cracouienſibus, aſſumptus, & poſtulatus. Ad curiam Romanam, vt Legatus Regis vadens, & Benedictum IX. Coloniæ reperiens; celebris opinionis Vir, in conſpectu Summi Pontificis, Cardinalium & totius curiæ habitus, facilè vota Regis ob quæ principaliter venerat impleuit. Et poſt hæc per præfatum Benedictum, Papam Nonū, Coloniæ conſecratur, ordinatur, & Priuilegio Archiepiſcopi inſignitur, Palliumq; ſibi ſub hoc verborum tenore eſt conceſſum. *Pro reuerentia Beati Petri Apoſtolorum Principis, ſub cuius velamento te ſtaturum decreuiſti, & pro amore Regis Caroli alias Caſimiri Domini veſtri eiuſq; coniugis Mariæ, eorumq; Filij Boleslai, & pro honore totius Regni veſtri, ſtatuimus ſtabilimus, dicamus & benedicimus in perpetuum, in Eccleſia & Ciuitate Cracouienſi eſſe Archiepiſcopatum, & Metropolim, cui ſubijcimus omnes omnium Epiſcopatuū Parochias, quæ in toto ſunt Regno Poloniæ, vt Archiepiſcopali more vniuerſis præſideat. Tibi quoq; & ſucceſſoribus tuis, Pallium de corpore Beati Petri ſumptum concedimus, diebus ſolennibus à Iure inſtitutis deferendum* Hic Aaron Gradus viuorum, & memoriam defunctorum, tam in Eccleſiam, quàm in Diæceſim ſuam Cracouienſem, ſcribitur & creditur induxiſſe & Diæceſim ſuam ad complendum huiuſmodi gradus, in diebus Quadrageſimæ obligaſſe. Cænobium autem Tynecenſe, cuius Abbas erat, multis prærogatiuis,

gatiuis, libertatibus, & immunitatibus largitioneq; Decimarum manipularium, ad mensam Archiepiscopalem ante pertinentium, extulit & dotauit. Vniuersosq; Tynecensis Monasterij Abbates, eó honore perpetuo Priuilegiauit, & insigniuit, vt quilibet Tynecensis Abbas, sit in Ecclesia Cracouiensi Cathedrali Canonicus natus, Stallumq; in ipsa Ecclesia inter Canonicos obtineat, ac in eadem Ecclesia Cracouiensi infra Diuina officia & Horas Canonicas superpelliceatus & almaniatus incedat. Hic itaq; Aaron pro Dei gloria & Ecclesiæ vtilitate & pro Regni, Regisq; ornamento, multis laboribus confectus, rigorem instituti Monastici per totam vitam nunquam deserens, in magna opinionê sanctitatis, plenus virtutibus & meritis in Domino obijt gloriosè, Anno Christi 1059. Die 9. Octobris. Sepultusq; est in Cathedrali Cracouiensi, quam rexit Annis 12. Abbatiam verò Annis 13. Illustris autem multorumq; sæculorum apud Polonos viget huius Antistitis dignissimi fama meritorum, inter quæ computari debet, eius gentilitiũ vetustate & nobilitate, inter Galliæ Primores celeberrimum stemma, Tres Coronæ Regiæ, coloris aurei, in campo albo, intra militare scutum consistentes, ab Illustrissimo Cracouiensi Cathedralium Capitulo, ceu felicitatis omen & amplissimæ Symbolum gloriæ, assumptum, pro sigillo & tessera suorum Monumentorum continuò memorabilem pietate & heroicis factis, Archipræsulem suum seræ posteritati repræsentans. Cuius gloriæ particeps fieri Illustre aliud Vilnense Capitulum, laudabili æmulatione peroptans, easdem Coronas in stemma Collegij sui adoptauit, ne priori cedere videatur. De quo lege Okolscium Orbis Poloni Tomo 1. fol. 456. A die verò mortis ipsius, duo prope anni absumpti sunt, quibus sedes Cracouiensis, ob dissonam Prælatorum, & Canonicorum Cracouiensium eligentium vocem, vacauit. Tandem opera Boleslai Poloniæ Regis, Lambertus cognominatus Zula, per Alexandrum PP. II. Anno D. 1061. in Archiepiscopum Cra-

couienſem eſt conſecratus, eo quod eſſet vir literatus. Is Lambertus Zula, inſignia Archiepiſcopi videlicet pallium, de corpore Beati Petri ſumptum & Crucem petere à Summo Pontifice neglexit, propter cuius negligentiam Eccleſia Cracouienſis ſuo honore Metropolitico ſpoliata eſt. In eo tamen Lambertus ſatis abundè felix fortunatuſq; cenſetur haberi, quod Beatiſſimum Staniſlaum Glorioſum Martyrem, ſe abſumpto, meruit immediatum habere Succeſſorem.

## 15. Octobris. *Idibus Octobris.*

CRacouiæ Sanctæ Heduigis Duciſſæ Poloniæ, quæ pauperum obſequio dedita, etiam miraculis claruit, quam & Clemens PP. IV. numero Sanctorum adſcripſit. Heduigis Bertholdi Morauiæ Marchionis, Comitis Tyrolenſis, & Agnetis Marchioniſſæ Orientalis, & Comitiſſæ de Rochlitz &c. filia; ſorores tres lectiſſimas habuit, quarum Prima Philippo Galliarū; Secunda Andreæ Vngarorum Regibus, nuptæ; Tertia Kitzingenſis in Franconia Abbatiſſa, inſigni vitæ ſanctitate excelluit. Ipſa Henrico Barbato Poloniæ & Sileſiæ Duci nupta, tres eidem filios, Boleſlaum, Conradum, & Henricum Principes, totidemq; filias Agnetem, Sophiam, & Gertrudem genuit: quibus in lucem editis, pari cum marito voluntate, & cum Epiſcopi benedictione, votum continentiæ emiſit. Cæterum quia nouerat, in carne præter carnem viuere magni eſſe meriti, ad complectendam conſeruandamq; carnis integritatem & caſtitatem, quoſcunq; poterat, inuitauit. Nobile haud longè Vratiſlauiâ Trebnicenſe Virginum Cænobium cùm condidiſſet, in eo primum filiam ſuam Gertrudem Principem, Regum Regi deſpondit, quæ paulo poſt ob vitæ merita, Virginibus præfecta, centum ibidem Sponſas, Virginum Sponſo congregauit, & magna vitæ Sanctitate reſplenduit. Quin & ipſa poſt Chriſtum exiens extra caſtra, eò etiam ſe, cum paruâ familiâ contulit,

ſulit, & ibidem marito adhuc viuente, Domino ſeruijt; ſimiliter religioſa animi pietate propè Monacho effecto. Et quamuis Monaſticum Ordinem non fuerit profeſſa, (quo miſericordiæ operibus liberiùs vacaret; eſſetq; vnde neceſſitatem patienti tribueret) cucullum tamen induta fuit, & in ſeruando ſilentio, alijſq; Regulæ & Monaſterij inſtitutis, & vitæ aſperitate, Monachas omnes longè antecelluit. Patientia & manſuetudine ad miraculum enituit, quidquid juſtiſſimam etiam indignationem mouere ipſi poterat, placidiſſimè, his ipſis verbis in peccantibus reprehendendo. *Certè, & cur feciſti? Ignoſcat tibi DEVS.* Quotidiano ieiunio, præter Dominicas, ſeſe afflixit, tertiâ quidem & quintâ feria piſces, & lactaria admittens, ſecundâ autem & Sabbatho aridis leguminibus, quartâ & ſextâ ferijs, pane ſolum contenta. Vino nunquam niſi Dominicis & ſolennioribus diebus vſa, ab eſu autem carnium, & pinguibus perpetuò abſtinens. Sæpiùs cùm infirmaretur, prodita Duci marito quòd aquam pro vino biberet, ille experiri prius volens, quàm indignari, dum ex improuiſo ſcyphum illius raperet & guſtaret, aquam in generoſum illicò vinum prodigiosè verſam perſenſit. Lacrymarum gratiâ inprimis enituit. In templo cùm Diuinis intereſſet, inſenſibilis interdum viſa, corpore etiam in ſublime rapto, & cæleſti luce circumfuſo. Fuit feruentiſſimo in Deiparam ſtudio incenſiſſima, cuius icunculam aliquam eburneam præcipuo honore & amore proſequens, etiam domo egreſſa plerumq; in manibus præferebat, quâ cum languidis benediceret, illicò ſanitatem prodigiosè conſequebantur. Eandem imaginem moriens, ita fortiter manu ſtrinxit, vt commodè è manibus euelli non poſſet; tribus illis digitis ſiniſtræ manus, quibus eam fortiùs tenebat, multò poſt in tumulo repertis incorruptis. Miraculis in vita & poſt mortem magnis & admirandis fuit illuſtriſſima. Prophetico etiam Spiritu à Numine donata. Mortua eſt Anno Chriſti 1243. à Sanctis, Maria Magdalena, Catharina, Thecla, Vrſula, alijſq; pluribus

ribus Sanctis Virginibus, & Viduis ad cælestes triumphos euocata & educta. *Ex vita per Engelbertum Monachum. Mart. Cromero, Manriq, Menolog. Bened.*

## 16. Octob. *XVII. Calen. Nouemb.*

IN *Prussia, Sancti Brunonis Episcopi Ruthenorum & Martyris, qui Euangelium in ea Regione prædicans, ab impijs tentus manibus pedibusq; præcisis, capite truncatus est.* Martyrol. Roman. Bruno ex Illustrissimo Comitum de Querfurt sanguine natus, Frater Gebehardi Saxonum Ducis, ex Monacho S. Ioannis, Ordinis Diui BENEDICTI, Magdeburgi à Summo Pontifice Ruthenorum Archiepiscopus creatus & ad conuersionem Sarmatarum legatus. Qui lucra animarum in hominibus studiosè requirens, seq; laboribus pro gloria DEI maximis exponens, in Prussiam mouerat, vt eos à tenebris gentilitatis in lucem Euangelicam conuerteret. Prius tamen in Poloniam veniens, à Boleslao Chabry exceptus humaniter, multa ab eodem liberaliter, vltroq; collata, in pauperes statim erogauerat. Mox in Prussiam, vicinam mouens Polonis terram, verbum salutis, Theutonicam linguam bene callens, zelosè deprædicabat; ab incolis statim, ne ipsorum terris hoc ignotum Numen Nomenq; inferret prohibebatur; qui cùm generosius Mysteria fidei diuulgaret, à nonnullis duræ ceruicis hominibus, impias superstitiones suas abrogari non ferentibus, interceptus, crudelissimè tractatus, manibus deniq; ac pedibus immanissimè detruncatis, capite præciso, Anno Christi 1008. victor ad triumphos æternos euolauit. Occubuerunt simul cum eo octodecim Socij alij, eodem genere Martyrij affecti. Quorum omnium corpora insepulta ex Procerum edicto iacuerunt diu, de quorum nece certior factus Boleslaus Poloniæ Rex, vti prius Sancti Adalberti, sic huius Sancti Brunonis Sociorumq; eius mercatus est corpora, & sepelienda religiosè curauit. A Iulio vero I. Summo Pon-

mo Pontifice S. Bruno in Sanctorum relatus numerum, 15. Die Octobris, memoria eius recolitur. *Ex Menol. Bened. Ditmaro, B. Petro Damiani, Marianoscoto, Baronio.*

## *XIII. Calendas Nouembris.* 20. Octobris.

IN Polonia Translatio S. Adalberti Archiepiscopi Gnesnensis & Martyris ex Cænobio Tremesnensi, ad suam Metropolitanam cui triennio præfuerat Ecclesiam Gnesnensem. *Ex Historicis Polonicis & officio Patronor, Regni Poloniæ.*

## *XII. Calendas Nouembris.* 21. Octob.

IN Liuonia S. Bertholdi Episcopi, qui ex Monasterio S. Mariæ de Luka in Saxonia, cuius fuerat Abbas constitutus, in eam Prouinciam ad disseminandum Euangelium missus, & ad conuersionem gentium Episcopus ordinatus, cùm aliquamdiu Cruce signatis sanctissimè præfuisset, & in euersione infideliũ strenuè se gessisset, captus deniq; in hostium potestatem venit, & ab ijsdem Martyrio affectus, sanguine suo, Prouinciam illã Deo ab eo tempore dedicauit. De quo Angelus Manriq; inter alia sic scribit: *vix puto aliquem hominem reperiri posse, qui tot peragrauit Prouincias vt mortem fugeret, quàm hic vt inueniret; nec qui tam laborauerit, tantamq; adhibuerit diligentiam vt viueret, quàm hic vt Martyrij reciperet Coronam &c. Cuius sanguinis rigatione tam est Liuoniæ ager fæcundatus, vt licet ad illa tempora vnum solum tulisset Martyrem, eius in Episcopatu prædecessorem, postea quasi innumeros tulerit; donec stabilita in illo Regno Religione Catholica, omnes incolæ Patrem, Apostolum & Magistrum suum agnoscerent, & magno cùm amore & religione, memoriâ eius celebratâ, Sanctisq; Corporis reliquijs magno cultu frequentatis, anima quæ iam in cælo Deo fruebatur, eos in vita hac multis donis & gratijs locupletaret, eisdemq; eos ad gloriæ præmium adipiscendum disponeret.* ita Manriquez Cistercien.

*Pridie*

31. Octob. *Pridie Calendas Nouembris.*

IN Polonia B. Vladislai conuersi, Vladislaus mirâ vitæ innocentia & sanctâ simplicitate cælo gratissimus, cælitum Imperatricem singulari amore ac deuotione, sibi arctè deuinxit. Placet rem memoratu dignissimam ex Homilia quadam Beati Cæsarij: ad verbum describere. *In Polonia* inquit, *Laicus quidam in ordine nostro Cistercienssi conuersus est, nullam omnino sciens orationem. Est enim consuetudo gentis illius, vt cum intrant Ecclesias, caput pauimento allidant & pectus tundant, sicq; recedant. Cumq; instruendus esset conuersus, neq; Miserere mei Deus, neq; Orationē Dominicā discere posset, proposita est ei, Salutatio Angelica, ad quod ita respondit: tam dulciter sonat, spero quia bene discam. Quid plura? Citius illam didicit; quam sine cessatione die noctuq;, dum modo vigilaret, & cum delectatione multa ruminauit. Nuper mortuus est homo & sepultus, & ecce arbor pulcherrima, ramis & folijs decenter ornata, de illius tumulo egressa est mirantibus cunctis quidnā hoc esset, vel quid portenderet, ex consilio plurimorum etiam laicorum, qui tunc aderant, qui scire desiderabant, de quo loco radices eiusdem arboris exirent, reiecta terra viderunt omnes, quod principalis radix, de corde hominis egrederetur: Nec ignorabant causam qui eius nouerant vitam, nam in singulis folijs distinctis literis,* Aue MARIA *apparuit &c.* & inferius. *Hæc nobis relata sunt, à Domino Godefrido Abbate de Bergis, qui hoc Anno in eadem Prouinciâ visitauit.* Ita Cæsarius, & Menolog: Benedictinum hac die.

## MENSIS NOVEMBER.

2. Nouemb. *IV. Nonas Nouembris.*

COmmemoratio omnium fidelium Dofunctorum, quam solennem inprimis in vniuersâ Cluniacensi Congregatione Sanctisimus Odilo Abbas Cluniacensis instituit, & noster Aaron di-

ron discipulus huius Sancti Odilonis, sub quo & vitam Monachi professus, & dein in Poloniam Cluniaco cum alijs duodecim missus, primusq; Tynecij Abbas ordinatus fuerat, eandem deuotionem ingenti merito, inexplicabili animorum in purgatricibus flammis luentium bono atq; solatio, in suo primum Tynecensi Cænobio, & mox Archiepiscopus Cracouiensis & Metropolitanus cum esset, per Diæcesim vniuersamq; Prouinciam Poloniæ, indixit, propagauitq; Pro quâ singulari adinuentione, quid non solum Orbis vterq;, & sequuta posteritas, verùm etiam inferus purgandorum, Odiloni nostro debeat, nullius vnquam ingenium, seu labor quantuscunq; assequetur. Tot iam sæculis institutio hæc vtilissima perpetuat, & sequuturis quoq; sæculis perpetuabit, à nostris Cluniacensibus, Tynecium incolentibus, in Regnum Poloniæ introducta; & dein Pontificum Romanorum auctoritate probata, & in Vniuersali Ecclesiâ præcepta. Cuius nimirum ope suffragij, tot animorum purgatricibus flammis addictorum Myriades, cælo assertæ, & deinceps vsq; in finem mundi asserendæ, Cluniacensibus sanè Monachis obstrictissimæ, gloriæ Ordinis Nostri meritisque, immortaliter applaudunt. *Ex Annalib. Bened. & Monumentis Monast. Tyn. Biblioth. Cluniac.*

## *Pridie Idus Nouembris.* 12. Nouemb.

IN *Polonia Sanctorum Martyrum, Benedicti, Joannis, Matthæi, Isaac, & Christini Eremitarum.* Fuêre lectissimi hi Martyres, cum Barnaba Confessore, Monachi Brzeunouiensis Cænobij, vti vitæ sanctitate celebres, ita celebritate hominum minimè gaudentes; qui proin solitudinis desiderio, coniuratâ voluntate, ex Bôëmia in Poloniam secessêre, extructoq; tuguriolo, ex lignis coagmentatum sacellũ sibi constituentes, inibi durissimam vitam soli Numini vacantes instituêre. Prodidit paulo post fulgor ipse sanctitatis latere volentes, virtutisq; fama longè lateq;

teq; percrebuit. Quare Chabrun Poloniæ Principem, inuasit cupido videndi & alloquendi viros tantopere ex rumore commendatos; Qui vbi ad latebras eorum peruenit, & Sacellum in quo sacros psallebant Hymnos introijt, affusâ subitò oculis & animo suo religione, perinde est permotus, atq; si introisset penetrale Numinum non hominum. Deniq; illos, velut præsentia Numina veneratus est, tractauitq; liberaliter pecuniâ oblatâ, quam etiam illis inuitis abiens reliquit, præsidium futuræ inopiæ, quam summam adesse cernebat. Sed enim illi, qui non adumbratam, sed solidam colebant paupertatem, accersito Barnabâ, quem panis & oleris dispensationi præfecerant, tollere exitialem pecuniam, & ad Chabrum continuò referre iubent. Abeunte Barnabâ, superueniunt latrunculi quidam, & in tugurium nocte irrumpunt, quæsitâq; inibi, & non inuentâ Principis pecuniâ, iram & furorem in cædem insontium virorum conuertunt: occisi ad vnum omnes, & solùm Barnabas per absentiam incolumis est seruatus, qui nihilominus sui similis permanens, vitam quam cæpit colere, puram inculpatamq; ad fatalem vsq; diem seruare non desijt, & ipse quoq; in tumbâ Gnesnæ, in quam ante se interfecti sodales elati sunt, conditus est. Cæsi sunt pij Christi cultores, sub Annum Christi M. X. pridie idus Nouembris. *Car. Steng. Dubrauius Annal. Boëmiæ Tomo 2. In Menologio Benedictino ad literam ita habetur* In Officio vero Patronorum Regni Poloniæ de Sanctis his ad diem 12. Nouemb. sic legitur.

Benedictus, Ioannes, Matthæus, Isaac, & Christinus fratres Eremitæ Poloni, post Episcopi Adalberti, cuius erant peregrinationis comites necem, à Prussis multis contumelijs diuexati, & Prussiæ finibus eiecti, in maiorem Poloniam redierunt. Et quò expeditius humana contemnerent, & cælestia spectarent, in vastam solitudinem apud Casimiriam se receperunt, ibiq; casis quæ singulos caperent stramento ædificatis, non extraneorum

neorum tantum, ſed mutuam etiam conſuetudinem fugiebant. Mirum DEI viris, inerat abſtinentiæ ſtudium, cum aliqui eorum ſemel duntaxat, alij qui paulo tenerioris erant valetudinis, bis in hebdomodâ, oleribus & aquâ, pane nonnunquam adhibito, ſe reficerent. De quâ auſteritate victus, toto vitæ ſuæ tempore præterquam die Sacratiſſimo Paſchæ, quoad vixerunt nihil remittebant, veſtibus quas è ſetis equorum ſibi confecerant contenti. Quies non ſtratis mollioribus accerſita, ſed ſi quid dandum fuerat feſſis corporibus, humi iacentes, lapidem capitibus ſubijciebant. Tanta autem erat ſanctitatis eorum fama, vt Boleſlaus Chrabrus pius & ſanctus iſq; primus Polonorum Rex, præſens eos accederet, eorum Orationibus ſe & Regnum ſuum commendaret, grandiq; pecunia oblata, liberaliter & regiè Sanctos donaret. Sed Beati viri poſt aurum non abeuntes, nec vllam in pecuniæ theſauris, reponentes ſpem, vt qui pro Chriſti nomine renunciaſſent omnibus, è veſtigio, argentum Regi vt referat Barnabas vnus ex ſocijs, conſtituunt. Quod dum fit, ecce graſſatores, qui cognouerant munificè à Rege donatos, primâ noctis vigiliâ adſunt, Sanctos fratres in DEI laudibus opprimunt, extra caſas protrahunt, gladios intentant. Ferenda vobis quamcunq; impoſuerimus fortuna eſt, niſi quidquid vbicunq; locorum argenti reconditum eſt, noſtrum illicò fuerit, minitantur. Quare, aut pecuniam vltrò exponite, vel ſi moramini, vitam cum ſanguine profundite. Sancti, multis obteſtationibus Regi eſſe deportatam confirmant, quin etiam tuguriola vt excutiantur poteſtatem dant. Sæua auri cupiditas, vbi nihil minis extorquet, reliquum ſpei, tollendæ pecuniæ, in verberibus & ſupplicijs reponit. Deligantur fratres Sancti ad palum, ignibus ad latera admotis exuruntur: deinde circa rotarum vertiginem adſtricti, diutiſſimè verberantur, tota nox in crudeliſſima paupertatis Sanctorum & innocentiæ ſupplicia expenditur. Deniq; cum omnes iam artes potiundi argenti tentatæ

 eſſent,

essent, nec successissent, ne quid inausum de conceptâ crudelitate relinqueretur, ab ijsdem latronibus, Anno salutis humanæ Millesimo Quinto Pridie Idus Nouembris in DEI laudibus constantissimè permanentes trucidantur. Boleslaus necê Sanctorum cognitâ innocenti, eandem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis, qui Beatorum fratrum corpora, honorificentissimâ sepulturâ, Casimiriæ in maiori Poloniâ, condidit. Barnabas superstes in eremum reuersus, vitæ fratrum suorum æmulus, assiduis Orationibus, vigilijs, ieiunijsq; addictus, paulo post sancto fine quieuit; & ipse pij Regis mandato, ad fratres suos appositus; vt quibus in cælesti Patriâ esset coniunctus, in terris, eodem tumulo cum eis conditus quiesceret. *Ita in Officijs Patronor. Regni Polon.*

## *PARERGON.*

NOnnihil variare videtur hæc bina lectio, nec sibi conuenire, præsertim cuiusnā gentis & professionis Sancti fuerint, de quibus diuersi, varia adnotauerunt. Ac inprimis Longinus noster scriptor celebris & Canonicus Cracouiensis, duos ex his Ioannem & Benedictum Boleslao Regi, postulanti, à Romualdo Abbate Sancto & Eremitarum Camaldulensium Fundatore missos esse, his deinde reliquos quatuor ex Polonis, in societatem vitæ sese adiunxisse, scribit. Iam verò, Martinus Bielscius Histor. Polon. lib. 1. de rebus gestis Boleslai Chabry, cum horum Martyrum mentionem facit, duos Ioannem scilicet & Benedictum in Poloniam ex Monasterio Berensi venisse, & alios quatuor Polonos, se eisdem iunxisse, & simul conuixisse, tradit.

*Hagecus* autem, apud Böemos bonæ notæ author, Diuinissimi Adalberti Historiam pertractans, cum eodem Sanctissimo Archipræsule, ex Italiâ in Böemiam primum, ac deinde cum eodem in Vngariam & Poloniam vti comites vitæ, & laborum indiuiduos, Monachos habitu & conuersatione claros memorat con-

rat contendisse. Cui Dubrauius gentis itidem Böêmicæ adstipulatur, affirmando omnes sex, [ & sextum Barnabam includendo [ è Brzeunouiensi Cænobio Böemiæ, prodijsse. Vbi etiam addit, tuguria horum Martyrum ab ijsdem latronibus incensa non arsisse, ipsos vero cum exitum syluæ non inuenirent, Regis iussu comprehensos, & ad Martyrum tumulum alligatos, vt acerbissimum famis supplicium expenderent, diuinitùs cadentibus vltrò vinculis, solutos esse; cum pænitentiâ patrati sceleris ducti, ad DEI clementiam & eorum quos dudum necârant, patrocinium confugissent. Hoc quoq; idem Dubrauius refert, prædictos videlicet Martyres, post necem Diui Adalberti [ cuius erant comites, ] ad Gaudentium Archiepiscopum Gnesnensem diuertisse; quos ille cum auidissimè sé penes retinere & eorum sancto frui contubernio vellet, instantius illi obsecrare pergebant, quatenus aliquem secretum locum eius beneficio habere possent, vbi Domino in spiritu famularentur; Quorum precibus victus Gaudentius, in solitario quodam loco, factis casis pro ijsdem, manere hos permisit, quibus assignatis diebus, cibaria largiri consueuerat. *Hæc ferè Dubrauius.* Ex horum itaq; ambigua relatione, probabilius id certè videri, aliquos ex Brzeunouiensi, [ quod Berense Bielscius nominat ] Cænobio BENEDICTINO propè Pragam sito, in Poloniam aduenisse, cæteros ex Polonis certius certo fuisse. Quanquam minus pensandum sit, quâ gente oriundi, cum certò constet id, quod primario spectatur à nobis, eos Alumnos Regulæ SS. P. N. BENEDICTI fuisse, & à Polonis inter præcipuos Regni Tutelares coli recenserique. De quibus etiam habetur Hymnus apud quendam Religiosum scriptorem.

*CVltores nemorum, Lumina Patriæ*
*Sanctos quinq; Viros, claustra Monastica*
*Festiuis celebrent laudibus inclytæ*
*Nostræ templa Poloniæ.*

*Hi ſunt Gnezna tui Præſulis aſſeclæ,*
*Vexatos variè Pruſſia finibus*
*Quos exire ſuis iuſſit, & expulit.*
*Ad confinia Lechica.*
*Syluarum latebras in Caſimirico*
*Elegêre ſolo: parcus eis cibus,*
*Mundi nullus amor, nulla pecunia,*
*Solus gaza fuit Deus.*
*Nummorum cupidis præda latronibus,*
*Permiſſi, tolerant verbera Martyres,*
*Nec vertigo rotæ, palus, & ignium*
*Vis frangit patientiam.*
*Inter ſacrilegas intrepidi manus*
*Laudanteſq; Deum fortiter occidunt*
*Ac rubri fluido ſanguine, fulgidis*
*Cingunt tempora laureis.*

## 28. Nouemb. *IV. Calendas Decembris.*

POſnaniæ in Polonia Natalis Beati Caſimiri huius nominis primi Poloniæ Regis, qui ex Monacho Cluniacenſi permittente Summo Pontifice, ad Regiam ſubleuatus eſt dignitatem. Caſimirus Miecislaum Regem Patrem, Rixam, Ezelini Principis filiam, Otthonis II. Imperatoris Neptem, Matrem habuit. Patre mortuo cum minorennis etiamnum, eoq; minus Imperio aptus haberetur, Matre interea imperante, & exactionibus inſolitis Regnum vexante, Regiâ cum Matre exactus, exul in Galliam conceſſit, & ſtudiorum gratiâ primum Pariſijs ſubſtitit, dehinc in Italiam commigrauit. Vbi aliquot annis commoratus, cum celebre ob ſanctitatem toto terrarum Orbe Cluniacenſe Cænobium plurimum deprædicari audiſſet, eo contendere non differens, adeo loci Religione delectatus eſt, vt purpuram illicò, cucullo permutaret. Illic Sanctum Odilonem

lonem Abbatem loci Magiſtrum nactus, magnis virtutum profectibus, Magnus euaſit, mutatoq; in profeſſione Monaſtica nomine Carolus appellatus, & Diaconus ordinatus, animi demiſsione plurimum excelluit, exemploq; omnibus & ſpectaculo fuit. Regno interea, & externorum odijs, & ſeditionibus inteſtinis quaſſato ac pene peſſundato, cum iam ſeptenniū in Cænobio exegiſſet, à Poloniæ Proceribus, enixiſsimis precibus vt rediret exoratus, & à Summo Pontifice iuſſus, ægrè ad modùm Cluniacenſibus valedixit, & Sceptro ac diademate ſe inſigniri paſſus, ijs conditionibus, Religionis votis à Romano Pontifice abſolutus eſt, quibus æternum conſtaret, Polonos lectiſsimum è Monachis Regem habuiſſe.

1. erat *Vt Poloni ſingulis diebus Mercurij ieiunent, vnicâ tantum refectione contenti.*

2. *Vt ijdem omnes, rotundâ in morem Monachorum tonſurâ capillorum vtantur, nec vltra auricu'as ritu barbarico, quiſquam omnino comam promittat.*

3. *Vt feſtis ſolennibus, dum Sacra peraguntur ſinguli Equites faſciam candidam lineam, in modum ſtolæ, quâ in ſacris vtuntur Sacerdotes atq; Diaconi, è collo ſuſpenſam ferant.*

4. *Vt de ſingulis capitibus, exceptis Nobilibus & Sacris, tres obuli & cribrum auenæ, in lucernam perpetuò in Diui Petri æde arſuram pendantur &c.*

ITA plane aucto fænore inquit Baron: ad Annū Chriſti 1041. vt pro vno ſibi oppignorato votis ſolennibus Monacho, eum cum reddit Eccleſia, Polonos omnes quodammodo tonſurâ habituſq; ſchemmate ſolennibus diebus præferendo, & annui penſitatione tributi, perpetuo Monachos eſſe voluerit. Iuuit autem quam primùm & egregiè reſtituit Regnum afflictiſſimum Rex Sanctus: Böemiſq; ac Maslao Plocenſium Duce edomitis, ſæpius triumphauit, & prodigioſam aliquoties ſingulari Numinis opê victoriam retulit, aliaq; inter merita Sileſiam etiam Regno adiecit, vel potius rebellem, olim per Chabrum ſubactam,

actam, poftliminiò, Sceptro Polono vindicauit. Tanti ab omnibus factus, vt fuperftes etiamnum *Patriæ Pater* appellatus fit, & à morte, præcipuus à Diuo Adalberto *Regni ampliſſimi Tutelaris*, quin & ob Idololatriæ profligatas reliquias Apoftolus falutatus. Condidit autem potentifsima & magnifica Ordinis Noftri Cænobia, ijfq; colonias Cluniacenfium fuorum induxit. *Hæc ex Menologio Benedictino.* Interim placet infignis Poloni Hiftoriographi, Ioannis Dlugoffij Canonici Cracouienfis, fidelem & patriam hoc de Rege relationem Hiftoricorum, eius operum Tomo 1, lib. 3, in medium proferre.

## *Anno Domini* 1044.

EXperientijs multifarijs & felicibus fucceffibus Cafimirus, Primus Rex Poloniæ in rebus arduis & difficilibus, adiutum, auctum, & cohoneftatum, per Diuinam propitiationem fe recognofcens, egreffum quoq; fuum de Monafterio & Ordine, & affumptam Regni natiui gubernationem, intellexit Regum Principi placuiffe. Satagens itaq; crebra recollectione mentis, Creatori & Propitiatori fuo, pro fufceptis beneficijs, aliqua facere refponfura. Religionis quondam fuæ & Profeffionis, facratũ nempe Diui BENEDICTI Ordinem, qui eum in lege Diuina erudierat, & Monafterium decreuit fundandum. Mittens itaq; fpeciales ad Cluniacenfe Monafterium nuntios, multa per illos Abbati & Fratribus direxit donaria, denuntians eis, quantis illum clementia Saluatoris, & in Regni Poloniæ adeptione, & in hoftium profligatione, & in prolis mafculinæ fufceptione, glorificaffet decoribus. Simulq; exquirens & rogans, vt certi de Monafterio Cluniacenfi fratres, Religionis libros, Ceremoniafq; fecum delaturi, fibi remittantur, locum & Monafterium fumptu Regio ædificandum, & dotem amplam, & liberalem fundationem accepturi. Legatione huiusmodi Abbas Cluniacenfis fimul & fratrum facer cætus exhilaratus, celebratâ in Deum gratiarum actione, quod per Alumnũ

eorum collapsis & penè perditis Ecclesiæ & Patriæ apud Poloniam rebus, maximum adiumentum, robur & correctionem attulerit, morem suis precibus gerendum decreuit, & cum Nuntijs Regijs, duodecim fratres, quorum vnus Aaron nomine, vitæ maturitate, & prudentiæ sagacitate præcipuus habebatur, remittit. Hos Casimirus Rex Poloniæ ad se venientes, plurimùm de illorum aduentu exhilaratus, velut Angelos Dei videre meruisset, suscipiens, vnum Cænobium illis in monte Tyniec, ad fluenta fluminis Vislæ situm, & Cracouiâ duobus milliaribus distans, in honorem S. Petri Principis Apostolorum extruit, & pluribus oppidis, villis, possessionibus, introitiuis, prærogatiuis, libertatibus adeo dotat, extollit & locupletat, vt nullus yllius Monasterij in Regno Poloniæ ante & post hanc diem fundati fundus, dotis, tunc à Rege Casimiro præstitæ, & per eum etiam possessæ, vsque hactenus æquiparari poterit. Cui primus Abbas frater Aaron natione Gallus, Casimiro Rege procurante fuit institutus. Cui quidem Monasterio cætera Sancti Benedicti Monasteria & loca sub Prouincia Gnesnensi, sub quibuscunq; Diæcesibus alijs consistentia, subiecta sunt, & eius primariam dignitatem, debitâ obseruatione profitentur. Extant verò in eam diem apud Tynecense Monasterium, nonnulli Regulares & Chorales libri Cluniaco allati, vocationem fratrum ex Cluniaco, & fundationem, originemq; huius Monasterij testantes. Extruxit & aliud Cænobiũ Ordinis eiusdẽ & Professionis, ad flumen Odra, in loco qui Iulij mons (statiua enim quondã, Iulius Cæsar ibi habuisse fertur) à Polonis verò voce latina Lubens appellatur. Regiam autem & liberalem ei assignat dotem, donando eidem Monasterio, oppidum Lubens, Nouum forum, Bogunow, Dobrogostow, Napstir, Stepin, Vikschichno, Nalihin; & plures alias villas, possessiones, reditus, census, telonea, & introitus, atq; in flumine Odra, piscationes, & naulum; in syluis vero mellificia & venationes. Vtrumq; autem Monasterium, & eius hæreditates, atq;

atq; fortes, fingularibus libertatibus & immunitatibus, privilegiat; vtriq; vafa aurea & argentea, veftes quoq; nobiles & purpureas ad minifterium, & res Diuinas explendas neceffarias, abundè largitur. Et licet Monafterium Tynecenfe centum & amplius villis à Cafimiro primo Polonorum Rege fuerit dotatum, in quadraginta tamen villis, tunc eidem, à primario fuo Fundatore Cafimiro Rege donatis, nequitia & auaritiâ humana, negligentiâ infuper Præfidum diminutum fuit. Obtinuit infuper præfatum Monafterium Tynecenfe à Pontificibus, & à Cracouienfi Ecclefia, & præfertim ab Aarone Archiepifcopo Cracouienfi, notabilium Decimarum menfæ Pontificalis Cracouienfis liberalem donationem, quæ illi quieta & integra in diem hanc perfeuerat. *Hæc ex Longino fiue Dlugosfio Tom. 1. lib. 3. de Cafimiri Regis pia liberalitate.* Cafimirus autem Religiofiffimus, & fortunatus Princeps cum annos 18. fanctiffime imperaffet, plenus meritis, Boleflao filio Regni fucceffore relicto, ad palatia æterna migrauit. Anno Chrifti 1058. *Ex Longino, Cromero, atq; Monument: Monafterij Tynecenfis.*

Cæterum Diui Cafimiri Principis Religiofiffimi fanctitatem, multa funt quæ teftantur exempla, plura deferuiunt probando argumenta. Magnum inprimis eft, quod nafcenti concuffa tellus attremuit, grandi miraculo commota; quod peffimi parentes optimum genuiffent; quam certè, non tam trepidaffe quam tripudiaffe dixerim; illum Principem natum finu fuo excipiens, fub cuius felici regimine, aliquando refpiraret, ad cuius ortum in noui teftificationem gaudij, exilijt. Nec vanum id fuit exultantis elementi tripudium, etiam tunc optimus Princeps Cafimirus, cum vtriufq; Parentis exemplo, vix potuit effe non pefsimus, virtutibus fuis ex raritate pretium fecit, portentum enim eft à parentum vitijs degeneraffe. Alterum eft, quod admirabilem eximiamq; huius Principis ad omnem fanctitatem inclinationem monftrat; dum poft vnius Parentis è vita, alterius è Regno exceffum, alieno fcelere innocen-

nocentiſſimns exul in alio ſolo ageret, oblatos vltrò faſces Böemiæ renuit, & Imperatoris auunculi ingentes poſtponens promiſsiones, ſoli DEO placere deſiderans, & ei ſeruire pro magno regno reputans, triumphatâ vtraq; ſorte, fortunæ luſum ſuſpiciens, pro coronâ aureâ, deuotum DEO caput in aſceterio BENEDICTINO Cluniacenſi, Regno Mundoq; maior, redimiuit. Vbi ſui imperiū adeo feliciter cum inuaſiſſet, & in paradiſo Religioſæ contemplationis ſanctè verſaretur, in Polonis ſui deſiderium excitauit; qui primo poſt victum mundum, & ſe triumphatum, dignus tum Caſimirus à noſtris iudicatus, qui vt regnaret, rogaretur. At Caſimirus toties oblatis vltrò ſceptris, par contemnendis, meruiſſeq; illa contentus, habere contemnens, calcatis omnibus, ſeipſo maior, ſui Regnum, Regno, nobilius reputans, oblatos Poloniæ faſces (ſacra Religionis vincula ſeq; Diaconum eſſe opponens) repudiabat. Iubente tamen BENEDICTO IX. Pro-DEO Eccleſiam regente, è clauſtro ad ſolium, è cuculla ad purpuram mandato tractus, libero Regno, liber â votis Diaconus Monachus, Rex coronatus, & ad ſolium ductus, ægerrimam Rempublicam lentâ manu curare aggreſſus eſt. Illud verò tribuendum virtuti eius, & rariſsimæ pietati venit, quod Mars irreligioſum plane Numen, raro pietatem ſub ſceptris ſuis numerans, in Caſimiro deuotus fuit; qui æquè Militares ac Religioſas virtutes in ſe exprimens, probitatem in caſtris ſuis ſemper recenſuit, & ſuper Regium paludamentum Monaſticum ſcapulare, inter ipſa prælia circumferens, hoſtes tam facile quam ſe olim ſibi ſubiugauit. Ciuium ſuorum domeſtica diſsidia, feliciter compoſuit; & toties victor quoties pugnator, ipſammet victoriam inter ſtipendiarios viſus fuit numeraſſe. Sæpius quidem Cæleſtis virtus in eo patuit, at dum Mazos, alias Maſlaus dictus, Mazouiorum Dux, à quo hoc ipſum hæreditant nomen, cum ingenti Pruſſorum, Iazuingarum, Litauorumq; exercitu, ingentis ſpei & animorum pleno, contra Regis copias, aduentaret,

 maiorem

maiorem longè suo, exercitum hostium Casimirus contemplatus, concidere animo, pænitere præsentis fortunæ ac Regni, pristinam Monasticæ vitæ quietem ac tranquillitatem animo requirere, occipiebat; Interim his curis atq; cogitationibus fatigatum sopor opprimit: Ibi per visum diuinitus recreatus & confirmatus, postero die, pro concione militibus visum exponit, & repletos fiduciâ Diuini auxilij, alacres in aciem educit. Nec hostes pugnam detrectârunt: canunt signa, clamor vtrinq; attollitur, nusquam deest suis Regis prouidentia & adhortatio, vt Duce Deo certam victoriam amplectantur. Inspicitur interim in aere iuuenis augustâ specie corporis, veste candidâ, candido equo insidens, & in hostiles turmas vexillum inferens; nec morâ, terga vertunt barbari, instant acrius Regij fugientibus, fit strages maxima. In eo prælio cæsa sunt hostium 15000. capta duo Millia, ex Regijs pauci saucij, pauciores desiderati sunt. Rex in acie illa ad supremam virium defectionem dimicans, fortitudini suæ succubuisset, nisi militis vnius virtute stetisset, ne omnino tam palmari victoriæ immoreretur, qui semianimem Casimirum in castra deferens, ingens gloriæ & fortunæ suæ pondus tulit. Victoriæ vero huic, Mazos ex altâ trabe pendulus triumphalem addidit appendicem. Cùm verò Casimirus decimum octauum regnasset felicissimè annum, per circuitum regni, partâ manu pace insigniter recreatus, erectis multis liberalitatis Regiæ, & pietatis imitandæ æternùm Monumentis mansuris, magna cum opinione apud omnes sanctitatis adeptæ, æternitati, sui copiam fecit, cui laborauit semper. In ortu admirabilis, in progressu vitæ, & in morte ipsa laudabilis, cui Cometes præluserat priusquam cælum abiret. Diuinissimi huius Regis pretium, vt omnia alia desint, vel exinde colligere licet, quod nunc etiam annuo censu à Polonis redimitur. Quod egregie quidam in sua Panegyrica Ode expressit, Apostrophe ad hunc Beatum faciens.

*Te La-*

*Te Latij Pater,*

*Iam castra virtutis secutum*
*Castra tuis* BENEDICTE *quondam*
*Firmata claustris, Sarmatico parem*
*Indulsit aruo, te celer Istula*
*Adhucq;* demessi relictum
In medio capitis, maniplum
Gestans Polonus, *te memorem sibi*
*Latè reductis pingit in ædibus,*
*Tuoq; condemnatum, adusq;*
*Nunc etiam caput, esse voto,*
*Non erubescit. Te Tynecensia*
*Nunquam obsoleto claustra silentio*
*Vixisse, vicinasq; gaudent*
*Munificum docuisse ripas.*
*Iam qui Polonos nunc etiam leui*
*De nube spectas, discute nubilas*
*Regniq; Ciuiumq; rixas*
*Et niueos Lechiæ Lechisq;.*
*Precare mores. Sic tibi Regios*
*Stellata cæli semita lactei*
*Desacret axes, sic Polonus*
*Indomito fremat ære mauors.*

## *PARERGON.*

DE hoc insuper Casimiro, nonnulli Annalium scriptores; præsertim exteri affirmarunt, quasi is Ex-Monachus in Regni solio considens, excitatâ prole masculâ, Cluniacum rursus se recepisset, & ibi deuixisset. Hi etsi graues habeantur viri, decepti nihilominus sunt vocis aliqua similitudine, dum Ramirum, Casimirum putant, & vnum pro alio ponunt. De Ramiro Annales BENEDICTINI ad Annum Christi 1134. ad verbum sic

bum sic referunt apud Bucelinum. Admirando ſanè exemplo, Ramirus Sanctij primi Aragonum Regis filius, à prima iuuentute Monachiſmũ in Benedictino S. Pontij Cænobio profeſſus, deinde SS. Facundi & Primitiui Abbas, mox exigentibus tanti viri meritis Pompelonenſis, tandem Rotæ ac Barbaſtri Epiſcopus. Petro & Alphonſo fratribus ſuis Regibus Aragoniæ, ſine maſculâ prole mortuis, periclitante Regno inteſtinis tumultibus, ita ſollicitantibus apud Innocentium Aragonis atq; vrgentibus, Regnum ſumere, & filiam Ducis Pictauorum Raimundi, in vxorem ducere compellitur. Hic Oſcæ Anno 1134. Regia ſumens inſignia, cum Pontificijs infulis Regni purpuram & diademata iunxit, idem Rex, coniux, ſacerdos, Pontifex, & Monachus ſalutatus. Is cucullum ſub veſte Regia nunquam exuit, & multâ vitæ ſanctitate Regnum adminiſtrans, plurimis conſtructis Cænobijs, Regno ſe denuo, relictâ hærede filia abdicans, Monaſterio ſe reddidit. *Ita Luc. Marin. Vaſæus, Iepes, Bucel. & noſter Polon. Hiſtor. Math. Miech. de rebus geſtis Caſimiri I. Polon. Regis Monachi.*

## *M E N S I S*
# D E C E M B E R.

3. Decemb. *III. Nonas Decembris.*

VIllarij in Brabantia obitus Beati Alberti Abbatis S. Mariæ de Oliua Ciſtercienſis, qui Pruſſiam egregio perfectioris vitæ exemplo inſigniter illuſtrauit, & gregi Dominico plurimis ſanctitatis exemplis vtiliſsimè præſidens, in Monaſterio demum Villarienſi, ſicut diu ante, auditâ loci ſanctitatê, exoptauerat, cum ex occaſione Capituli Generalis eo diuerteret, morbo grauiore proſtratus, pijſsimè in Domino requieuit, ſub anno Chriſti 1272. *Chryſoſt. Henriquez. in Menol. Ciſter. & Gabriel. Bucelin.*

*IV. Idus*

*IV. Idus Decembris.* 10. Decemb.

IN Polonia Passio Ven. Sbignei Abbatis & Monachorum Cœnobij Claræ tumbæ Congregationis nostræ Cisterciensis, qui vnanimiter eadem fide, & æquali constantia pro confessione Christianæ Religionis, crudeliter trucidati à Scythis, palmam Martyrij promeruerunt. *Menol. Cister. Henriquez. Syllab. Sanctorum Polon. Men. Ben.*

*XIX. Calendas Ianuarij.* 14. Decemb.

IN Polonia B. Visennæ seu Visanegæ primæ Abbatissæ Monasterij Staniatecensis Ordinis S. BENEDICTI. Hæc Illustrissimis & pientissimis orta Parentibus, virtutem cum lacte imbiberat, & ab infantia statim, omnem ad deuotionem propendens, cum progressu ætatis magna incrementa spiritualis vitæ fecerat. Pater eius Vir illustris ac deuotus, Clemens de Klimontow ex familia Griffonum Comes & Castellanus Cracouiensis, de proprijs facultatibus, quas amplissimas possederat, Monasterium in Staniątki Ordinis S. Benedicti, huic suæ filiæ pompam mundi fugienti, & soli Deo placere desideranti, Anno salutis reparatæ 1253. erexit, & dotauit liberaliter, & ab Innocentio IV. Pontifice confirmandum curauit. In quo Monasterio hæc deuotissima Virgo in Abbatissam primam electa, nouello Virginum nobilium cætui, totius Sanctimoniæ, Monasticiq; rigoris exemplar, se semper exhibuit. Cum autem parentum suorum corpora Clementis Patris & Roscislauæ Matris pie in Domino defunctorum in dicti Monasterij Sacrario sepelienda curasset, ipsa quoq; laboribus religiosis consumpta, è carcere mortalis vitæ ad Sponsi immaculatum thorum citius properauit, magnâ sanctitatis suæ opinione apud omnes relicta. *In Cathalogo Beatorum & SS. Regni Pol. ponitur. Cuius Miechouita lib. 3. Cap. 52. fol. 161. meminit.* Et monumenta Monasterij

ſterij Staniątecenſis teſtantur ſuper eius ſepulchrum, cæleſtem & inſolitam lucem ſæpius viſam fuiſſe. De qua id etiam traditur, quod cum ex aſſe à ſuis parentibus ipſa & ſuum Staniątecenſe Monaſterium, omnium poſſeſſionum hæres inſcripta fuiſſet; præter omnem ſpem, Roſcislaua Mater Viſennæ ætate iam grandior, & partui minus apta ex Clemente Viro ſuo, filiũ ſuſceperat: quo in auram effuſo inter inſperatæ lætitiæ gaudia, grauius triſtari vterq; Parens cæperat, quod patrimonij nihil infanti reſeruaſſent: proinde mittunt ſciſcitatum, quo nomine infantem Viſenna vocari vellet, illa Parentum præpoſteram odorata curam, ſpiritu Dei plena, dici debere, nomine *Doiutrek*, id eſt craſtinus reſpondit; qui ſequenti die vix ſalutaribus ablutus aquis, ſtatim expirauit, & Parentes illâ qua tenebantur curâ liberauit, ſicq; Prophetico non caruiſſe ſpiritu hæc Virgo deprædicatur.

## *P A R E R G O N.*

PAucos ex innumeris Heroes recenſui Diuos, quibus in Ordine Benedictino ſanctitatis parta gloria eſt; è quibus, pleriq; in Polonia nati, collobijſq; veſtiti Monaſticis, fama nominis ac virtutum laude, Lechicum præclarè illuſtrarunt Orbem, ex vicinis alij Regnis felices in patriam noſtram aduenæ, campos Polonicos cum fidei exordijs, inſigniter percoluerunt, & proprio ſanguine ad conciliandam regioni campeſtri fertilitatem copiosè rigârunt: multò verò plures in omni laudis genere præſtantes fuiſſe non dubitamus, qui ex Sacra Religione Diui BENEDICTI progreſſi, per ſexcentos ſexaginta & amplius annos, patentes Poloniæ campos exercuerunt, populos conuerterunt, terris addiderunt decus, & cælum auxerunt numero Beatorum: quorum vel nomina recenſere, aut numerum probabilem definire, non humanarum virium eſt, ſed præpotentis Dei, qui ſolus numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat. Infiniti itaque nobis ignoti ignoratiq; tametſi

tametsi dignissima æternitate facinora, certissimè patrârint, inopia tamen scribentium, longoq; sæculorum tractu obliuioni dati sunt. Dum enim Scythia & olim sæua Lituania Russiaq;, immensa barbarorum agmina in Poloniam, post patratam Sanctissimi Præsulis Stanislai cædem, crebrius effunderet, & vrbes ac Monasteria igne deleret, soloq; æquaret; terga verterant meliores artes ac scientiæ, idq; solum curæ cuiq; fuit, vt miseram vitam quoq; modo posset, toleraret. Hinc ingentem numerum, illustrium Virorum, in antiquissimo Sanctæ Crucis, Sieciechouiensi, Tynecensi, Mogilnensi asceterijs viuentium, immane illud temporis præcipitium obtriuit, & subpressit, vt eorum apud posteros nulla supersit fama. Iam vero hic positos, ex probatissimorum authorum scriptis, Menologio Ordinis Nostri, Fastisq; erutos, spectandos nostro Horizonti exhibeo, non eo solum animo, vt eos æstimandos hominum generi proponam, & famæ victuræq; immortalitati consecrem; sed etiam vt Monachis hodie vitam degentibus, Maiorum suorum magna vestigia ostendam, fore ratus, vt tantos Ductores sedulò sequantur, quando exempla vim afferre ac mouere solent.

## *AD POLONIAM.*

*NE dubites, limen cæli tibi, terra Polona*
*Atque pijs natis posse patere tuis*
*En tot cælestes Diuos, quos ipsa tulisti*
*Vel quorum felix ossa beata tenes.*
*Hos imitare duces, Sacros venerare Patronos:*
*Haud procul á summo est, ora Polona Polo.*

# PROTESTATIO
## *AVTHORIS.*

CVM extet Decretum Apoſtolicæ Sedis, vt non admittantur Elogia Sancti vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper Perſonam; benè tamen ea quæ cadunt ſuper mores & opinionem, cum proteſtatione, quod nulla eis adſit authoritas ab Eccleſiâ Romanâ, ſed fides tantum ſit penes authorem. Huic decreto reuerenter inſiſtendo, hæc omnia in præſenti opuſculo à me collecta, auctoritatem humanâ maiorem ſibi non arrogâre profiteor, eaq; nonniſi communi loquentium & ſcribentium vſu accipienda eſſe, ac prout in Menæis, Faſtis, Necrologijs & Martyrologijs Ordinis Noſtri, & apud Scriptores fide dignos habentur.

F. S. S. P. T.

AQVI-

# AQVILÆ POLONO-BENEDICTINÆ, ALA DVPLEX.

*Quomodo portauerim vos ſuper Alas Aquilarum & aſſumpſerim mihi.* Exodi 19. 4.

*Perilluſtribus, Reuerendiſſimis, & admodùm Venerandis ac Religioſis Dominis, celeberrimorum per Regnum Poloniæ, Ordinis S. P. Benedicti Monaſteriorum.*

| | |
|---|---|
| *Tynecenſis;* | *Sanctæ Crucis,* |
| *Sieciechouienſis;* | *Mogilnenſis.* |
| *Lubinenſis,* | *Plocenſis.* |

*Profeſſis, Dominis, Patribus & Fratribus meis plurimum obſeruandis; Fr. P. Stanislaus Sczygielſki Præpoſitus Tuchouienſis, cum debitâ obſeruantiâ, ſempiternam felicitatem precatur.*

ITa naturâ comparatum eſt, vt ſingulari quadam vetuſtatis admiratione omnes trahamur. RR. DD. Hinc ea, quæ à priſci ſæculi hominibus claris profecta ſunt, & ad noſtram peruenerunt ætatem, multò pluris facere conſueuimus, quàm quæ præſentis æui induſtria elaborauit Atq; id meritò; cùm enim fluxa ſit ſublunarium conditio, quibus pereuntibus, alia ſuccedunt; hinc fit, vt res, quæ temporum iniquitate ſuperatâ, quaſi deuicto ſæculorum curſu, infinitos fortunæ fluctus euaſerint, animos noſtros iucundo ſenſu afficiant. Nam varia præteritorum euenta, quaſi quoddam vitæ humanæ theatrū

 exhibent,

exhibent, ex quo documenta ad actiones petuntur, magisq; præteritis quam præsentibus erudimur. Proinde egregiè in eam rem Plinius Maior, in Proœmio Historiæ Naturalis ait. *Res ardua, vetustis nouitatem dare, nouis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus verò naturam, & naturæ suæ omnia.*

Vt autem natalis soli dulcedo omnibus est gratior, sic earum rerum notitiâ impensiùs delectamur, quæ nos de Maiorum nostrorum, à quibus ortum traximus, in quorum loca & munia successimus, illustribus factis, deq; eorum priscis moribus, instruit: quippè, quòd illorum laudis & meriti pars in nos suo modo redundat. Origines itaq; BENEDICTINAS, & diuersos in Regno Poloniæ progressus, ac prioris æui illustriores viros, auidiùs scire cupiui: prodest enim vnicuiq; sua non ignorasse principia, atq; suos relegisse Maiores, cùm eorum cognitio, non tantùm ad imitationem, verùm & ad parandum gloriæ decus soleat excitare. Proinde vt desiderio meo satisfacerem, in eam rem, plures euolui Historiarum libros, Menologia adij, Metriculas & Tabularia excussi, ex quibus hæc Ordinis nostri in Poloniâ initia, quæ clarissima sanè magni viri, virtutis merito, & doctrinæ splendore reddiderant, fuisse deprehendi: quæ omnia, breui hocce Enchiridio comprehensa, iuris publici fieri procuraui, vt res memoratu dignissimas, ab obliuione hoc modo vindicarem. Quod quidem meum studium, vobis comprimis Dominis meis non ingratum fore confido, qui eiusmodi Symbola Venerandæ Antiquitatis, iam pridem desiderastis. Incultè id quidem præstitum à me est, rudi Mineruâ, exili stylo, insufficienterq; de rerum magnarum cognitione tractatum: ex eâ ratione, quòd ex archiuis Cænobiorum vestrorum longior historia petenda, meliorîq; alterius peritioris disponenda iudicio, & luculentiori eloquio adornanda foret; quibus subsidijs ego me destitutum profiteor. Nihilominus tenuitati reluctanti meæ, maiori animo ad opus

incenso,

incenso, ipsemet obnixus, quantùm horis succisiuis inter claustri obsequia, colligere potui, id totum deuotâ mente, ex debitâ erga Sanctissimam Religionem matrem meam obseruantiâ in medium profero, vestrisq; manibus ad legendum consecro. Hieronymi Vidæ Episcopi Albæ, Viri doctissimi potissimum persuasione inductus.

*Spero etiam fore, cùm quæ nos extrudimus ipsi*
*Olim aliquis Diuis & Musis charior ipsis*
*In melius feret, atq; impensius arte polibit,*
*Et quæ iam nostro primo patefacta labore est*
*Mollius ille viam, solidabit marmore secto,*
*Mî sat erit, specimen clari monstrasse laboris.*

# ALA DEXTRA.

## Origines & Fundationes Monasteriorũ Benedictinorum per Regnum Poloniæ, explicat.

### *Monasterium Tynecense Diæcesis Cracouien.*

A Diuo Casimiro eius nominis I. Rege Poloniæ fundatum est, Anno Christi 1044. Hic pientissimus Rex, in Monasterio Cluniacensi Ord. S. BENED. primùm Monachus, & gradu Diaconus; post, extremis necessitatibus Polonorum vrgentibus, Professionis & Sacramenti religione, per Romanum Pontificem solutus, gloriosissimus Poloniæ Rex fuerat. De Fundatione autem Tynecensis Monasterij per eum factâ, *Cromerus lib. 4.* sic inquit. *Pacato per circuitum Regno Casimirus, memor pristinæ conditionis & vitæ Monasticæ, victoriamq; contra Maslaum atq; barbaros, Diuino beneficio acceptam referens, Cluniacum, vbi Monachus fuerat, legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatem*

*gnitatem erga se DEI predicat, Sodalitati vniuersæ se suosq; commendat, aliquot Monachos ad se mitti postulat, qui Ordinis illius florentissimi quasi colonias quasdam in Poloniam deducant. Mittuntur itaq; 12 Monachi, quibus partim Tyneciam arcem, vno Cracouia milliario, supra Vistulam, cum centum amplius pagis, partim Lubensum oppidum ad Odram situm, cum compluribus itidem pagis & prouentibus alijs attribuit, domicilia Religiosorum exstruxit, atq; templa eaq; perampla, supellectili ad cultum Diuinum apta ornauit. Fuit autem primus Abbas Tynecensis Aaron, Gallus, cuius integritas, pietas, & industria, Cuniaci adhuc, Casimiro perspecta erat. Atq; is deinde Rachelino, sexto Archiepiscopo Cracouiensi vita functo, à sacro eius Basilicæ Collegio postulatus septimus successit, Regis fauore, & commendatione adiutus. Decimas, quæ ex bonis Tynecensis Monastrij, Cracouiensi Antistiti præbebantur, Abbati & Monasterio, iure sempiterno addixit & adscripsit. Diæcesim Psalmodijs & precationibus ijs, quæ Graduum vulgò dicuntur, onerauit. Multa item alia Casimirus Rex fecit & instituit, quæ ad Religionis & Reipublicæ instaurationem pertinere existimabat. Pace perpetua, post Maslaicum bellum, fatigatam superioris temporis malis Poloniam, mirum in modum recreauit; eoq; instauratoris pacifici cognomentum meruit.* Hæc Cromerus, Epis. Varmiensis, Rerum Polonicarum Historiographus purus.

Cùm autem hoc Tynecense Monasterium, iam vltra sex sæcula, inter prospera & aduersa, firmum consistat; longiorem de eius progressu & antiquitate narrationem in Chronicon peculiare quod meditor, referendo, Abbatum illius Seriem exhibeo nunc.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. | *B. Aaron. Archiepisc. Crac.* | 7. | *Brunius,* |
| 2. | *Anchoras,* | 8. | *Preiectus,* |
| 3. | *Berninius,* | 9. | *Gothmarus,* |
| 4. | *Scescus,* | 10. | *Hermanus,* |
| 5. | *Gabertus,* | 11. | *Milouanius,* |
| 6. | *Gerolius,* | 12. | *Chwalibosius,* |

13. *Rut-*

13. *Rutfridus siue Luitfridus,*
14. *Gothfridus siue Godefridus,*
15. *Boleborius,*
16. *Modlibosius,*
17. *Cosmas,*
18. *Daniel,*
19. *Albertus,* I.
20. *Henricus,* I.
21. *Ioannes,* I.
22. *Ioannes,* II.
23. *Michael,* I.
24. *Lutfridus,* II.
25. *Michael,* II.
26. *Siluester,*
27. *Henricus,* II.
28. *Ioannes,* III.
29. *Stephanus,* I.
30. *Albertus,* II.
31. *Ioannes,* IV.
32. *Petrus,*
33. *Martinus,*
34. *Ioannes,* V.
35. *Albertus,* III.
36. *Iacobus,*
37. *Ioannes,* VI.
38. *Stephanus,* II.
39. *Boguslaus,* I.
40. *Mscislaus,*
41. *Derslaus,*
42. *Henricus,* III.
43. *Stanislaus Roskoßka,*
44. *Boguslaus,* II.
45. *Bogdalus,*
46. *Matthias Skauinka,*
47. *Andreas Ozga,*
48. *Andreas Nosek,*
49. *Ioannes Sulowski,*
50. *Ioannes Piotrowski,*
51. *Stanislaus Baranowski,*
52. *Andreas Gniady,*
53. *Vincentius Baranowski,*
54. *Ioannes Lowczowski,*
55. *Hieronymus Krzyzanowski,*
56. *Andreas Brzechwa,*
57. *Nicolaus Mielecki,*
58. *Stanislaus Sulowski,*
59. *Stanislaus Lubienski,*
60. *Henricus Firley,*
61. *Carolus Ferdinandus Princeps Polon.*
62. *Petrus Gembicki,*
93. *Ioan. Carol. Konopacki,*
64. *Andreas Lesczynski,*
65. *Stanislaus Pstrokonski,*
66. *Matthias Poniatowski,*
67. *Hieronymus Lubomirski,*

Porrò ad pleniorem eiusdem Tynecensis Monast. cognitionem GREGORII IX. *Pontificis Max.* ex Originali desumptam Bullam produco.

GRE-

# GREGORIVS

## Seruus seruorum DEI.

DIlectis filijs, Lutfrido Abbati Monasterij Tynecensis, fratribus, tam præsentibus quam futuris, Regularem vitam Professis, In perpetuam rei memoriam. Religiosam vitam eligentibus, Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter, Dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium S. Petri de Tyncia, in quo, Diuino estis mancipati obsequio, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti Priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundū Deum & B. Benedicti Regulam, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus, inuiolabiliter, obseruetur. Præterea, quascunq; possessiones, quæcunq; bona, idem Monasterium, impræsentiarum iustè ac canonicè possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentijs suis; & de Rutki, de Kaszow, de Czułow, de Woykowo, de Prądnik, de Chorowice, de Radźieszow, de Steklec, de Gruszow, de Lapczyca, de Xiąznice, de Podolany, de Kargow, de Powozow, de Tuchow, de Zdanowice, de Vnochowice, de Bezdechowice, de Swepetnice, de Chorowice, de Sebna, de Deborzyn, de Smillo, de Powocewo, de Stregocice, de Tarnowo, de Pilsno, de Mysłosowice, de Lube, de Okulice, de Dunaiesz, de Viescie, de Czobalice, de Kleci, de Brzostek, de Opatowiec, de littore Vislæ

re Vislæ camerariorum, de Bitin, de Lantkowice, de Byczyna, de Grodziec, de Czundeia, de Laczany, de Stradowo, & de Goreslawice; Villas, cum Ecclesijs, hominibus, decimis, mellificijs, tabernis, venationibus, iuribus, piscationibus, tributis, stroza, pomocne, - - - & cum omnibus alijs pertinentijs earundem. Villas etiam de Dąbrowa, de Orzechowo, de Skawa, de Czerniechowo, de Wołowice, de Cieiowice, de Pisary, de Grodeszewo, de Wilkowice, de Babice, de Villa antiqua, & de Villa noua, de Opatkouice ad magnum sal, de Balice, de Sulistrzeiowo, de Macieiowo, de Suancice, de Trutnouice, de Chrostonowice, de Bodzanow, de Podluże, de Grodźina, de Piotrkowice, de Vrzuty, de Petrkowo, de Igołomia, de Chmieliniec, de Charuin, de Sulislawice, de Woiciechowo, cum decimis & alijs pertinentijs omnibus earundem. Ecclesiam quoq; de Magno Sale, & Cellam Sancti Laurentij in Kalisz, cum omnibus earum pertinentijs; Ecclesiam S. Andreæ, cum omnibus pertinentijs suis; & Sancti Nicolai, & S. Georgij Cracouiæ Capellas cum pertinentijs suis. decimas villarum, de Orłowa, Dąmbrowa, Chotebandz, Czerliczko, Maiori Gorzyce, Vchylsko, Ostrawa, Wierzbica, Zabłocie, Sucowo, Lancbaty, & Golkouice; ac decimas de sortibus in Kozle, pertinentibus ad Castellaturam de Raciborz, circa Rybnik, quas Venerabilis frater noster L. Vratislauiensis Episcopus, de assensu Capituli sui, Monasterio vestro piâ liberalitate concessit, prout in literis inde confectis, plenius continetur. Decimam de Sucow, & decimam duorum Mielec, annuum reditum duodecim marcarum argenti, & trium poledrorum, à quodam Boleslao Duce Poloniæ, vobis concessum; naualem transitum fluminis Vislæ iuxta vestrum Monasterium; libertatem, quam claræ memoriæ Boleslaus Rex Polon. & Iudith Regina vxor eius, vestri Monasterij Fundatores, concesserunt villis & hominibus vestris; duo macella in Cracouia, reditus salis quos habetis in villis de Sidzina & de Magno Sale; duas tabernas, & ius fori in Bi-

tom; in Siewior, nouum forum, vnum macellum, & vnam tabernam; in Łapczyca, liberum forum & tabernam; vſum venandi in Wiſloka & Beſiada; in Opatow forum & tabernam; tranſitum naualem in Opatowiec; & duas tabernas in Wiſlica; vſum quoq; fluuij, qui Skawina vocatur, tam in piſcationibus, quàm etiam in caſtoribus, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, vſuagijs & paſcuis in borris & plano, in aquis & molendinis, muris, & ſemitis, & omnibus alijs libertatibus & immunitatibus ſuis. Sanè, noualium veſtrorum quæ proprijs manibus aut ſumptibus colitis & de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat. Liceat quoq; vobis, Clericos, vel Laicos liberos & abſolutos, ex ſæculo fugientes, ad Conuerſionem recipere, & eos abſq; contradictione aliquâ retinere. Prohibemus inſuper, vt nulli Fratrum veſtrorum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit, ſine Abbatis ſui licentiâ, niſi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco diſcedere; diſcedentem verò, abſque communi literarum veſtrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem Generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clauſis ianuis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſsâ voce, Diuina officia celebrare. Chriſma verò, Oleum Sacrum, conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum qui ad ſacros Ordines fuerint promouendi, à Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & communionem ſacroſanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine prauitate qualibet exhibere. Adhæc nouas & indebitas exactiones, ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, Decanis, alijſq; omnibus Eccleſiaſticis ſæcularibuſue perſonis, à vobis fieri, omnino inhibemus. Sepulturam quoq; ipſius loci, liberam eſſe decernimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberauerint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, aut publici vſurarij, nullus ob-

lus obsistat, saluâ tamen iustitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea, & possessiones, ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent, reuocandi, sit vobis de nostrâ authoritate, facultas. Obeunte te, nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quâlibet subreptionis astutia seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres vnanimi consensu, vel Fratrum maior pars consilij sanioris, secundum DEVM & B. BENEDICTI Regulam, prouiderint eligendum. Paci quoq; & tranquillitati vestræ, paternâ in posterum solicitudine prouidere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, vt infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea, omnes libertates & immunitates, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas; nec non & libertates ac exemptiones sæcularium exactionũ, à Regibus & Principibus, vel alijs fidelibus, rationabiliter vobis indultas; authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat, præfatum Monasterium temerè perturb... aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus profutura: saluâ Sedis Apostolicæ authoritate, & Diæcesani Episcopi Canonicâ iustitiâ, & in prædictis decimis moderatione Concilij Generalis. Si qua igitur in futurum, Ecclesiastica sæcularisuè persona, hanc nostræ Constitutionis paginam, sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertiouè commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisq; sui dignitate ca-

reat, reamq; se Diuino existere iudicio de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris N. I. C. aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ vltionis subiaceat: cunctis autem, eidem loco, sua iura seruantibus sit pax D. N. I. C. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen.

*Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*
*Ego Thomas tit. S. Sabinæ Presb. Card.*
*Ego Bartholomæus tit. S. Pudentianæ Presb. Card*
*Ego Sigenbaldus tit. S. Laurent. in Lucina Presb. Card.*
*Ego Stephanus S. Mariæ trans Tiber. tit. S. Calix. Presb. Card.*
*Ego Ottho SS. Sergij & Bachi Diaconus Card.*
*Ego Romanus S. MARIÆ in Cosmed. Diacon. Card.*
*Ego Ægidius SS. Cosmæ & Dam. Diac. Card.*
*Ego Petrus S. Georgij ad velum aureum Diac. Card.*
*Ego Reginaldus S. Eustachij Diacon. Cadinal.*

Datum Perusij, per manum M. Martini S. R. E. Vice-Cancellarij, septimo Calend. Iunij, Indictione secundâ, Incarnation. Dominicæ Anno M. CC. XXIX. Pontificatus verò D. Gregorij PP. Noni, Anno Tertio.

## *Abbatiæ & Præpositura ab Archiabbate Tynecensi & eius Monasterio dependentes.*

Certum est, olim cuncta Monasteria Benedictina per Prouinciam Polonam sita, Archi Abbati Tynecensi subiecta fuisse; Archiuij Tynecensis vetustissimæ Chartæ, & integerrimæ fidei Scriptor Ioannes Dlugossius Cracou. Canonicus, Operum Historicor. Tomo 1. *lib. 3.* ad annum Christi 1044. testantur, vbi Dlugos. his verbis formalibus, *Cui quidem Monasterio* ( Tynecensi scilicet, nam de eo ibi agit ) *cætera S. Benedicti Monasteria, & loca, sub Prouincia Gnesnensi.* [ Prouinciam iam olim fuisse institu-

institutam & Congregationem Benedictinam per Poloniam, ex vi Bullæ Benedicti PP. XII.) *sub quibuscunq; Diœcesibus alijs consistentia subiecta sunt, & eius Primariam Dignitatem debita obseruatione profitentur.* emancipata tamen iam nunc alia sunt, & sibi facta Capita, præter hæc, quæ à Tynecensibus totaliter dependent & per eosdem nunc quoq; administrantur.

Orlouiensis Abbatia, in Silesia, Diæcesis Vratislauiensis insignis quondam, & duodecim villis, ac decimis aliquot benè prouisa, mitrâ quoq; & baculo Abbatiali decora. At hæresi Lutherana per oram illam ante 90. Annos grassante, bona illius Monasterij, per Ducem Tessinensem, in hæresim lapsum, & Cænobia inuadentem extinguentemq; violenter possessa & distracta, tenentur adhuc in manibus alienigenarum; Ecclesia verò, quam ab Hæreticis circa annum Christi 1631. per Commissionem Imper. extorsimus, adhuc Stemmata vetusta Tynecensis nostri Monasterij depicta in parietibus exhibet, per quæ, iuris se nostri fuisse, docet: in ipsius templi solùmmodo possessione reali sumus, sed de villis & dominio, sub iudice lis est.

Trocensis Abbatia, in Lituania, Diæcesis Vilnensis, ab illustri Principe Lituaniæ, Alexandro Witoldo in arce patriâ peruetusta, dicta Troki, Anno 1410. pro nostris Tynecensibus erecta, & dotata. Ex villis per fundatorem collatis, possidebat villam Stare Troki, Vaka, Vsztylance, Obrowo, & lacum Korwecho; cui Monasterio, Sigismundus I. Rex Poloniæ Anno 1517. decimas ex regali prædio Ilgi, & campos Szakry ac Siedliszce, in gratiam Bernardi de Wielicka Monachi primùm Tynecensis & Abbatis Trocensis, suiq; Theologi contulerat; insuper Anno 1639. Magnificus D. Ioannes Kłocki, Dapifer Caunensis, Capitaneus Miedzialensis, Trocensibus nostris, Villam Piossuny & Iurkance, & octo millia florenorum, ad Fundationem perpetui Cursus Mariani, & sex Missarum hebdomadatim per nostros celebrandarum, inscripserat.

Koſcelnenſis Præpoſitura in Maiori Polonia Gneſnenſis Archidiæceſis, de cuius initijs Miechouienſis lib. 3. c. 31. ſic habet. *Anno Domini 1209. Mieſco ſeu Mieciſlaus III. filius Boleſlai victorioſi, fundauit Monaſterium Ord. S. Benedicti in villa Kosciol ante Kaliß & illud Monaſterio Tynecenſi ſubiecit; pro dote verò contulit villas, Kosciol, Gora, Roßeiowo, Krankowo, Glogowa, Krzywoſadowa, Klißowo, Piotrkowo, Nadz rzowo, cum molendino ante Kaliß, & Liſiec villam ante Konin, bona illius Monaſterij ab omnibus tributis, & angarijs Polonicis liberando, tabernam ad hæc liberam cum teloneo ante caſtrum Kaliß perpetuò poſſidendam tradendo.* Hæc ille. Cuius Mieciſlai, annis ſingulis, Tynecij, ex Metriculâ defunctorum, 19. Decembris, peragitur commemoratio. Eius quoq; Monaſterij priuilegia Præmiſlaus Dux Maioris Poloniæ Anno 1278. & Caſimirus Rex, anno 1467. confirmârunt, quarum authentica monumenta habentur in Archiuo Tynecenſi.

Vnieiouienſis ad S. Nicolaum Præpoſitura, in Archidiæceſi Gneſnenſi, per Iaroſlaum Skotnicium Archiepiſcopum Gneſnenſem Anno 1379 erecta, & Tynecenſibus perpetuò tenenda oblata: cui attribuit duas areas, extra oppidum, & agros certos; decimas inſuper manipulares ex villa Borzewicko & Dominikowice. Inſignis fautor Ordinis noſtri hic Archipræſul fuit, qui ſtupente Polono orbe, abdicans ſe Primatiali dignitate in Laudenſe Ciſtercienſium clauſtrum ſeceſſerat; de quo illud quoq; memorabile fertur, quod cùm iuuenis adhuc Bononienſis in Italia Rector eſſet, authoritate ſuâ Bononiâ tranſtulerit Academiam, propter Anglum quendam Scholaſticum, à Magiſtratu vrbis capite plexum, nec prius eam reſtituit, donec pro cæde Angli ſatisfactum eſſet. Dicitur etiam, idem Iaroſlaus moriens mandaſſe, vt cadauer ſuum, non oſtio, ſed pertuſo pariete in Baſilicam ſepeliendum inferretur, quod non ritè neq; ordine Archiepiſcopum ſe factum eſſe diceret; at hoc veriùs ex humilitate, quâ inter Religioſos profecerat, teſtamento ordinaſſe putatur; eius anniuerſaria agitur memoria Tynecij die 8. Ianuarij.

Tucho-

Tuchouienſis Præpoſitura in Diæceſi Cracouienſi, per PIVM II. Summum Pontificem A. D. 1468. Tyneceſi Monaſterio incorporata, & per Matthiam Abbatem Tyneceſem meliori prouiſione aucta. Et hæc quidem Monaſteria, per Tyneceſes eò locorum ſubmiſſos reguntur profeſſos, quos ſubinde mutare, & de vno in aliud particulare, transferre ſolet Conuentus Tyneceſis. Habuit verò omnino plures Eccleſias, à primâ ſui erectione Tynec. Monaſt. vt potè Eccleſiam S. Andreæ Cracouiæ, & S. Nicolai, extra muros, & S. Gregorij, in arce Crac. Fuit eidem Tynecio incorporata, Eccleſia Xiąznicenſis, ſed harum poſſeſſionem & regimen, cum ſuis prouentibus, olim, alijs, per diuerſas conceſſit donationes.

## *Monaſterium S. Crucis, in Monte Caluo Diæceſis Cracouienſis.*

ILluſtre perquam & antiquitate venerandum, ab inclyto Polonorum Rege Boleslao Chabri Anno Dñi. 1006. fundatum, expoſtulante id S. Emerico filio S. Stephani Regis Vngariæ; qui ad Chabrum Regem cognatum ſuum viſendi gratiâ in Poloniam veniens, cum venationi inter cæteras hoſpitalitatis hilaritates vacarent, ad verticem famoſi apud antiquos Polonos Montis Calui deuenerant, cuius amænitate Princeps *Emericus* captus, inſtantiùs exorabat Boleslaum Regem, vt eò loci Monaſterium erigeret, vti & ſuus Pater, Stephanus Rex fecerat, pleriſq; in locis intra Vngariam Cænobia ædificando; illuſtrius verò & auguſtiùs, S. Martini in Monte Pannoniæ, ( in quo natus fuiſſe S. Martinus Turonum Epiſcopus fertur, ) exædificatum & ampliſsimè per Patrem ſuum prouiſum eſſe, in exemplum Chabro adducendo: quod libenter, interueniente tanto Principe, cognato ſuo, facturum ſe Chabrus Rex adpromiſit, & re ipsà, Eccleſiam & Monaſterium ædificari curauit: Cui Monaſterio & fratribus Caſſino vocatis, qui duodecim miſſi leguntur, Di-

tur, Diuus Emericus Crucem auream quinq; particulas viuifici ligni Crucis Dominicæ continentem, quam Parenti suo Stephano, Imperator Constantinopolitanus magni loco muneris miserat, & eam pro felici itineris decursu à Patre acceptam, super pectus tum Emericus ferebat, pro clenodio speciali donauit, vtq; sub titulo S. Crucis Monasterium illud perficeretur & vocaretur, à Chabro Rege Pol. impetrauit. Ecclesia tamen illius Cænobij, titulo Sanctissimæ TRINITATIS, sub primâ sui dedicatione consecrata est, ad trium idolorum Lada, Boda, Leli, in eo loco ab infidelib⁹ specialiter cultorum, abolendā omnē memoriā. Regaliter verò & sufficienter Boleslaus Rex illi Cænobio de reditibus necessarijs prouiderat. Deinde Vislaus etiā Comes, aliquot hæreditarios pagos dando, insigniter res istius Monasterij auxit: Creslaus quoq; Kurozwancki Castellanus Lublinensis commodas villas Boiska & Goiscza contulit; cæteriq; benefactores erga Sacrum locum deuotè affecti de suis facultatibus eidem addidêre nonnulla. Hoc Monasterium etiā, respectu suorum particularium Caput est & Generale, incorporatas enim, per suos Professos regit Præposituras.

*Præposituram in Koniomłoty Diæc. Crac.*
*Præposituram in Wąwolnica Diæc. Crac.*
*Præposituram Hospitalem in Słupia.*
*Plebanatum in Słupia, Diæc. Crac. &c.*

## *Monasterium Sieciechouiense In Diœcesi Cracouiensi.*

AB illo eodem Boleslaō Chabry, in villagio Nobilis Viri Sethegij ad ripam Istulæ Anno Dñi. 1010. amplissimè conditum & dotatum est. *Cui Monasterio* inquit Miechou. *lib. 2. Cap. 7. prædictus Sethegius Comes Vir potens & locuples & fundum contulit, & villas proprias duodecim prætereà dedit. Anno vero Domini 1139. Boleslaus Criuoustus, eidem possesiones aliquot contulit. Henricus quoq; Dux Sendomiriensis, Dux Iaczo, Comes Martinus, Comes*

*Krzywosad, præfato Monasterio plures villas addiderunt, quas ex integro si possideret, cæteris Monasterijs in Regno Polon. ditiùs esset.* Habet verò sub sua iurisdictione alia minora.

*Præposituram in Oppido Sieciechow.*
*Præposituram in Ciuitate Radom.*
*Præposituram in Oppido Puchaczow. &c.*

## *Monasterium Mogilnense in Gnesnensi Archidiæcesi.*

DE cuius initijs & progressu, *Math. Miechou. lib. 2. Cap 17. ita habet Boleslaus Audax Rex Poloniæ, Belam in Regnum Vngariæ cum restituisset, & Germanorum Boëmorumq; acies deuicisset, peractâ coronatione Belæ Regis in Albâ Regali, plurimis donis, & Boleslaus & suus exercitus præmiatus, in Poloniam reuersus est. Pro tantis verò beneficijs Deo gratias agens, vt par erat, Boleslaus Audax, Monasterium in Oppido Mogilno Gnesnen. Diæcesis Anno Dñi. 1065. fundauit & dotauit. Ex Tyniec verò Monasterio Diæcesis Cracouiensis Ord. S. Bened. Monachos in ipsum introducens, contulit & præfato Monasterio Oppidum Mogilno, ac pro fundo assignauit cum villis Czerwiensk, Chrenow, Bolmo, Velerich, Cossouo, Cremnow, Golumbino, & alios plures reditus ex curijs suis, piscinis, foris, & teloneis. Fuit autem primus Abbas Mogilnensis Mengosius natione Gallicus, olim de Cluniaco cum alijs fratribus receptus.*

Hoc Monasterium Abbatiale, in sua Collatione & regimine, habet aliquot particulares alias Ecclesias.

## *Monasterium Lubinense Diæc. Posnaniensis.*

FVndatum esse à Miecislao Maioris Poloniæ Duce, & tertio vsquè vltricibus armis Monarcha Polonorum, Anno Domini 1175. testatur Bielscius *lib. 2. fol. 140.* à quo etiam Laudense & Wagrouecense Cisterciensium nostrorum Cænobia, & Hospitale Posnaniæ, fundata esse scribit. Sed originales literæ

 & tradi-

& traditio loci illius, fundatorem asserunt fuisse Michaelem Comitem de Krzywin, ex familia Habdancorum. Cænobiũ alias insigne & religiosum in hodiernum tempus durat, annexa quoq; Particularia regit & per suos inhabitat, nimirum.

*Præposituram Iezouiensem in Gnesnen. Archidiac.*
*Præposituram Gostinensem in Diæc. Posnan.*
*Præposituram Choynatensem,*
*Præposituram Kissouiensem &c.*

## *Monasterium Plocense, eiusdem Diæces. Plocen.*

IN ipsâ arce Plocensi á Ioanne Duce Masouiæ, circa annum Domini 1270. erectum & possessionibus, decimisq; competenter dotatum. Habet ius patronatus & collationem in hæc particularia sibi subordinata, scilicet, ad

*Præposituram Rauensem*
*Præposituram Przybyssouiensem*
*Præposituram Zamscensem*
*Præposituram Lentouiensem.*

ISta sex Monasteria, *Tynecense, Sanctæ Crucis, Sieciechouiense, Mogilnense, Lubinense, Plocense,* Abbatialia sunt, & suorum respectu particularium, Generalia siue Capita; in quibus Nouitiatus habentur; & nulla subordinatio inter illa modò agnoscitur, quanquam olim vt diximus Tynecensis Archi-Abbas in alios Primatum habuerit.

## *Monasterium Lubusense in Diæc. Vratislauien.*

ERexerat hoc & dotauerat Casimirus I. Rex Poloniæ Anno eodem, quo Tynecense, nimirum 1044. & in eo Benedictinos Cluniacô vocatos, posuerat. De quo Ioan. Dlugoss. Tomo 1. lib. 3. ad Annum 1044. sic habet.

*Exstruxit Casimirus Rex & aliud Cænobium, præter Tynecense, eiusdem Ordinis*

*Ordinis & professionis, ad flumen Odra, in loco, qui Iulij mons, (statiua enim quondam ibi habuisse Iulius Cæsar fertur) à Polonis verò voce Latina Lubens, appellatur. Regiam quoq; & liberalem ei assignat dotem, donando eidem Monasterio oppidum Lubens, nouum forum, Bogunow, Dobrogostow, Napstir, Stepin, Vikschino, Nalibin, & plures alias villas, possessiones, reditus, census, telonea, & introitus, atq; in flumine Odra piscationes, & naulum; in syluis verò, mellificia & venationes; Vtrumq; autem Monasterium Tynecense & Lubusense, & eorum hæreditates & sortes, singularibus libertatibus & immunitatibus priuilegiat, vtriq; vasa aurea & argentea, vestes quoq; nobiles & purpureas, ad ministerium, & res diuinas explendas, necessaria abundè largitur.* Hæc Dlugossus loc. cit. quod quidem Monasterium Lubus, pacificè BENEDICTINI annis centum triginta possederunt. At post cædem Sanctissimi Præsulis Stanislai patratam, sicut corpus Viri Sancti in multas partes concisum, sic Regnum Poloniæ in diuersos Principes distractum fuerat; ita, vt vnusquisq; Ducum in sua Tetrarchia, absolutâ vsus fuerit potestate, cùm Poloniæ Coronam, Sedes Apost. ademisset, nec sceptrum vnus haberet. Anno itaq; Domini 1175. teste Miechou. lib. 3. cap. 26. *Boleslaus Altus Dux Vratislauiensis, amotis de Monasterio Lubus Monachis Ord. S. Benedicti per Regem Casimirum ex Cluniaco introductis, locauit Fratres Cistercienses Ordinis ex Monasterio Portuensi sumptos, supra fluuium Sola situato Cœnobio: cum consensu Ziroslai Episcopi Vratislauiensis, & Mieczislai Senis Principis Poloniæ patrui sui, cum consensu quoq; germanorum suorum Mieczislai & Conradi Ratiboriensis & Glogouiensis Ducum, & filiorum suorum.* Hæc Miechouita. Fertur nihilominus à multis, non exclusos fuisse Benedictinos à Monasterio, sed eosdem mutasse colorem, & Cisterciensem album pro nigro BENEDICTINO acceptasse habitum. Vt vt fuerit, ex eâ causa factum crediderim, quod hoc eodem tempore, circa annum Domini 1175. passim Cisterciensibus per Regna Catholica, Monasteria extruerentur: quorum Congregatio nuper per S. Bernardum

dum Clarauallensem ampliata, Principum studia traxerat, qui in eâ promouendâ, facultates suas in Fundationes Monasteriorum illius impendere, non putabant damnosum. Ipso itaq; tempore, Monasterium in Suleiow Casimirus Dux Sendomiriensis, Monasterium in Oliua Samborius Pomeraniæ Dux, Monasterium in Vąchocko Gedeon Episcopus Cracouiensis, Monasterium in Copriunica Casimirus Dux Poloniæ, ædificauerant, vti videre est apud eundem Miechou. præfato *lib. 3. cap. 26.* Boleslaum itaq; Altum Vratislauiensis tractus solummodo Ducem, cùm religio teneret, simile quid ad imitationem aliorum Principum, in gratiam nouæ Congregationi Cisterciensium faciendi, nec ex proprio haberet, (angustum tenens dominium,) quod in eos posset expendere, æternum Casimiri Regis diuinissimi beneficium, mutare præsumpsit. Longius tamen super hac re disceptatum fuit, quoad Tynecensis Abbas, omnium Benedictinorum per Poloniam Antistes Prouincialis, in gratiam nouellæ familiæ, Benedictini Ordinis surculo & propagini, per B. Robertum Abbatem Molismensem Ordinis Nigrorum S. Bened. institutæ, & pariter in Regulam S. Bened. iurantis, consensum præbuisset. Nullam itaq; Sacer Benedictinus Ordo, per hoc est passus iniuriam, in cuius gremio totum continetur, quidquid à nostris & Cisterciensibus vllibi possidetur. Iam vero in Regno Poloniæ hæc sunt,

## MONIALIVM ORD. S. BENEDICTI MONASTERIA.

### *Monasterium Staniotecense Diœcesis Cracouiensis.*

ILlustrissimus vir, Clemens, Comes de Rusceza & Klimontow Castellanus Cracouiensis, ex armis Grifforum, vti egregijs virtutibus, sic amplissimis opibus clarissimus Dynasta, cùm vnicam haberet filiam Visennam nomine, & eam nuptui tradere,

dere, tantæq; ditionis hæredem relinquere vellet, persuaderi Virgo non potuit, vt iniret connubium, quæ se à pueritia totaliter DEO vouisset, & perpetuam virginitatem seruaturam iam promisisset. Cuius sanctis propositis, optimus pater, contrauenire non audens, cum fratre suo Andrea Episcopo Plocensi æquè religiosissimo Præsule consilio facto, decreuit, in gratiam vnicæ suæ Visennæ Monasterium Virginum ædificare, & omnem possessionem dotis nomine eidem inscribere; proinde, commodo ad eam rem loco, propè querceta villæ suæ Staniątki, delecto, dum omnem materiem operi necessariam accumulat, miraculosè, nullo hominum deferente, in eum locum in quo nunc Monasterium situm est, transportatam vidit, & ita Superis placuisse illum locum censuit, in quo Cænobium amplum construxit. Reditus verò magnificos & plurimas possessiones, hic idem Comes dederat, quarum pars maior hocce tempore à possessione Monasterij auulsa deperijt, eoq; status rerum redactus est, vt vix quinquaginta alere possit, cum ante, centum Virgines faciliùs accommodasset. Erat olim hoc Monasterium, sub iurisdictione & cura Abbatum Tynecensium, quousq; Abbates Professi eligebantur Tynecij, à quibus, Præpositus, & quatuor alij Presbyteri Religiosi, ad obsequium Saniątecensis Cænobij delecti, submittebantur. Fundatio Monasterij per Innocentium IV. Pontificem confirmata fuit; In quo, munus primæ Abbatissæ egit, Visenna, quæ magnâ suæ sanctitatis opinione relicta Anno Dñi 1289. migrauit ad Dominum. Hoc monasterium, habet etiam suum particulare Sanctimonialium Cænobium, in Vrbe Cracouiensi, titulo S. Scholasticæ, Anno 1650. primùm ædificatum.

## *Monasterium Culmense in Prussia.*

EX Monumentis eiusdem Cænobij accepimus, ædificatum esse Anno Christi 1274. à Magistro Crucigerorum Ioanne; quod ille intenderat vno milliari à ciuitate Culmensi in loco

 quodam

quodam amæno extruere, sed flagrantibus bellis, commodiùs in ciuitatem ipsam, primariam tum in Prussia, deferendum putans, Culmæ, ad littus Istulæ, loco opportuno ædificauit, & certis prouentibus assignatis prouidit. Moniales autem ex Boëmia vocatæ Culmam feruntur, scilicet ex illustri Pragensis Vrbis Cænobio, quod in arce superiori ad latus Imperialis Palatij situm, priuilegiatū maximè & insigne præ cæteris habetur; nam quæuis illius loci Abbatissa, quæ liberè de gremio domus à suis eligitur, est prima Princeps Regni Böemici, & ius perpetuum habet, Reginam Böemiæ coronandi; quod ipsemet vidi fieri, Anno 1655. cum Elenora Gonzaga FERDINANDI III. Imper. coniux, in Reginam Böemiæ ritu solenni inauguraretur, corona eius capiti, per Abbatissam illius Monasterij & Pragensem Archiepiscopum tum Cardinalem ab Harrah imposita est, ad altare summum templi Cathedralis, in præsentiâ Imperatoris ipsius, & Regni statuum, ac Principum. Stetit verò in suo vigore, hoc Culmense asceterium, ducentis propè annis, sed post iniuriâ temporum & bellorum, sæuaq; hæresis grassantis per Prussiam tyrannide, iam extinctum fuit. Cui mirabiliter Diuina prouidentia subuenire voluit, dum stirpis nobilissimæ Virginem, Magdalenam Mortescam, illustres abnuentem nuptias, eò pertraxit, quæ deserti soloq; affixi Claustri feliciter curam suscipiens & ædificijs amplis ornauit, & bona pridem direpta prouidè vindicauit: eoq; feruore animi & perpetuâ mentis constantiâ instaurauit omnia, vt & Romam hoc in negotio bis adire, Comitijs Regni publicis, cum aduersarijs toties interesse, Regisq; suffragia implorare crebriùs grauata non fuerit: sicq; locus serenitati suæ redditus est, post eclypsim grauem, & depressus culmus in spicam fæcundam faustissimè repullulauit. Atq; vti sæuæ fulminibus tonitruisq; noctes, amænum subinde progenerant mane, ita tractus collisusq; vicissitudinibus locus ille, suam venustatem repetijt. Remeauit verò fortuna loco, cùm suæ faustitatis arbitram

bitram haberet eam, cuius nomen æternum venerari par est, quòd per illud nitescat. Miretur autem nemo, si gubernante hac Antistita, augustam Culmæ ætatem & beatam messem rediisse affirmo; Deuotio illa antiquis vix cognita, illud indefessum virtutum exercitium, illa morum venustas & cultura, quâ viciniæ toti innotescere occipiebat, quid aliud fuêre, nisi instrumenta renascentis felicitatis! & quas Erebi soboles hæresis, procellas & diras conciuerat tempestates, eas, magnum hoc sidus instaurandæ serenitati Prussico in horizonte exortum, sedauit. Ad eius etiam magisterium, illustrissimæ Virgunculæ Firleianæ, Sieniauianæ aliæq; prænobiles, passim concurrebant, & vastos in DEVM Spiritus Matris suæ complectebantur, ac propriæ magnitutidinis normam ex ea accipientes, eiusq; vestigijs insistentes, ad grandia adnitebantur; quarum sanctum profectum in Domino, illustrissimi Proceres, Heroes & Heroinæ contuentes, eiusmodi surculos pietatis ab illa Vinea precariò communicabant, quos in suis partibus florentes vt haberent, plurima Claustra fundârunt & dotârunt: Tanto successu, vt ex vnico Cænobio, tanquam ex Equo Troiano, plures eductæ phalanges Virginum, viginti Cænobia nouiter pro se erecta feliciter impleuerint: quorum Cænobiorum est hic Cathalogus.

*Monasterium Torunense* } *In Prussiâ.*
*Monasterium Zarnouense* }
*Monasterium Posnaniense in Maiori Polonia.*
*Monasterium Sendomiriense in Minori Poloniâ.*
*Monasterium Iaroslauiense* }
*Monasterium Præmisliense* } *in Russia.*
*Monasterium Leopoliense* }
*Monasterium Serpcense* }
*Monasterium Lomzense* } *in Masouiâ.*
*Monasterium Radomense.* }

In Ma-

IN Magno vero Ducatu Lithuaniæ, earundem Benedictinarum, ex Culmensi Monasterio ortum suum ducentium, florentissima ante Moschi irruptionem fuêre Cænobia, nimirum 1. *Nesuesense*, Ducali magnificentiâ per Illustrissimũ S. R. I. Principem Nicolaum Radiuilum, Ducem Nesuesensem, erectum; in quo, neptis prædicti Ducis & Fundatoris, iam nostrâ memoriâ, D. Christina Euphemia Radiuila, Soror germana Alberti Radiuili Ducis Olycensis, & Cancellarij Lithuan: munus Abbatissæ gessit, & suo Monasterio, cæterisq; alijs, per Lithuan. positis, insigniter præluxit & profuit.

2. *Monasterium Vilnense*
3. *Monasterium Caunense*
4. *Monasterium Minscense*
5. *Monasterium Orsense in Alba Russia*
6. *Monasterium Crosense in Samogitia*
7. *Monasterium Smolenscense.*

Hæc omnia Monasteria Benedictinarum, sunt de Congregatione Culmensis Cænobij.

## *Monasterium Rigense in Liuonia, tituli S. Mariæ Magdalenæ, Monialium Ord. S. Bened.*

S. Meynardus Sigebergensis in Saxonia Professus Ord. S. BENEDICTI zelo propagandæ fidei succensus, cùm eruditione, eloquentiâ, & Sanctioris vitæ exemplo illustris esset, Episcopus ad conuersionem Gentium, per Archiepiscopum Bremensem fuit ordinatus; atq; in Liuoniam delatus feliciter, populis illis, cum S. Bertholdo Abbate de Luka, Christi legem ambo prædicârunt, & innumeris patratis miraculis, Apostolicis meritis diuites effecti, Rigæ, Ecclesiam B. V. MARIÆ fundauerunt, quæ in Archiepiscopalem Sedem electa, Aquilonaribus populis diu præluxit. Per eosdem Monasterium quoq; Sanctimonia-

monialium in eadem Vrbe erectum fuit, Anno 1185, in quo Moniales Benedictinæ vsq; ad annum Christi 1591. continuò, etiam grassante hæresi, permanserunt; nimirum quando Stephanus Rex Poloniæ expugnatâ Rigâ, vrbem victor ingressus, in medio fori fixis tentorijs, leges rebellibus tulit; tunc Anna Abbatissa silicernia annisq; consumpta Virgo, Regis victricem complexa dexteram, Simeonis annosi instar, dissolutionem sui corporis optare, quia vidissent oculi eius, in hæretica Vrbe, Catholici Regis trophæa; thesaurisq; sui Monasterij, cum pretiosâ Ecclesiæ supellectili, quam ingeniosè conseruauerat, in Regis notitiam deductis, sibi omnino mortem instare asseruit, interim Rex Monasterio prouideret. Qui ad fortem instantiam Patrum Societ: quò faciliùs hæresim proscriberent, si fixum in illa Vrbe domicilium obtinerent, Monasterium illud cum amplissimo sacro apparatu, eisdem contulit; in quo illi aliquot annis securè morati sunt, at postquam rursus fide fractâ, Rigenses rebellârunt, è vestigio Patres Societ. exclusi, & detestabiles Ministri sunt introducti. Sic itaq; locus Ordini deperijt, sic fides Catholica, quondā per S. Meynardum Monachum Saxoniæ fundata, per Mart. Lutherum excucullatum pseudomonachum Saxonicum, sacrilegè exterminata est. *Liuonia vero, cum iure hæreditario ad Regni Polonici Coronam spectet, meritò etiam Rigense Ord. nostri Monasterium, Aquilæ Polono-Benedictinæ inscribitur.*

Et hæc de Monasterijs Monachorum Monacharumq; Ord: S. BENED. ab atro colore, vulgò *Nigrorum*, quæ per Prouincias Regni Poloniæ extant, sint dicta. Aliarum Congregationum sub Regula B. Benedicti militantium, in Regno nostro non habentur Monasteria, præterquam Cisterciensium & Camaldulensium, quorum etiam Elenchum adijcio, cùm eadem ad nostrum Ordinem Benedictinum, tanquam palmites ad suam vitem spectare non ignorem.

## *Monasteria Congregationis nostrorum Cisterciensium.*

L*Audense*, *Paradisiense*, *Obrense*, *Wagrouecense*, *Blezouense*, in Maiori Polonia.

*Copriunicense*, *Mogilense alias Claræ Tumbæ*, *Andreouiense*, *Suleouiense*. *Vachocense*, *Scericense*, in Minori Polonia.

*Oliuense*, *Peplinense*, *Cornouense*, in Prussia.

Hæc omnia Monasteria Abbatialia sunt, suosq; Cænobiarchas Infulatos habent; multaq; alia Particularia Monasteria sibi subdita, & Præposituras, Parochiasq; annexas, vnumquodq; ex his manutenet, quæ enumerare prolixum foret.

Iam autem Sanctimonialium Cisterciensium, quantum sciam, duo tantùm in Polonia reperiuntur Cænobia, suas Abbatissas & prouentus sufficientes habentia, videlicet, *Trebnicense* à S. Heduigi fundatum & dotatum, & *Olobocense* in Maiori Polonia.

## *Monasteria Congregationis Eremitarum Camaldulensium in Regno Poloniæ.*

1. *Monasterium Montis Argentei propè Cracouiam.*
2. *Monasterium Varsauiense extra ipsam Ciuitatem.*
3. *Monasterium Rytuianense.*

ALA

# ALA LÆVA.

## Memorabilium in Regno Poloniæ Benedictinarum rerum, & Virorum eiuſdem Ordinis aliquot illuſtrium *Chronologiam* breuem, ſeu potiùs, *Hiſtoriæ Polonæ fragmenta*, præfert.

*Anno Chriſti* 854. — *Anno S. Pat Benedicti.* 374.

SAnctus Anſgarius, ex Monacho Corbeiæ, magnus Septemtrionis & Aquilonarium Regnorũ Apoſtolus, Bremenſis & Hamburgenſis Archiepiſcopus Primus, cum apud Saxones, Pomeranos, & Liuones Chriſtum prædicaret, Slauis quoq; & Polonis radij fidei Chriſtianæ, per eum, illuxerunt. *Ex vita S. Anſg. cuius dies feſtiua habetur 4. Febr. videatur Menol. Benedictin. & officia Patr. Sueciæ.*

967. — 487.

Miecislaus Polonorum Primus Chriſtianus Princeps, dum Religionem Chriſti per ſuas ditiones zelosè propagat, pleriq; Monachi Böemi, à Dabroucâ Boleslai Principis Böemiæ filiâ, nepte S. Venceslai Martyris, coniuge Miecislai, & Principe Poloniæ, in Poloniam è Böemia vocati, ſtrenuam operàm in conuertendis ſibi cognatis Polonis impenderunt. *Cadlubcus. Miechou.*

990. — 510.

Andreas Zoerardus ſeu Zoraucus, & Benedictus Sanctiſsimi noſtri Monachi, qui in Polonia nati, apud Nitriam, in Sobor Monaſterio Vngariæ, vitam profeſſi regularem, Confeſſorum alter, alter Martyrum, laureas conſecuti ſunt, ac inter primos Polo-

Poloniæ Patronos computantur. *lege vitam eorum 16 Iulij.*

991. 511. Pleriq; Monachi Slaui, ex Vngaria in Poloniam venientes, fementem veræ fidei promouebant.

992. 512. Sanctus Adalbertus noster, Cracouiam veniens, in medio vrbis foro, Böemico idiomate prædicare solebat, in quo nunc loco, Ecclesia eidem dicata post palmam Martyrij, extat. *Miechou. lib. 2. Cap. 8.*

993. 513. Boleslaus Chabrus Primus Polonorum Rex, hac viâ ad magnitudinem connisus, quod pietati & religioni apprimè deditus, omnes alias virtutes stipendiarias sibi fecisset; in eo quoq; fortunatus, quod spontaneum è patriâ suâ exulem D. Adalbertum Gnesnensis Archiepiscopatûs solio exceperit, ipsisq; adeo Metropolis suæ parietibus amplexus sit.

993. 513. Sanctus Adalbertus, Gnesnensi Archiepiscopatu triennio perfunctus, B. Gaudentio fratre suo, Monacho Brzeunouiensi & sui Apostolatus comite, pro se substituto, ipse in Prussiam proficiscitur.

998. 518. Hoc anno Sol lucidissimus Lechiæ, & Ordinis Benedictini decus, D. Adalbertus, à perfidâ gentilium Prussorum gente, necatus, remisq; ad portum æternitatis impulsus, Bonæ spei Caput cursu prospero superauit. Cuius sacrum cadauer, Chabrus auro redemit, & iniuriam ferro vltus est; sicq; alterum æquitatis, alterum liberalitatis Regiæ erexit monumentum. iudicio libræ, aurum Sacrumq; corpus permissum fuit, sed quam pulchâ leuitate, profanæ parricidarum auaritiæ, Martyr illuserit, palam fecit: vtrumq; pondus, centrum suum petebat, nam Adalberto cælum, tellus auro debebatur;

batur; vtq; vilissimus sui æstimator erat Sanctus, dum in claustris Benedictinis degeret, sic nec post fata, multo se auro redimi, est passus: vel certè vt neophiti Poloni scirent, tanta pignora non auro emi, sed cælitus à DEO donari.

1000. 520. Habebat tunc Polonia, cui Cæsares supplicarent. Scilicet Ottho III. Rufus Imperator, votorum reus, ad pretiosa D. Adalberti lipsana, vt vitam ei, post infirmitatem acceptam, referret, Gnesnam venerat: vbi, Diuiq; Regisq;, fauore, & humanitate exceptus, Coronam Regiam Boleslao detulit, quam B. Gaudentius noster, inuncto capiti regio, fausto omine, præsente Cæsare imposuit. Vt vero abeuntem Augustum eximio Rex prosequeretur munere, *brachiū D. Adalberti* obtulit, quo auxiliarem ei manum porrigeret: quod certè brachium, Otthoni, non vanum fuit omen, Romani Imperij fulciendi, ac retinendi. Nunc vero, illud sacrum brachium, Imperatori datum, & ab eo religiosè Romam delatum, Romæ asseruari cum audimus, quod, vel post fata, Romanæ Ecclesiæ stipulatâ manu, militet Adalbertus, inferimus; vel quod eum nobilem pro Polonia fideiussorem habeamus, qui suam pro nobis, Romanæ fidei, manum dedisset, meritò agnoscimus.

1003. 523. Reliquiæ gentilitatis per nostros Monachos in Poloniâ feliciter extinguuntur.

1006. 526. Tribus famosis idolis, *Lada, Boda, Leli*, ex monte Caluo sublatis, Crux Christi illata est, templumq; Sanctissimæ TRINITATIS, cum Monasterio Ordinis nostri, erectum.

1008. 528. Martyrio labores suos coronat, insignis noster, Prussiæ, Liuoniæ, Lituaniæ, Sarmatiæq; vniuersæ Apostolus, S. Bruno Archiepiscopus. R 3 A-

| | | |
|---|---|---|
| 1009. | 529. | Alius itidem ex Ordine noſtro, Ruſſorum, Slauorumq; Apoſtolus S. Bonifacius Martyr, ocumbit. *De quo S. Petrus Damiani copiosè.* |
| 1010. | 530. | Poloniam Sanctiſſimi Sanguinis ſui purpurâ tingunt, Benedictus, Matthæus, Ioannes, Iſaac, & Chriſtinus, noſtri. Eodem anno, illuſtre Cænobium Sieciechouienſe erigitur. |
| 1012. | 532. | S Barnabas Confeſſor, in eremo Maioris Poloniæ degens, & quinq; Martyrum, fratrum ſuorū, vitæ æmulus exiſtens, biennio à cæde illorum exacto, ſancto fine quieuit. *Miechou. lib. 2.* |
| 1013. | 533. | Orthodoxa fides & pietas, egregia incrementa in Poloniâ habuerunt, quo in labore, Monachi Benedictini ſtrenuè deſudârunt. |
| 1020. | 540. | Mieciſlaus Rex Poloniæ ex Rixâ coniuge, Caſimirum ſuſcepit filium, ſub cuius ortum, vehementiſsimus terræ motus in Polonia acciderat. *Neugebauerus lib. 3.* |
| 1031. | 551. | Rixa defuncto Mieciſlao, Poloniam deſpoticè rexit & afflixit, ob quod, inuiſa ſuis facta. |
| 1034. | 554. | Fiſco regio & diademate bino, clam ablato, Caſimiroq; filio accepto, Rixa ceſſit in Alemaniam, & Henrico Imperatori, auunculo ſuo Coronas Regni obtulit *Miechou. lib. 2. cap. 13.* |
| 1036. | 556. | Caſimirus Poloniæ Princeps Italiâ peragratâ, S. Romualdum noſtrorum Camaldulenſium inſtitutorem, Sanctitatis opinione apud omnes celebrem, inuiſit, eiq; donauit equum, quem ex humilitate Sanctus aſino permutauit. *S. Petrus Damian. in vita S. Romuald.* |
| 1037. | 557. | Caſimirus Princeps, Paryſijs dat operam literis, & primus ex Poloniæ Principibus eas didiciſſe fertur. *Miechou. lib. 2. c. 13.* |

Rixa

1038. 558. Rixa in Germania coemptis amplis possessionibus, duo Monasteria, vnum virorum Brunuilcense, tituli S. Petri, aliud, in loco, vbi S. Kiliani sociorumq; eius martyrium extabat, pro Sanctimonialibus, vtrumq; sub Regula S. Bened. erigit & dotat liberaliter. *Miech. loco citato & alij Scriptores.* Eodem anno, Böemi Poloniam inuaserunt, & terribiliter deuastarunt. Corpus B. Gaudentij ex industriâ à Clero Gnesnensi pro corpore S. Adalberti suppositum, tum & corpora 5. Martyrum rapuerunt. Insuper Crucifixi imaginem trecentas libras auri puri pendentem, per Chabrum Ecclesiæ Gnesnensi donatam, tres quoq; tabulas Maioris altaris, auro puro & pretiosis lapidibus per eundem Regem decoratas, vasa aurea & argentea, clenodia, campanas magnitudine & sono notabiles sacrilegè abstulerunt. *Miech. lib. 2. cap. 13.*

1039. 559. In Polonia, agrestes rustici, excusso iugo facti rebelles suis dominis, plurimos Nobilium contrucidarunt. Episcopi & alij Regni Proceres, in latebras se recondebant, tristisq; rerum Polonicarum facies extabat vbiq; Maslaus etiam seu Mazos, Miecislai Regis prius Pocillator, mox Rege fatis functo & Rixâ profugâ, oræ illius, quæ nunc ab eius nomine Mazos, Mazouia dicitur, tyrannus, infandâ cæde & spolijs exagitabat omnes. Iaroslaus quoq; Dux Russiæ ingentes prædas ex vicinis Polonorum terris, impunè, nullo vetante agebat. His malis sub tempus interregni grassantibus, fit Senatus consultum, de Regni, suâ, suorumq; salute in reliquo conseruandâ, postq; diuersa multorum vota, vniuersis tandem placuit, quærendum esse Casimirum, auiti Paterniq; hæredem

Regni,

Regni, qui manum labenti ſupponeret publicæ rei, & Regni gubernationem capeſſeret.

1040. 560. Legati Cluniacum ad Caſimirum miſſi, indeq; Romam ad Pontificem remiſſi, ſupremæ Sedis Apoſtolicæ rariſsimam ex voto obtinuêre gratiam, dum à votis Monaſticis ſolutum Principem, fatiſcenti Poloniæ Regem adducunt.

1041. 561. Vigeſimum Sextum ætatis annum Caſimirus noſter agebat, cum in Paternum rediens poſtliminio regnum, omnium Regni Ordinum gratulatione exceptus eſt, & Gneſnæ ſolenni ritu in Regem vnctus.

1042. 562. Diuino nutu, è clauſtro, ad ſolium euocatus Religioſus Princeps, propitium Numen ſemper habuit; nam contra Maslaum & Iacwingas prælium initurus, longè maiores hoſtium copias cogitatione expendens, & animo planè concidens, Diuino oraculo in ſomno per Angelum erectus eſt, remq; vt animosè ageret iuſſus, præſtò auxilium ſupernum ſibi adfuturum ſciens.

1043. 563. Mirandâ prorſus felicitate reparat damna Regni Caſimirus; iterumq; contra infideles patriæq; hoſtes confligens, cælitus adiutoria ſenſit, viſibiliter quodam Viro in veſte candidâ, in equo niuei coloris, cum Vexillo albo, exercitum eius antecedente & in hoſtiles turmas impetum faciente. *Miechouien. lib. 2. Cap. 14. Neugebauerus in geſtis Caſimiri.* Singulari quoq; Dei Opt. Max. benedictione, in hoc fuit fortunatus Caſimirus, quod hoſtibus per circuitum edomitis, pacem Regno conciliaſſet; & quatuor filijs Boleslao, Vladislao, Mieſcone & Ottone, ac filiâ Suantochnâ, ex coniuge ſuâ Mariâ Ducis Ruſſiæ filiâ, ſuſceptis, tranquillè demum vixiſſet.

Inter-

1044. 564. Inter ſucceſſus fauſtos, Monaſticæ conditionis memor Rex Caſimirus, Tynecenſe & Lubuſenſe Monaſteria, ſumptu Regio ædificat & magnificè dotat, atq; in eis Monachos, Cluniaco, à S. Odilone Abbate ſubmiſſos collocat.

1045. 565. Aaron illuſtri apud Gallos genere ortus, Caſimiroq; percarus, ad hæc vitæ merito & Sapientiæ doctrinâ ſpectabilis, primus Abbas Tynecij ordinatur.

1046. 566. Regnum Poloniæ, Caſimirus, Apoſtolicæ Romanæ Sedi, ſummo omnium bono, ſtipendiariũ fecit.

1048. 568. S. Odilo Cluniacenſis Abbas, ob Caſimirum Regem ſanctè religioſèq; inſtructum, & colonias Monachorum eò tranſmiſſas, de Polonia noſtra meritiſſimus, hoc anno cælum petiuit, locuples ſanctis operibus; cui multorum millium, animi atq; corporis ſalus, & ſolennis dies *Commemorationis fidelium* inſtituta, debetur.

1049. 569. Pro eximijs ſuis virtutibus Aaron Tynecenſis Abbas, à Capitulo Cracouienſi in Archiepiſcopum Cracouienſem poſtulatus, & omnibus gratulantibus, ordinatus eſt.

1050. 570. Immortali laude digniſſimum meritum Aaronis noſtri, qui ad Summum Pontificem Benedictum IX. in regni regiſq; negotijs, Coloniam iuit, & votis Principis ad amuſſim impletis, Sacrum Pallium Cracouienſi Eccleſiæ tulit, quo per neglectum ſuccedanei ſpoliata, Metropolitici Honoris dignitatem amiſit, idem Aaron, per Diæceſim Cracouienſem Graduales Pſalmos introduxiſſe aſſeritur; Tynecenſe quoq; Monaſterium, grandi immunitatis Priuilegio, à ſoluendis decimis liberaſſe, mul-

taq; alia memorabilia, ad ornamentum Ecclesiæ & patriæ nostræ decus, egisse memoratur.

1058. | 578. | Vindicis gloriosi, Patrisq; Patriæ, titulum; egregijs factis cùm meruisset Casimirus Rex, qui Regiũ nomen iam sanctitate ornârat, & Regnum Polon. tranquillitate beârat; hoc anno, mortem eius Comete præcedente, portendenteq;, ingenti sui apud omnes desiderio relicto, felicissimè migrauit ad superos; cuius corpus Posnaniæ conditum est. *ex Metricula Tynec. Monast.*

1059. | 579. | Boleslaus Maior natu Casimiri filius, liberalis & audax Princeps, ad succedendum designatus à Patre, Gnesnæ, per Stephanum Gnesnensem, & Aaronem Cracouiensem Archiepiscopos, assistente Maria Dobrogniewa Regina Polon. genitrice suâ, Episcopisq;, ac Magnificis Viris, & multitudine nobilium, in Regem Poloniæ coronatus est. Eodem anno, peractâ Regis inauguratione, meritis locupletissimus & de vniuerso regno meritissimus Aaron Tynecensis Abbas, & Cracouiensis Archiepiscopus, sanctitatis suæ vestigijs plurimis relictis, iuit ad Empyreum.

1065. | 585. | Boleslaus Audax Rex Pol. Mogilnense Cænobiũ in Maiori Polonia pro Benedictinis liberaliter erexit, ad cuius incolatum, Tynecio, fratres conduxit.

1066. | 586. | Mesco Princeps Pol. Casimiri filius, moritur. *ex Metric. Tynec. cuius memoria agitur 6. Decembris.*

1077. | 597. | Insigni vniuersi totius miraculo. S. Stanislaus, Petrum villæ Piotrouin hæredem, triennio iam mortuum, veritati perhibendæ testem viuum suscitauit à tumulo.

1079. | 599. | Boleslaus nimiò plùs audax, Diuinissimum Præsulem Stanislaum, parricidiali scelere interemit.

Bole-

1081. | 160. | Boleſlaus, perpetrato ſcelere, inuiſus cunctis; & ipsâ conſcientiâ in dolorem actus, Regno excedit, & Regalibus inſignijs depoſitis, ignotus ignoratuſq; cunctis, ad Monaſterium Oſiach in Carinthia ſolus peruenit, in quo vt arctioris pænitentiæ causâ, æterno ſe carceri addiceret, indutus cucullum, in miniſterijs viliſſimis circa coquinam fratrum incognitus deſeruijt. *Eſt conſtans illius Monaſterij traditio, vbi & ſepulchrum eius oſtenditur. Eiuſdem opinionis plures Scriptores, inter quos Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Staniſlaus Lubienius Epiſcop. Plocen. in vitis Epiſcoporum Plocenſium, in Marco.*

1084. | 604. | Vladiſlao Hermanno & Iudithæ Principibus Poloniæ Boleſlaus Criuouſtus, ex voto, naſcitur; quem illi per ſupplicationes noſtrorum Monachorum, ad Sanctum Ægidium, in Gallis, factas, quo ſuos Oratores miſerant, ſuſceperunt. Monumentum itaq; gratitudinis, erga D. Ægidium, inſtante Iudithâ, Eccleſia S. Ægidij Cracouiæ erigitur, prouidetur: & Benedictinis Monaſterij Sieciechouienſis committitur. Eadem Regina, à Vladiſlao marito, *Xiæznicenſia bona* impetrat, & ea iure perpetuo Tynecenſi Monaſterio largitur.

1100. | 620. | Boleſlaus Audax, parricidij in S. Staniſlaum commiſſi pænas luens, ſeſeq; vltroneè Regno abdicans, & in Oſiacenſi propè Villacum Clauſtro Benedictinorum occultans; octodecim annis in compunctionis ſqualore, ſub ignoti nomine, patienter peractis, ibidem morti iam proximus nomen & vitæ ſeriem actæ, cauſaſq; luctus, confeſſus eſt animo, ac cum ſpe miſerationis Diuinæ è viuis ceſſit hoc anno. *Menolog. Bened. & Tabulæ Monaſt. Oſiacen.*

| | | |
|---|---|---|
| 1109. | 629. | Sbigneus, Vladiſlai Hermanni Etnarchæ Poloniæ, naturalis filius, patris voluntate & ſuaſu, Monachus Benedictinus in Saxoniâ factus, per annos plures in profeſſione Clauſtrali quietiſſimè manſit: qui deinde, ab exulibus quibuſdam Polonis de Monaſterio extractus, & in Ducem lectus, patri primum nonnihil moleſtus fuit, ſed breui reconciliatus, & duobus Principatibus, vltimâ teſtamenti voluntate, à patre præfectus, tandem ſub Boleſlao Criuouſto, fratre, profudit Spiritum. *Copiosè de eo Hiſtoria Polona.* |
| 1129. | 649. | Boleſlaus Criuouſtus, quamuis magnis in ornatum templorum, & in alimenta virorum ſacrorum, impendijs, iugiq; precatione & tenui victu cultuq; corporis, admiſſum in fratrem Sbigneum facinus expiaret, etiam moleſtæ & longæ peregrinationis iter, ad D. Ægidij Tutelaris ſui (ad cuius preces à DEO parentibus datus fuerat) Sepulchrum, priuati hominis habitu, paucis Religioſis comitatus, ſuſcepit, atq; illud, magnâ ex parte iter, nudis pedibus confecit: nullum interim templum, nullum Monaſterium aut egentium domicilium, præteriens, quin liberalitatis quidpiam in ea depromeret. Redux verò ex Gallijs, vere proximo, alteram peregrinationem in Vngariam ad S. Stephani tumulum inſtituit, quâ religiosè, & pedeſtri obitâ itinere, Gneſnam etiam adijt, & Diui noſtri Adalberti ſacras reliquias veneratus eſt. *Chronic. Polon.* |
| 1139. | 659. | Boleſlaus Criuouſti Sieciechouienſi Benedictinorum Cænobio, pleraq; liberaliter adiecit bona. *Miechou. & Siechou. Monaſterij Nota.* |
| 1140. | 660. | Immortali lauro donati ſunt, quotquot Religioſi |

giosi viri, in Cænobio Copriunicensi, immaniter à Scythis trucidati fuerunt. *Hist. Pol. & Menolog. Cisterciensium.*

1160. | 680. Gertrudis, filia Criuousti Monarchæ Poloniæ in Zwifaltensi Monasterio Ord. S. Bened. professa, religiosissimè expleto mortalis vitæ cursu, ad immaculatos cælestis sponsi thalamos, properauit.

1170. | 690. B. Benedictus Ordin. nostri, cum B. Vernero Episcopo Plocensi, cui Benedictus à Sacris confessionibus fuerat, per Bolestæ sicarios Martyr trucidatur vterque: quod scelus Bolesta Castellanus Visnensis, Gnesnæ in foro igne expiare debuit. *Videatur de eo in Chronic Polon. Ord.*

1175. | 695. Lubinense amplissimum Ordinis nostri Monasterium, hoc tempore initium habuit.

1182. | 702. B. Bogumilus noster, Primatialem Gnesnensem thronum, vltrò abdicat, postq; rigidissimam plurium annorum Anachoreticam vitam, moritur diuinissimè.

1186. | 706. Monasterium S. Magdalenæ, Rigæ in Liuonia, pro Monialibus Benedictinis, S. Meynardus Sigebergensis Professus, Prædicator Liuoniæ & Antistes meritissimus condidit. *Chron. Bened. Polon.*

1195. | 715. Monasterium Lubusense à Casimiro nostro ad fluenta Odræ conditum, metamorphosim subijt, dum pro nigro colore, candidum Cistercienfium induit, at nullo Ordinis damno, cui æq; militat candidus atq; lugubris color. *Miechou. lib. 3. cap. 26.*

1209. | 729. Fundatur Monasterium Kościelnense Ord. S. Benedict. propè Calissium.

1229. | 749. Memorabili calcati honoris exemplo, ex Episcopo Cracouiensi, fit humilis Andreouiæ Cisterciensis B. Vincentius Kadłubcus.

 Bole-

1234. | 754. | Boleslaus Pudicus Princeps Poloniæ, cum Grzymislaua Matre, beneficio & auxilio Nicolai Abbatis Sieciechouienſis, captiuitatem euaſit, in quam per Conradum Mazouiæ Ducem Patruum ſuum, coniectus fuerat. *Miechou. lib. 3. Cap. 35.*

1235. | 755. | Gregorius Nonus Summus Pontifex, in protectionem Apoſtolicæ Sedis Tyneceníe recepit Monaſterium Bullamq; ſpecialem, magnis cum Priuilegijs eidem largitus eſt. *Habetur in Archiu. Tyn.* Inſignem quoq; Conradus Cracou. Dux, liberalitatem Tyneceníibus præſtitit, quibus alueum ſalis, modios inſuper quadraginta, marcas argenti quadraginta, annis ſingulis, ex fodinis Velicenſibus extradi Priuilegio cauit. *Authentic. extat.*

1236. | 756. | Conradus Maſouiæ Dux exercitu comparato contra Pudicum bellaturus in oras Minoris Poloniæ venit. Cùm verò Pudicus in arce Cracouienſi ſe acriter defenderet, nec ſpem deditionis oſtenderet; Conradus ad Rudauam prope Cracouiam parte copiarum relictâ, Tyneceníe propugnaculum reparauit, in quo mille præſidiarios qui excurſionibus Pudicum laceſſerent, diſpoſuit, ipſe verò in Maſouiam iter relegit. Poſt cuius diſceſſum Boleslaus Pudicus Tyneceníem arcem vi in ſuam redegit poteſtatem, vbi non modica damna Tyneceníi Monaſterio illata. *Neugebauer. in geſtis Pudici. Anno præfato. fol. 146.*

1239. | 759. | B. Iuo Odrouoſius, Viris religioſis addictiſſim⁹, piè moritur, qui claræ Tumbæ, Ciſtercienſibus Monaſterium erexit.

1243. | 763. | Heduigis, illuſtriſsimum Poloniæ ſidus, & Princeps Sanctiſsima, corporis Beati exuuijs Trebniciæ depoſitis, æternitatis adijt confinia.

Inno-

1250. | 770. — Innocentius IV. ex Monacho Benedictino Fructuariæ, in apice honoris Summi pro Deo collocatus, ingens decus Poloniæ addidit, cum in Album Sanctorum, B. Stanislaum. Episc. Crac. adscripsit. Staniątecensis Monasterij exordium hîc cæptum, cui in primam Abbatissam Visenna, singulare, Nobilissimarum Polonarum Virginum, Speculum, lecta ordinataq; fuit.

1254. | 744. — Armandus Opizo, Abbas Messanensis Ord. S. Bened. pacis conciliator felicissimus in Poloniam Sedis Apostolicæ Legatus directus, ea inter, quæ ad Poloniæ integritatem perfecit: cum Prussis; etiā Interdicto Ecclesiastico Præmislaum Posnaniensem Ducem cum suo Ducatu supposuerat, eò, quòd hostiliter, indicta causa, cum suis vasallis Vratislauiensem oram, contra fas & iustum, spoliasset: à quo tamen, concordiâ inter partes factâ, absolui fecit Ducem. Hic Opizo, redux à Polonia, Episcopus primùm Verdunensis, & Patriarcha mox Ierusalem, tandem factus Summus Pontifex Vrbanus IV. dictus, solennitatis festiuissimæ Sacratissimi Corporis Christi autor fuit. *Miechou. & Bucelin. in Aquila.*

1256. | 776. — Vlodimirus, illustrissimi Osuecimensis & Zatoriensis Ducis filius, mundi pompam fugiens, salutem quærit in togâ Benedictina, quam Tynecij assumens, aliquot annis in eâ religiosè peractis, morte beatâ finiuit. *Moniment. Tynec. Monast.*

1260. | 785. — Stanislaus Abbas S. Crucis, cum 32. Monachis à Tartaris cæsus, sanguinis sui purpurâ Militanti Ecclesiæ decus addidit. *Menolog. Bened.*

1265. | 785. — Ioannes Prandota Cracouiensium Præsul, eximiæ pietatis vir, Monasticoq; deuotus Ordini, Sanctè moritur.

Guido

1267. | 787. | Guido noster Cisterciensis, S. R. E. tituli S. Laurentij in Piscina Presbyter Cardinalis, vitæ probitate & doctrinæ splendore Eminentissimus, à Clemen. IV. Pontifice, Legatus à latere, in Poloniam missus, Cracouiæ à Boleslao Pudico Etnarcha Poloniæ & Paulo Episcopo Cracou. honoratissimè exceptus est: qui Synodum Prouincialem Vratislauiæ celebrauit, multisq; ad statum Ecclesiasticum spectantibus, laudabiliter constitutis, ad subueniendũ Terræ sanctæ omnes cohortatus est, Crucemq; contra Saracenos ex mente Pontificis eleuauit, & in eum finem Iubileum Extraordinarium Regno concessit. *Miechou. lib. 3. cap. 56. fol. 168.*

1268. | 788. | Vladislaus Opoliensis Dux, Abbatiæ Orlouiensis incorporatæ Tynecensi Monasterio & subiectæ totaliter, *Bona omnia, villas, & prædia* per speciale confirmat Rescriptum, & quædam denouo superaddit. *Ex Chartis pargamen. Monasterij Tynec.*

1269. | 789. | Insignis Heros, piusq; Staniatecensis Monasterij Fundator, Clemens à Klimuntow Comes, & Castellanus Cracouien. ad quietas Beatorum Sedes migrauit.

1270. | 790. | Abbatiale Cænobium pro Benedictinis, in arce Plocensi, per Duces Mazouiæ erigitur; & dotis nomine, prædia, & aliquot præstimonia, ditiorum Ecclesiarum, de consensu Episcopi tulit.

1271. | 791. | Patientiæ, & religiosæ mortificationis exemplũ, Orbi Polono, B. Gertrudis Trebnicensis Virgo, exhibuit, & hoc anno ad præmia patriæ cælestis euolauit. *Menolog. Cisterc. & Benedictin.*

1274. | 794. | Fundatur Culmense Monialium Ord. S. Bened. Cænobium, per Ioannem Crucigerorum Magistrum. *Chronicon Polonic. Ord. S. Bened.*

Bole-

1278. | 798. | Boleslaus Mazouiæ Dux, Conrado Duci Glogouiensi, in æstate bellum intulit, & circa castrum Czirwin cum ipso confligens, omnem potentiam eius prostrauit. Martino autem Abbati Lubinensi & Iezouiensi Ord. Benedictini, cum suis Monasterijs, pro denuntiatione clandestinæ hostium irruptionis (beneficij memor) multas libertates & priuilegia, etiam de consensu Semouiti, & Troideni, idem Dux Boleslaus concessit. *Mat. Miechou. lib. 3. cap. 57. fol. 174. ad verbum.* Eodem anno, Aprilis 12. die, Sanctè in Domino mortuus est, Boleslaus Pudicus Monarcha Poloniæ, vitæ & morum integritate spectatissimus Princeps, Monasterij Tynecensis insignis fautor & benefactor cui Opatouicensia supra Vistulam bona, cum sua coniuge Sancta Kinga contulerat, & omnia Priuilegia ab antecessoribus data confirmauerat, & auxerat.

1282. | 802. | Benedictini amoris & liberalitatis in alios Religiosos, clarum est documentum, Monasterium Ordinis Prædicatorum, in oppido Tynecensi Opatowiec, ab Abbate eiusdem Monast. Tynecensis, erectum & dotatum. *Miechou. lib. 3. cap. 60. & Rabulæ Monast. Tynec.*

1318. | 838. | Benedictius IX. PP. quòd Casimirum Monachū & gradu iam Diaconum, professionis & Sacramenti religione, instantibus Polonis, quondam soluisset, & ad regnum hæreditarium redire, & vxorem ducere annuisset, inter cætera onera, quo beneficium Sedis Apostolicæ Poloni agnoscerent, iniuncta fuit hæc quoq; obligatio, vt de singulis capitibus, exceptis nobilibus siue Equitibus, & qui sacris addicti essent, quotannis *nummus siue*

*denarius* vnus, in lucernam, perpetuò in Basilicâ Diui Petri Romæ, arsuram, contribueretur, & cribrum auenæ à singulis rusticanis, Pontifici penderetur. Ista consuetudo, hoc anno, per Collectores Apostolicos in Regno Poloniæ existentes, immutata est, sancitumq; in posterum, vt rusticani homines singuli, de capite cuiuslibet, non iam nummum, sed tantùm vnum *obulum vsualem* (qui minus valet, quàm nummus siue denarius) quotannis soluerent. *Miechou. lib. 4. cap. 14. & Neugebauerus lib. 3. Hist. Pol.*

1320. | 840. Tynecense Monasterium, Cluniacensi immediatè Congregationi a primâ sui fundatione subiectum crebriùs fuit per Commissarios, zelatores religionis & maturos viros ex Gallia missos visitatum, qui defectibus, si qui occurrebant, circa Obseruantiam regularem, & Monasterij directionem interuenientibus, medebantur, & statum Tynecensis Cænobij, profectumq; eiusdem, absolutâ Visitatione, Capitulo generali referebant; hoc quoq; anno, munus Visitationis consuetæ peregerant. *Antiqua tabula Tynecen. docent.*

1347. | 867. Ioannes Grot, raræ sanctitatis Præsul, Religiosis addictissimus, moritur.

1368. | 888. Iaroslaus de Boguria Skotnicius, Primas Gnesnensis, Vnieiouiensem S. Nicolai Præposituram pro Tynecensibus erigit & dotat. *Monumenta Tynec. & Neugebauerus lib. 4. fol. 215.*

1370. | 890. Monasterium Calui Montis Ord. S. Bened. à Lithuanis diripitur, & Lignum Crucis Dominicæ, cum reliquo Ecclesiæ thesauro aufertur; sed Dei virtute: hostes è finibus Regni egredi prohibentur, donec Crucem Domini, honestè, ad prædictum

dictum Monasterium deferendum, per Nobilem Polonum captum, dictum Karabola (*siue vt Bielscius lib. 3. fol. 235.* per Nobilem Virginem ex villa Dębno de armis Habdank captiuam, ) curâssent. prædam verò reliquam in Lithuaniam auexerunt. *Cromerus lib. 13. fol. 322.*

1371. | 891. Fructuoso pænitentiæ exemplo, ambitiosi ad honorem Pontificium aditûs à seipso damnati, Orbi præfert, Iaroslaus Skotnicius Gnesnensis Archiepiscopus à seipso vltrò, ob idipsum exauctoratus, Sacræ familiæ nostrorum Cistercensium in Laudensi Cænobio se adiungens, biennio ibi exacto, piè obijt in Domino. Tantùm verò in Schola humilitatis tantillo tempore profecit, vt non in vitâ solùm pænitere, satis habuerit, sed & à morte cadauer suum non per Ecclesiæ portas, sed pertuso pariete ad sepulchrum deferri, rogârit, quasi qui non tanquam pastor, sed vt fur eam intrâsset. *Scriptores Annal. Polon.*

1381. | 901. Orbi spectaculum ingens factus Vladislaus Albus Dux Poloniæ, qui Diuione, in Monasterio S. Benigni Ord: Benedictini, Monachum professus, quibusdam Regni Polonici proceribus rogantibus è Cænobio ad Sceptrum & diadema euocatus; verùm morbo correptus, quòd sciret vtilius esse in Cænobio quàm in purpurâ mori, ad suum Monasterium reportari voluit, in quo & sepultus est, cum tali Epitaphio. *Hic iacet Vir illustris & deuotus D. Vladislaus Albus, quondam Dux Poloniæ, Monachus huius Monasterij per plures annos existens, postmodum dispensatus per Papam pro successione Regni Poloniæ, Obijt in ciuitate Argentina, hic eligens sepeliri. Anno Domini 1381. Anima eius requiescat in pace.* Ex Annalib. Bened. & Hist. Pol.

1383. 903. Execranda auaritia magnatum quorundam in Polonia, pleraq; bona & villas Tynecensi Monasterio extorsit sacrilegè. Innocentius IV. Sum: Pont. Andreouiensi Abbati pates suas commiserat agendi & repetendi, ablata Tynecio, verùm insana rapacitas, neq; Papali excommunicatione curari potuit. *Ex Moniment. Tynec. Monast.*

1392. 912. Heduigis Regina Poloniæ, Iagellonis coniux, in ora Clepardiæ Monasterium & Ecclesiam tituli S. Crucis pro Slauis Benedictinis erigere cæperat, at morte prærepta, imperfectum reliquit opus, cui complendo, vsq; in præsentem diem, nemo admouit manus. Memorat verò Ioan. Dlugossus, Cracouiæ se vidisse Slauos Benedictinos Pragâ accitos, qui Slauonicè operabantur sacris. *Videatur Dlugoss. in Vladislao Iagellone.*

1409. 929. Tribus diuersis candidatis de Pontificatu Maximo dissidentibus, Pisis, Concilium per Ecclesiæ Proceres institutum fuit, ad quod ex Polonia Petrus Wysz Episcopus Cracou. & Mscislaus Abbas Tynecen: duoq; Doctores Vniuersitatis Cracouiensis, missi fuerant. *Bielscius lib. 3. fol. 290.*

1415. 935. Inclytus Princeps Alexander Vitoldus in arce patriâ dicta *Troki antiqua* Monasterium Ord: S. Bened. ædificat, ad quod, Tynecio fratres vocat, & Abbatis Tynecensis iurisdictione perpetuò commendat. *Ex literis fundation.*

1420. 940. In promouenda Christiana religione per Lithuaniam Benedictini Trocenses, egregiam operam ferunt. *Annales eiusdem Monast.*

1440. 960. Hieronymus Böemus Camaldulensis noster, Vir verè Apostolicus, ad Vladislaum Iagiellonem Regem Poloniæ à Pontifice Legatus missus, in

Lith-

Lithuaniâ circa ſuperſtitiones & gentilitatis reli-quias extirpandas, ſtrenuè laborauit. *Vita eius legatur*, Eodem anno, Eugenius IV. Pont- Max. in Sacrilegos bonorum Tynecenſis Monaſterij inuaſores, Eccleſiaſticas fulminauit pænas. *Habentur Bullæ Pontif. in archiuo Tynec.*

1442. 962.

Inuictiſſimus Polon. Rex. Vladislaus Iagello, ex infidelitate nuper conuerſus, zeloſiſsimus fidei veræ promotor, peculiari, in Monaſterium S. Crucis, ob reuerentiam particularum inſignium Crucis Dominicæ ibi ex antiquo ſeruatarum ferebatur deuotionis affectu, & templo, Cænobioq; in formam meliorem redactis, plumbo tecta vtriuſq; operuerat, crebroq; illum locum viſitare conſueuerat. *Acta illius Cænobij teſtantur.*

1447. 967.

Hoc anno poſt Coronationem Caſimiri Tertij, Monaſteria & Eccleſiæ preſſuram ſensêre; cuius mali omen præceſſerat, quod ab omnibus Hiſtoricis Polon. diſertè enarratur. Scilicet die 26. Iunij inter ſolennes coronationis ritus mulieres ruſticanæ, ex pagis Tynecenſi Monaſterio ſubiectis, pecudes ſuas pignoratas, ob negatam Regi nouo inuſitatam procurationem ſiue ſtationem, ſecutæ, eiulatibus & lamentis, non ſine moleſtia & fremitu omnium, templum repleuerant.

Monaſterium quoq; Mogilenſe fortuitò deflagrauerat, & inter Epiſcopos & Duces Maſouiorum de loco, vtri dextrum Regis latus tenerent, controuerſia non leuis fuit orta, quæ mali auſpicij ſigna, plebs interpretata eſt. *Neugebau. his præcisè verbis lib. 6. ad initium.*

1456. 976.

Poloniæ decus addidit, B. Nicolaus Polonus, ad S. Iuſtinam Paduæ factus Monachus, qui in Ordine

dine Benedictino Diuinis præuentus benedictionibus, post rigidam vitam, sanctâ morte Genuæ requieuit. *Vita leg. eius.*

1459. | 979. | Sanctuarium Poloniæ, Lysecense Monasterium, ab Iagellone regiè nuper contectum & ornatum, fortuitis flammis concidit. *Ex Historia loci illius.*

1460. | 980. | Tynecense Monasterium egregiè meretur de Alma Vniuersitate Cracouiensi, cui Ecclesiam Parochialem S. Nicolai extra muros Cracou. ex primâ fundatione ad Tynecenses semper spectantem, cum Iurepatronatus & prouentuum accessione, titulo donationis concessit. Eius rei extat memoria, in Libro *Taxa omnium Abbatiarum & Monasteriorum, Orbis terrarum*, qui habetur in Camera Apostolica, vt videre est apud Tamburinum nostrum Vallumbrosanum, Tomo 1. de Iure Abbatum, vbi Tynecensis Monasterij hæc ratio facta, *Diœcesis Cracou. Prouincia Gnesnen. Tynecensis Monasterij Ord. S. Bened. taxa CCLXVI$\frac{2}{3}$ Vnita eidem Parochialis Ecclesia S. Nicolai extra muros Cracou. val. XII. Marc. Argenti; debet augeri Abbatia taxa in flor. XX; effectum suum sortita.* Hæc ibi ad literam.

1463. | 983. | Tynecensis Abbatialis Ecclesia, & altaria omnia eleganti innouata forma, tempore Matthiæ Abbatis, per D. Ioannem Episcopum Moldauiensem Suffraganeum Cracouiensem, Dominico die, in festo SS. Dionysij &c. IX. Octobris consecrata.

1468. | 988. | Præpositura Tuchouiensis initium habuit, fuitque vnita Tynecensi Cænobio, authoritate Calixti Papæ, & assentiente Sbigneo Cracou. Episcopo & Cardinali. *Ex Bulla Pontif.*

Casimi-

1469. | 989. | Casimirus, Venceslaus, Iannssius & Vladislaus Zatorienses Duces fratresq; germani, Rel: Fratrem Martinum Monachum Tynecensem, Summi Pontificis Processus & Censuras contra Duces latas reddentem & exequentem, innocuè percuti & à suis Verberari præceperant, ex qua concussione, cùm ille obysset, Duces ob crimen commissum ex Regni Decreto satisfacientes Abbati & Tynecensi Monasterio, villas prædicti Monasterij intra Ducatum Zatoriensem consistentes, ab omnibus exactionibus, datis pensionibus atq; ab omni Iurisdictione suâ, suorumq; Iudicum liberas & immunes in perpetuum fecerant ex sententia & arbitrio Ioannis Episcop. Cracou. aliorumq; illustrium Virorum Dobeslai Kmita de Wisnicz Castellani Lublineń. Iacobi de Dembno Cancellarij Regni Poloń. & Capitanei Crac. Stanislai de Szydlowiec Castellani Zarnouiensis, ad prædictum negotium componendum electorum Iudicum. Cuius rei extat autenticum monimentum in Archiuio Tynecensi sub litera B. n. 15.

1470 | 990. | Casimirus Rex Poloniæ, Priuilegia omnia, Tynecensi Monasterio à suis prædecessoribus data confirmat, omnesq; Nobiles, vasallos, & cmethones dicti Monasterij, ab omni iurisdictione officialium Regni, Palatinorum, Camerariorum, Iudicum &c. eximit, & ne in causis fundi, Sanguinis, mutilationis, furti &c. ad quenquam alium citentur, præterquam ad Abbatem Tynecensem & eius Supremum Iudicem castri Golesz, indulget. *Extat Originale Priuileg. in Archiu.*

1488. | 1008. | D. Andreas Abbas Tynecensis, egregiæ pietatis & in egenos liberalitatis Vir, multis ex argento

Ecclesiæ

Ecclesiæ sui Monasterij collatis rebus, templisque aliquot per oppida suæ possessionis tunc ab Vngaris exusta, constructis, post multas curas, ad quietem æternam emigrauit, non sine opinione vitæ sanctè religioseq; peractæ.

1517. 1037. Sigismundus I. Rex Poloniæ Bernardo Abbati Trocensi suo Confessario & Aulæ Consiliario, Decimas omnis grani ex prædio regali Ilgi, perpetuis temporibus contulit. *Habentur literæ donation.*

1535. 1055. Insignia beneficia ad ædem miraculosam Crucis Sanctæ in monte Caluo, pleræq; illustres personæ consequuntur. *De quibus legatur Historia illius loci Anno 1647. Cracouiæ impressa.*

1551. 1071. Georgius Martinusius Croatus Monachus Benedictinus & Abbas Glocensis, excellentis prudentiæ vir, qui cùm Ioanne Scepusio Rege Vngariæ, armis Ferdinandi pulso, exul in Polonia & fidelis comes, solersq; Consiliarius; ac in plerisq; Poloniæ Monasterijs hospes gratissimus, fuit. Hic pro meritis, ab eodem Ioanne Rege, Solimani Turcæ auxilijs in suum Regnum restituto, Thesaurarius primum Vngariæ & Episcopus Varadiensis factus, & Rege decedente Tutor filij regij, testamento regis constitutus, dein Virtutibus exigentibus Strigoniensis Archiepiscopus & S. R. E. Cardinalis creatus, per inuidiam, in arce *Bisam* à se extructa, per Gastaldum & Sfortiam, Ferrariumq; Italos, exercitus Ferdinandi Duces, parricidiali scelere trucidatus est. in cuius nece, illud memorabile est, quòd nemo eorum qui cædis auctores fuerant, vel violentam mortem, vel exilium, vel insignem aliquam calamitatem, euaserit. Mors etiam eius, in quà multi spem salutis posuerant,

plus

plùs incommodi Reipublicæ Christianæ attulit, quàm emolumenti, breui namque, tota Transyluania à Ferdinando defecit. *Neug: bau. Hist. Pol. lib. 8. & Cichocius Colloq. Osfiec. lib. 4. cap. 9.*

1560. 1080. Proprium id animi beneuoli Benedictinorum est, de omnibus Ordinibus & Collegijs benè semper mereri. Iteratò, Academiæ Cracouiensi, Tynecensis Conuentus liberalem explicat manum, Canonicatum Ecclesiæ S. Georgij in arce Cracouiensi, eiusq; præbendam villam *Bronouice* & medietatem alterius dictæ Rząska ad se spectantem contulit. *Ex charta pargam. donation.*

1562. 1082. Pius IV. Pont. Monasterij S. Crucis laudes celebrat, & amplissimas Indulgentias, visitantibus sacrum locum, paternè elargitur. *Ex Bulla.*

1591. 1111. In summis tenebris hæreseos, per Liuoniam Rigæ & alibi grassantis, velut stella in medio nebulæ, Anna Abbatissa Rigensis Ord. S. Bened. eluxit: quæ triginta annis, inter furentes hæreticorum minas, constantissimè fidei Catholicæ & Monastico instituto adhærens, Stephanum Bathoreũ Regem Pol. Victorem, subactis Rigensibus, in suo Cænobio, Silicernia Virgo, meruit salutare: quâ breui post decedente, cum splendido Ecclesiæ thesauro Monasterium PP. Societatis Rex concesserat, in quo tamen non diu permanserunt: nam per hæreticos exturbati sunt.

1597. 1117. Admirabilis Virginis Matris Benedictæ, Benedictini Ordinis semper Patronæ, Imago Tuchouiensis apud Tynecenses nostros seruata deuotè, insignibus claret miraculis, & frequenti deuotorum concursu celebratur. *Ex Historia miraculorum eiusdem loci.*

1606. 1126. Quingentorum & ſexaginta annorum ſpatio, quinquaginta ſeptem Profeſſi Abbates, in regimine Abbatiæ Tynecenſis ſuccedebant ſibi, hoc anno ex aula regia primus erupit, qui illam rapuit Commendæ titulo.

1608. 1128. Celebri ſanctitatis opinione, ipſorum etiam oſorum ſtatus Monaſtici, oculos & mentes perſtrinxit, ſeruus DEI, Bernardus à Fridek Profeſſus Lubinenſis Ordinis noſtri, cuius vita clara miraculis, legatur ſuperius.

1622. 1142. Nihil eſt opere aut manu factum, quod vetuſtas non conficiat. Sic Eccleſia Tynecenſis, ante ducentos annos, per Matthiam Abbatem reſtaurata, tanti temporis fluxu, damna ſenij acceperat; ſed ſtudio Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Stanislai Lubienij Abbatiæ Tynecenſis Adminiſtratoris, benefactoriſq; eximij, hoc anno innouata, formis, columnis, & capellis aucta, atq; per fratrem eiuſdem, Virum æq; Illuſtriſſimum Matthiam Lubienium Epiſcopum Chelmenſem, ex admiſſione Cracouienſis Antiſtitis, dedicata eſt. Cuius anniuerſarius Dedicationis dies, Dominicâ primâ poſt feſtum S. Franciſci Confeſſoris, iuxta veterem eiuſdem Eccleſiæ conſuetudinem celebratur. *Ex tabulis Eccleſiæ eiuſdem.*

1641. 1161. Illuſtri miraculorum gloriâ, Tuchouienſis imago, apud Benedictinos Tynecenſes coruſcat; ſuper quorum veritate, Commiſſio Officij Spiritualis hoc anno fuit habita, eſtq; approbata. *Ex libello miraculorum eiuſdem imaginis.*

1655. 1175. Euphemia Radiuila Neſueſenſis Abbatiſſa, ſingulare decus Monialium in illis Ruſſiæ partibus, hoc anno pientiſſimè demoritur.

1656. | 1176. | Feralia agmina Cosacorum, Moschorum, Vngarorum, Suecorum intra vnius regni Viscera irruperant, vbi immaniùs in Religiosos desæuiebant, quò perfidiæ Schismaticæ, iuratæq; in excidium Orthodoxorum hæresi, satisfacerent, barbariemq; explerent suam, plures è nostris, Lubinensis, Montisq; Calui, Cænobitis, sanguinaria Charybdis illa absumpsit, quorum nomina digniùs celebranda olim, subticeo, solùmmodo inuictum robur animi illorum, in præsenti veneror.

Ingens quidem, magnorum virorum Ordinis nostri in Regno Poloniæ, adest copia, qui hîc inscribi possent, multæq; *res memorabiles* suppetunt, de quibus digna recordatio fieret; quia tamen hoc *Breuiarium chronologicon* longis turgescere narrationibus nolo, ac contra Spiritus Diuini edicta, in vita quenquam nisi peracto cursu laudare non præsumo, Tractatum hunc, istis definio.

*Scribantur hæc in generatione alterâ, & populus qui creabitur laudabit Dominum*, Psalm. 101.

# AQVILÆ POLONO-BENEDICTINÆ, PEDVM BASES.

## *Pedes eorum pedes recti.* Ezech. 1.

### *Beneuolis meis Lectoribus Salutem.*

PEs vt Latinis, ita & Polonis, latè ſumpto vocabulo, ſignificat in animali eam corporis partem, quæ à coxis vſq; ad plantas protenditur, & portat corporis molem. Et ſicut Aquila binis inſiſtit pedibus iſſq; ſuſtentatur: ſic Sacer Benedictinus Ordo Pietate & Doctrinâ ceu duobus validis adminiculis fortitèr ſubnixus, prædicabilis & glorioſus per ora hominũ magnificè incedebat. Sed Pietate ex tempore intepeſcente, & Doctrinæ ſtudio per torporem remiſſo, prioris æui Monaſtici ſplendor deliquium ſubijt, mutatuſq; eſt optimus color Ordinis. Super quo cùm mentem meam cogitatio lancinaret vehementiùs, has binas Parænefes, De ſtudio inſtaurando, & Congregatione erigendâ confeci, ratus fore, vt his præſidijs aſſurgat Ordo, quorum defectu lapſus. Nihil enim ad Regularem obſeruantiam, Pietatemq; in clauſtris excitandã promouendamue commodiùs ac vtiliùs cogitari poteſt; quàm Capitula ex vnitis inter ſe Cænobijs crebriùs aggregata; in quibus, datur moribus integritas, mentibus augetur puritas, vitæ Monaſticæ inſtauratur æqualitas; vbi Superiorum emendantur vitia, virtutum fiunt hortamenta; vbi mali habent, vnde timeant, boni audiunt, vnde meliores fiant: vbi leguntur & ordinantur ad ædificationem varia, vt bonis mentibus ſemper adſint incrementa; vbi Prælati de regimine ſuo inſtruuntur, vbi de periculo curæ paſtoralis auiſantur, vbi quid facere debeant præcipitur, quid vitare, prohibetur. Nihil

quoq;

quoq; meliùs & faciliùs, ad Ordinis in Regno noſtro reformationem, diſciplinæ reſtaurationem, pacis & concordiæ conſeruationem, & totius honeſtatis & pulchritudinis conſummationē, ſtatui ordinariq; poteſt, quàm ſi Congregatio Monaſteriorum noſtrorũ per Poloniam, cum ſuis viſitationibus & Capitulis generalibus inſtituatur, quæ collapſa erigeret, diſperſa congregaret, diſſoluta reformaret, confracta redintegraret, vaga reduceret, diuulſa componeret, quæ ſancta & iuſta ſunt opportunè cuſtodiret. Iam verò, Studio literarum, ad parandam ſalutarem neceſſariamq; Monacho Scientiam, quæ via expeditior haberi poteſt? cùm lectio & ſtudium cæcitatem mentis expellit, intellectum ignoranti tribuit, languorem mentalem ſanando deprimit, famem ſpiritualē remouendo reficit: vnde ex frequenti lectione præſertim ſacrâ, ſicut mentis oculorum fit apertio, ex quâ ſequitur Diuina cognitio: ſic ex neglectu lectionis ſequitur Vilipenſio grauium peccatorum, cùm quid ſit vel quale peccatum ex inſcitia craſſa ignoratur; ſequitur conculcatio Sacramentorum, omiſſio maximorum, & appreciatio minimorum: dum Sacrorũ dignitas nec ſcitur, nec attenditur, dum pretia Spiritualium rerum negliguntur, & pereuntium ſtulta cura, vaniſſimè exercetur. Hæc itaq; duo Adminicula, Ordini Benedictino apud nos ſubleuando, percommoda cenſeo, de quibus bina Syntagmata ex probatis auctoribus ſtudiosè collecta, veſtro amori legenda propino. Non adeſt in ijs quidem lepor dicendi & gratia, ſed de hoc reprehendi apud Religioſos non timeo, verùm materiam à bonis non poſſe reprobari confidenter aſſero. Si tamen cuipiam, Voluntatis meæ ſtudium, minùs fortè probabitur, meq; præſumptionis vel nouitatis incuſare velit; non eſſe id nouum, nouerit, quòd vbiq; gentium Monaſteria noſtra in Congregationes redigantur & Viſitationes cum Capitulis frequententur: neq; meo ſuccenſeat zelo qui afflicto compatior Ordini, & voluntate ad meliora feror, quæ tametſi minus fortè conſequar, nihilominùs In magnis, & voluiſſe ſat eſt. interim valere omnes opto.

# AQVILÆ POLONO-BENEDICTINÆ, BASIS. I.

## Doctrina & Studium Literarum.

*Hic de veterum Benedictinorum studio & vtilitatibus inde habitis differitur. Modus studendi Regularibus demonstratur & Paræneſis ad profeſſores ſtatus Monaſtici pro Studijs reaſſumendis inſtituitur.*

INter ea, quæ Ordinem noſtrum toti mundo celeberrimum, Eccleſiæ Dei vtiliſſimum reddiderunt, non poſtremum eſt, diuerſarum diſciplinarum & præſertim S. Scripturæ Studium. Aperiebant enim noſtri non ſuis tantùm, ſed quibuſuis, variarum artium gymnaſia; quô & Scientiæ ad poſteros tranſmittebantur, otium declinabatur, honeſtiſſima exercitatio nugas & friuola abigebat, Monaſteria viris doctis ad Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ ſubſidium abundabant, & optimi quiq; ex ijs ad Eccleſiarum regimen aſſumebantur. Ab ipſo autem Ordinis exordio viguit hæc inſtitutio; primum enim gymnaſiarcham ipſum Ordinis conditorem meritò agnoſcimus, de quo Magnus noſter Gregorius aſſerit, cum extructis duodecim Monaſterijs, & deputatis qui ea incolerent Monachis, paucos ſecum retinuiſſe, *quos adhuc in ſua præſentia aptiùs erudiri iudicauit.* Atq; hæc erat *Schola Dominici ſeruitij*, in quâ Monaſticis præſertim inſtruebantur diſciplinis. Sed & de Humanioribus Scientijs altioribuſq; intelligi poteſt Studijs, quod idem Præſul Romanus ſubdit, *cæpere etiam tunc ad eum Romanæ Vrbis nobiles & Religioſi concurrere, ſuoſq; ei filios Omnipotenti DEO nutriendos dare.* Ex quibus non

bus non obſcurè colligi poteſt, Monachos ſtatim literis imbutos fuiſſe, quibus deinde etiam alij adiuncti fuerint, etiamſi Monaſtico ſtatui ex profeſſo non dedicarentur. Atq; illa puerorum ſuſceptio ex Regulæ conſtitutione, & Ordinis conſuetudine vſitata, planè arguit eos ibidem literis operam dediſſe. Quod & confirmatur exemplo Fauſti, qui ſeptennis S. P. Benedicto oblatus, vir in moribus & conuerſatione inſignis, in Diuinis quoq; Scripturis non infimè doctus euaſit: vti colligitur ex vita Sancti Mauri, cum quo idem Fauſtus in Galliam à S. Benedicto miſſus, vitam eiuſdem Mauri poſt glorioſum obitum clariſſimo deſcripſit eloquio, quam Bonifacius Papa authoritate ſuâ confirmauit, De Caſſiodoro quoq; Cancellario quondàm Theodorici Regis & Senatore Rauennatenſis vrbis, ac demum Monacho S. Benedicti, in Diuinis & ſæcularibus ſcripturis eruditiſſimo Trithem. ſcribit, quòd iam grandior Caſſiodorus factus, iubente S. P. Benedicto, in vno Cænobiorum adoleſcentiores Monachos rudimentis Grammaticæ erudiêrit, & Scholam puerorum tenuerit; ſimiliter & Dionyſium Exiguum Abbatem Romanum Lateranenſis Scholæ Magiſtrum fuiſſe, Caietanus Abbas affirmat, qui & hoc aſſerit, quod S. Benedictus Spiritus Sancti Gratiâ plenus, è ſacro Sublacenſi egreſſus ſpecu, poſtquam ſub montibus Simbruinis & prope Sublacenſem ditionem, Monachos congregaſſet, & ſub Abbatum imperio ſubdidiſſet, eiſdemq; Monaſteria 12. ædificaſſet, inuitante Symmacho Pontifice Gelaſij primi ſucceſſore, Lateranum ſe recepit, ibiq; primus Monaſterium conſtruxit, à quo tanquam è fonte reliquas Vrbis Baſilicas atq; Eccleſias vti alter Apoſtolus zelo ſuo illo cæleſti inuiſit, Chorum inſtituit, cultumq; Diuinum & ſacras ceremonias ac ritus adauxit, atq; ad Regulæ ſuæ præſcriptum eruditos Monachos ibidem collocauit, Pontifici quoq; auctor fuit, vt Scholas Cantorum, alteram propè Lateranum, propè Vaticanum alteram erexerit, in quibus modum componendi & enuntiandi Diuinas laudes, temporibus officijſq; per

jsq; per annum recurrentibus aptas, concinnatasque; à Magistris, quos ex suis Monachis huic muneri obeundo idoneos Benedictus Pater obtulerat, docebantur. In quibus quidem Cantorum Scholis, non profanas, sed sacras literas Monachi Sanctissimi & doctissimi profitebantur, in eisq; non Poëtica figmenta, sed Christiana mysteria: non artificia Oratorum, sed munia Prædicatorũ, non Philosophica commenta, sed Theologica Arcana declarabantur. Non enim fuêre illæ Scholæ Cantorum, ex his officinis vel domibus, in quibus hâc ætate per clamores & strepitus pueri docentur Musicam; sed selecti iuuenes in spem iuuandæ assumpti Ecclesiæ, semina & plantæ Episcoporum, Alumniq; Collegij Apostolici ad subiugandas Christo gentes, & conuertendos idololatras designati erant, qui pacificerentur Deo, Reges & Principes ac mundum ipsum, qui Caduceatorum pro Ecclesia munia obirent, qui essent quoddam Seminarium Eminentissimorum Orbis Vniuersi cardinum; tales scilicet à pueritiâ statim nobiliter persanctèq; à nostris nutriebantur Magistris, vt cum literis Sanctimoniam quoq; haurirent, quô faciliùs Sacrilegas hæresum & Schismatum atq; ethnicismi impietates, quæ latè per orbẽ tum temporis debacchabantur, confutarent. huiusmodi gymnasia apud nostros florebant, primis illis Religionis Benedictinæ sæculis, cùm sola Benedictinorum Monasteria essent Scholæ; atq; Scholæ vt plurimum Monasteria. Vsq; dum Carolus Magnus alijq; sequentes Imperatores ijsdem ipsis Benedictinis Doctoribus extra Monasteria etiam Academias erigerent. Quamobrem easdem ipsas nostrorum Monachorum Scholas, fuisse virorum Apostolicorum fæcundissimum seminarium, ex Cassiodoro, Beda, Anastasio Bibliothecario, alijsq; Scriptoribus prædictus Caietanus Abbas libro *De præstantia Religionis Benedictinæ*, & Commentarijs super vitam Gelasij II. Pontificis, demonstrat; Illud quoq; Gregorij Magni eximium factum, nostro itidem seruit argumento, quòd cum aliquando Præsul Sanctus videret Anglos adhuc ethnicos Romæ venales pro-

proponi, admiratus in ijs formæ elegantiam, quòd Angelicas quæ pingi solent imitarentur effigies, magnum animo concepit desiderium, eos Angelorum cætibus per baptismum inserendi; quare Candido Presbytero quem in Gallias miserat scripsit, vt pueros Anglos ab annis decem & septem coemeret, & in Monasterijs ad fidem instruendos collocaret, nimirùm vt fidei rudimentis bonisq; moribus ipsi instituti, postmodùm ad conuertendos alios gentis suæ infideles Anglos, commodiùs ob natiuæ linguæ peritiam, Ecclesiæ Catholicæ curam gerenti de omnibus, deseruirent. Tales fuerunt in Benedictinorum Monasterijs Scholæ, in quibus Sacras literas & Pietatis Christianæ officia à Monachis Doctoribus adolescentes studiosi ediscebant. Quare ob bene seruatum à Benedictinis præceptoribus Sacræ fidei depositum, atq; ob bene communicatas ab ijsdem Scientiæ ac Sapientiæ diuitias, beneficentissimus DEVS fidelissimè eorundem Religioni concessit, vt à ducentis ferè supra mille annis, quibus ipsa in Ecclesiâ palmites suos extendit, vbiq; floruit, ac fructus protulit, nullum produxerit Hæresiarcham, sed hæreticis bellum continuum indixerit, & Ecclesiæ pomeria amplissimè dilatârit.

In Angliam verò ex Italiâ hæc sacra studia Monachorum nostrorum, Theodorus Archiep. Cantuar. Monachus ante Romanus intulerat, postquam à Vitaliano Papa in illam Insulam missus est, vt rem Christianam pleniùs constitueret. De quo magnificè Beda, Hist. Eccles. lib. 4. cap. 2. *Nunquam prorsus ex quo Britanniam is Hadriano comite petijt, Anglis feliciora fuisse tempora, dum & fortissimos Christianosq; habentes Reges, barbaris essent omnibus terrori, & omnium vota adnuper audita cælestis Regni gaudia penderent: & quicunq; lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu Magistros qui docerent. Hos quippe literis sacris, simul & sæcularibus abundè fuisse instructos, & discipulorum congregatâ cateruâ Scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum pectoribus emanasse; ita vt etiam Metricæ Artis, Astronomiæ, & Arithmeticæ Ecclesiasti-*

*clesiasticæ disciplinam, inter sacrorum apicum Volumina suis auditoribus contraderent.* Et erant sanè ad Bedæ ætatem, de eorum discipulis, qui Latinam Græcamq; linguam æq; vt propriam in qua nati, callerent; à quibus etiam ipse Beda, cùm septem esset tantùmmodò annorum, quando curâ parentum Benedicto Abbati Cænobij S. Petri puer oblatus fuerat, omnium Scientiarum didicit encyclopediam, virq; quâ in Diuinis Scripturis studiosissimus, quâ etiam in omnibus humanitatis artibus cultissimus, parsq; non minima Doctorum fuit; qui cùm orando, scribendo, & docendo totum vitæ impenderet tempus, multosq; haberet eximiè doctos discipulos Monachos, & postmodum in diuersas partes mundi submisit; præcipuè in Europam vt eam luce Scientiarum collustrarent. Eius discipulis insignis ille Caroli Magni præceptor Alcuinus Flaccus, Vniuersitate Parysiensi initium fecit, qui de suis in erudienis iuuenibus susceptis laboribus, ad eundem Carolum studiorum eximium promotorem ac Mæcenatem, ita scribit, Epist. 1. ad Carolum Mag. *Ego Flaccus vester, secundum exhortationem & bonam voluntatem vestram, alijs per tecta S. Martini, Sanctarum melle Scripturarum ministrare Satago, alios vetere disciplinarum mero inebriare studeo, alios Grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam, quosdam stellarum ordinem ceu picto cuiuslibet magnæ domus culmine illuminare gestio, plurima plurimis factus, vt plurimos ad profectum Sanctæ DEI Ecclesiæ, & ad decorem Imperialis Regni vestri erudiam.* Sic Alcuinus. de quo vetus Pöeta.

> *Quid non Alcuino facunda Lutetia debes?*
> *Instaurare bonas ibi qui feliciter artes*
> *Barbariemq; procul solus depellere cæpit.*

NEotus etiā magnæ sanctitatis & admirandæ eruditionis Monachus, ex Glasconiensi Cænobio, præfati Bedæ auditor, Vir longè lateq; de Ecclesia & Europa vniuersa; propagato literarum studio meritissimus; qui ope Regum Angliæ, Oxonij, cum

cùm tria Collegia Grammaticis, Philoſophis & Theologis inſtructiſſima erexiſſet, quæ vniuerſitatis ſiue vniuerſalis paulò-poſt ſtudij titulo & gloria, mirificè exſplenduerant, & quæ à Matthæo Pariſienſi, *Secunda poſt Lutetiam Eccleſiæ Schola*, & *fundamentum* diſertè appellata, neq; indigniore elogio, *Sol, oculus, & anima literarum, ſed & ſapientiæ clariſſima officina; vnde Religio, humanitas, & doctrina in omnes Regni partes diſtributa ſit.* Digniſſimis ſanè titulis exornata: tam præclarè geſtis, non ætatem ſolùm illam, & Patriam Angliam, ſed extera & remotiſſima Regna, vniuerſamq; ſibi poſteritatem æternùm obligauit. Quatuor alij Noſtri Monachi Cantabrigienſe ſtudium excitârunt. Præfati quoq; Bedæ diſcipulus, Ioannes Scotus Vir in Diuinis Scripturis doctiſſimus, & in ſæcularibus literis magnificè inſtructus, Ticini ſiue PapiæVniuerſitatis auctor primus fuit. hi omnes de Eccleſiâ Catholicâ, tam Sancto ſuo in promouendis Scientijs feruore & labore perinſigniter meruerunt; qui non ſolùm intra clauſtra abundanti imbre doctrinarum pectora religioſa rigebant, ſed etiam ad publicum Orbis vniuerſi commodum, aperta bonarum artium emporia, publicas Academias erigebant.

Et cùm ſic in publicis erigendis ſtudijs occuparentur noſtri, domeſticæ quoq; in clauſtris literæ ſingulariter efflorеſcebant. de quibus Abbas Trithem. in Chronico Hirſaugienſi ad annum Chriſti 890. ita refert. *Erat his temporibus in Monaſterijs noſtri Ordinis hæc conſuetudo celeberrima, vt Scholæ Monachorum in ſingulis penè Cœnobijs haberentur, quibus non ſeculares homines, ſed Monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatiſſimi, qui non ſolùm in Diuinis Scripturis docti eſſent, verùm etiam in Mathematica, Aſtronomia, Arthimetica, Geometria Muſica, Rhetorica, Poëſi, & in cæteris omnibus ſecularis literaturæ ſcientijs, eruditiſſimi haberentur. Ex his multi non ſolùm in Romana lingua docti erant, ſed etiam in Hæbraica, Græca, & Arabica, peritiſſimi. Quoties autem idoneum ad hanc ſubeundam prouinciam in ſuo Cœnobio Monachum, Abbas minimè habuiſſet, de aliquo alio Monaſterio petere aptum non erat verecundum; ſic namq;*

*doctissimus ille Monachus Geniblacensis Sigebertus multo tempore in Cœnobio S. Vincentij Metensi, Monachorum Præceptor, quanquam de alio Monasterio fuit. Ita Strabus Monachus Fuldensis in Hirsfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulaus; Albinus Monachus Anglicus in Fulda; Milo S. Amandi in Corbeia, atq; alij complures in alijs Monasterijs, docendi ad tempus tenuerunt officium, vbi conuersionis primordia non sumpserunt. Hæc autem consuetudo Sanctissima primùm in Anglia cæpit, vbi Venerabilis ille Monachus & Presbyter Beda Monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos.* hæc Trithemius Abbas egregius, qui rursùs in eodem Chron. Hirsaug. ad annum Christi 952. asserit, *In omnibus Monasterijs fuisse scholas literarias, in maioribus autem Cænobijs fuisse Generalia Studia Sacræ Scripturæ & aliarum disciplinarum, ad quæ ex alijs Monasterijs tanquam ad vniuersitates Monachi transmitti solerent.*

Duplices autem nostros habuisse scholas intra vnius Monasterij ambitum, Benedictus Hæftenus in suis Disquisitionibus Monasticis, ostendit. Vnam *Exteriorem*, in quâ Magnatum nobiliumq; liberi erudiebantur; *interiorem* alteram, quâ seueritate maiore, cùm iuuentus ipsa Deo dicata, tum Monachi quà incolæ, quà aduenæ, ad cultum sapientiæ efflorescebant: quam certè scholarum partitionem Ekkehardo Sancti Galli Decano deberi idem Hæftenus fatetur, vt potè qui in B. Notgeri vitâ, *Scholas claustri vbi Monachici habitus pueri instituebantur, distinxit ab exterioribus, quas Canonicas ipse nuncupat.* quod etiam in Concilio Aquisgranensi decreto peculiari firmatum est: *vt in Monasterio Schola non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt, id est Deo in religione consecrati*: quo pax Monasteriorum integrius conseruaretur, & Academiæ iam erectæ frequentes, maiori studentium numero coronarentur.

Sed cùm in rebus hominum multa regnet semper illusio, nihilq; inter mortales perpetuò stabile sit, quod vicissitudini non succumbat; cum tempore ingens torpor religiosas apprehenderat mentes, quæ quasi longioribus maiorum suorum defessæ

fessæ vigilijs, quo otio inerti litarent, studijs artium nuntium remiserant: nimirùm verè dictum à Tacito. *Subit quoq; ipsius inertiæ dulcedo, & inuisa primò, desidia, postremò amatur.* Scientiæ autem ab ipsâ Ordinis plantatione à nostris tantoperè cultæ cùm ita fastidirentur, vicissim sese vindicârunt, sui contemptores, viles apud omnes despectosq; reddendo. Vt verò, Neglectis vrenda silex innascitur agris; sic proscriptis à claustris Religiosorum studijs, grauissima mala exinde subintrârunt: quæ, vt ab agro Dominico, Sacrâ videlicet Benedicti familia Pontifices Summi submouerent, de studio reassumendo seria edicta tulerunt. Vnde Clemens V. exhortando Paternè exstimulat *Vt ipsis Monachis proficiendi in scientia via opportuna non desit, in singulis ipsorum Monasterijs, quibus ad hoc suppetent facultates, idoneus teneatur Magister, qui eos in primitiuis scientijs instruat diligenter.* Quam Clementis Constitutionem Benedictus XII. Ordinis Benedictini decus & Atlas egregius, insigniter auxit, eiq; robur firmissimũ addidit: in sua enim illa Bulla vulgò Benedictina dicta, quam pro vniuersis Monachis Benedictinis scripsit, de Studijs Monachorum Ordinis Nostri exactè & prolixè tractans Capite 6. sic inquit. *Quia vero per exercitium lectionis acquiritur scientiæ margarita, & per studium Sacræ paginæ ad cognitionem excellentiæ Diuinæ familiariùs peruenitur, ac per agnitionem humani Iuris, animus rationabilior efficitur, & ad iustitiam certiùs informatur. Nos cupientes vt Viri eiusdem Ordinis (Benedictini) in agro Dominico laborantes; in primitiuis, ac deinde in Diuini & humani, Canonici videlicet, Iurium scientijs instruantur: Constitutioni Clemen: Papæ V. & Prædecessoris nostri &c. inhærentes, illam Volumus & præcipimus firmiter obseruari, & nihilominus adijciendo statuimus & ordinamus; vt in quibuslibet Ecclesijs Cathedralibus, Monasterijs, Prioratibus, & alijs Conuentualibus & solennibus locis, quibus ad hoc suppetunt facultates Ordinis seu Religionis huiusmodi, deinceps habeatur Magister, qui Monachos eorum doceat in huiusmodi scientijs primitiuis; videlicet Grammatica, Logica, & Philosophia: prouiso attentiùs vt seculares in-*

*struendi cum ipsis Monachis docendis nullatenus admittantur. Cui quidem Magistro si Monachus non fuerit ipsius Ordinis &c.* Pensionem viginti librarum Turonensium quotannis dandam; si verò in Monasterijs adsit Monachus idoneus ad docendum, deputari ad id per suos Superiores debet, cui vltra victum & vestitum decem libras Turonenses pro libris, vel alijs suis necessitatibus emendis, dandas constituit. Antistites verò vt dociles & vitæ ac morum honestate decoros, ad puritatem Religionis tenendam, & ad acquirendum fructum scientiæ aptiores Monachos, cum consilio proborum & Seniorum de Monasterio, eligant: & quo loco, quo tempore, lectionibus scholasticis (quibus verò horis Diuinis officijs studentes) vacare possint, ordinent; idquè super instructores & instruendos? Num debitè omnia faciant, diligenter attendant, & negligentes compellant, ordinauit. Capite vero 7. eiusdem Bullæ de studentibus Monachis ad generalia studia mittendis agens sic orditur: *Caterùm quia expedire dignoscitur, vt postquam præfati Monachi in prædictis scientijs primitiuis eruditi fuerint, ad Sacræ Theologiæ & Canonum transeant facultates.* Vbi dociliores & Capaciores Monachos ad publicas Vniuersitates, mittendos esse iubet: modum etiam & viam, præscribit; qualiter, & per quos, hi qui studijs generalibus deputantur eligi debeant: quo etiam tempore anni à suis prælatis mittendi sint, definit. Circa cuius definitionis aliarumq; ordinationum executionem, si negligentes Antistites, vel Priores, fuerint; pænas in eosdem fulminat, & beneficijs priuandos decernit. Capite autem 8. idem Pontifex de pensionibus studentium prolixiùs duobus ferè folijs, tractans quantitatem pensionum tempusq; missionis præfixit. Modum faciendarum pro studentibus contributionum pænasq; non soluentium decreuit: Vniri posse beneficia curam animarum non habentia, pro augmento pensionũ ad studia mittendarum, concessit. Monachos verò bene de Literis meritos, Vitæ laudabilis, aliasq; idoneos & discretos per Superiores non debere à studio reuocari, sed permitti & prouideri

deri, vt ad gradus scientiarum, ad Baccalaureatus scilicet & Magisterij vel Doctoratus, honores perueniant, lecturasq; continuent: Vtque omnes in scientijs laudabiter proficientes Monachos, dignis attollant honoribus, & promotionibus efferant, Opportunis, Prælatos obligauit. In quos, si negligentes in prædictis repenrentur, vti statutis Pontificijs rebelles, Priori generalis studij, potestatem & ius dedit fulminandi & publicandi sententias, à quibus absolui nequeant, nisi per eundem vel Congregationis Præsidem, idq; pænis priùs solutis, et omnimodâ satisfactione impleta. Vetat ibidem ne Monachi ad Doctoratus & alios facultatum promouendi gradus, impensas prodigant maiores, vel conuiuia festiua procurent, super quo iuuare eos debere, priusquam promoueantur. Ad hæc Monachis, sicut cæteris Clericis ad gradus, & honores Theologiæ, & Iuris Canonici, accessus peruios indulsit; vbi etiam cuicunq; Ordinis nostri, qui in Parysiensi, vel in aliquo alio generali studio per sex annos in Sacra Theologia studuerit, & ad id sufficiens & idoneus fuerit, posse in ipso Parysiensi studio, vel alibi cursus consuetos Bibliæ facere: qui verò per octo annos, in Theol: profecerit, Libros Senten. legere valeat. In Iure quoq; Canonico, qui per sex annos Iura cañca in Parisiensi, vel alio generali studio audiuerit, ad Licentiam, vel Doctoratum, & Lecturam Iuris Canonici siue Decretorũ, in eodem Parisiensi, & quolibet alio studio, in cappa suæ religioni congruenti, dummodò sufficientes & idonei fuerint, absq; difficultate malitiosa & impedimento, ab omnibus liberè admittantur; sicut ceteri Clerici seculares ibidem consueuerunt admitti. Non obstantibus quibuscunq; statutis vel Monasteriorum eiusdem Ordinis, vel certè studij Parisensis vel aliarum quarumcunq; Academiarum, etiam confirmatione Apostolicâ roboratis. Derogatq; Vniuersis & singulis huiusmodi consuetudinibus & Laudis; expressis tamen statuto Parysiensi, *quòd nullus sine rubea cappa Decretũ legere permitti debeatur*, vel quòd nullus Iura Canonica legere valeat, vel vt Baccalaureus

legere

legere Decretales, aut ad Magisteriũ ascendere in Decretis, siue Doctor fieri Decretorum; nisi ibidem Canonicis Iuribus studuisset, &c. De his & alijs omnibus, copiosissimè insignis hic Benedictini assertor honoris Benedictus XII. in sua Benedictina, quæ ab ipsius nomine, & quòd pro Benedictinis Scripta sit, sortita nomen est, disposuit; & Authoritate quâ Valuit Apostolica inuiolabiliter constituit, vt studium in Ordine nostro priscis Visitatum Patribus restauraretur, & intermissum reassumeretur, si pristinum nitorem Ordinis vindicare, & Regularem obseruantiam cuperent conseruare. Aduerterat namq; prudentissimè vniuersi Orbis vrbisq; Romanæ Præsul Apostolicus, iacentibus literis spiritum Religionis sensim exhauriri, nisi vitali alimento literarum continuò nutriatur.

His itaq; Pontificum Decretis firmiùs inhærentes Cassinenses Monserratenses, Bursfeldenses, &c. similiter S. Mauri. Gallica & Lotharingica, Austriacaq;, Belgica Congregatio Ord. Nostri, vtilissimas pro studiorũ erectione leges condiderunt, quas studiosissimè illarũ Prouinciarũ Monachi amplectuntur: Maiorũq; suorũ secuti vestigia, pluribꝰ in locis è Cathedra publicè docent, publicasq; vniuersitates; vel à se olim erectas, vel ab alijs de nouo excitatas regunt, & ipsisq; summâ cum laude meritissimè moderantur; videlicet *Hiraci, Oueti, Salmanticæ* in Hispania: *Duaci Salisburgi,* in Germania: *Vesontione* in Burgundia; *Parisijs* in Gallia; apud *Rhintelenses* & *Gerardimontenses* in Flandria; & plerisq; alijs in locis, Diuinas atq; humanas scientias publicè profitentur. Vt mirùm sit ab æmulis hactenus spargi Studia, à Nostris negligi, cùm vix quidquam grauiùs in Constitutionibus prædictarum Congregationum commendetur, & diligentiùs nullibi studium è quibusuis alijs instauretur. Quanquam id de Benedictinis in Polonia Nostris vix ausim dicere, qui nec dum simili studiorum gloriâ prouocati, feriari videntur, neq; ijs animis ad tantum fastigium eruditionis contendunt. Quibus vt calcar addam ex SS. Patribus robusta argumenta nectam, facilius vt videant.

1. Quan-

1. Quantoperé ſtudium omnibus quidem Religioſis ſed præcipuè Benedictinis ſit neceſſarium. 2. Tum quanta mala Ordo Sacratiſſimus ex neglectu ſtudij acceperit.

Ac inprimis ex vetuſtiſſimo Patre S. Ephrem Syro pro Sacris Studijs agente & inertiam Monachorum damnante proferam, qui Paræneſi I. ſic loquitur. *Initium bonæ vitæ Monachi, eſt cognitio Dei ignorantia autem de Deo Monachi mentem excæcat.* Et rurſus *Exercitatio Monachi ſit iugis Scripturarum meditatio, vt eloquia Dei ſalutem noſtram dirigentia noſcat.* Cui aſtat Magnus Eccleſiæ Doctor S. Hieronymus: qui ſicut inter totius orbis ſapientes, ſapientiſſimi nomenclaturam accepit, ſicquoq; à Monachis & inſcitiam penitus ablegandam cenſuit: in Epiſt. ad Ruſt. ſic loquitur. *Ama ſcientiam Scripturarum & carnis vitia non amabis.* & poſtea: *Sic viue in Monaſterio vt Clericus eſſe merearis, multò tempore diſce, quæ poſtmodum doceas.* Præterea ad Paulinum Monachum, ſeu Prologo Bibliorum, qui totus eſt in monendo Paulinum ad ſtudium Sacrarum literarum inter alia hæc habet. *Oro te frater chariſſime, inter hæc viuere, iſta meditari, nihil aliud noſſe, nihil quærere: non ne tibi videtur, iam hic in terris regni cæleſtis habitaculum?* In Regula quoq; Monachorum, collecta per Lupum de Oliueto ſic habet. *Crebrius lege & diſce quam plurima, & tenente te codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat.* Et poſt pauca. *Poſt Sanctas Scripturas, Doctorum hominum Tractatus lege, eorum duntaxat quorum fides nota eſt, quoniam eruditio timorem creat, imperitia confidentiam. Illorum igitur tractatibus, illorum delecteris ingenijs & libris, quorum pietas non vacillat. Quid enim eruditione pia melius? quid ſuauius diſciplina? ſit tibi conuiuium Chriſtus, lectio Chriſtus, cogitatio Chriſtus. Quæ enim poteſt eſſe vita, ſine ſcientia Scripturarum, per quam etiam ipſe Chriſtus agnoſcitur? qui cibi, quæ mella ſunt dulciora, quam Dei ſcire prudentiam.*

Accedit Angelicus Doctor, qui ſicut Religionis perfectionem cum ſummo ſtudio Sacrarum literarum coniunxit, ſic etiam faciendum alijs Religioſis intimauit.

Primò ergò in Opuſculo 68. quendam, qui ipſum S. Thom. de modo ſalubriter ſtudendi conſuluerat, ſic admonet. *Tale à me ſuper hoc traditur tibi conſilium, vt per riuulos non ſtatim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire &c. Ea vero quæ audis vel legis fac vt intelligas, de dubijs te certifices, & quidquid poteris in armariolo mentis reponere, ſatage, ſicut cupiens vas, implere. Altiora te ne quæſieris: iſta ſequens veſtigia, frondes & fructus in vineam Domini Sabaoth proferes ac produces.* Ecce modum ſtudendi, & ipſarum literarum ſtudium, ſatis ab Angelico Doctore commendatum Viro Religioſo, qui ipſum de hoc puncto conſultabat. Inſuper in Opuſculo 29. quod eſt validiſſimũ propugnaculum Mendicantium Ordinum, contra Guillelmum de Sancto amore, & Sigerium quendam, Pariſienſes Magiſtros, multifariè Sacrarum literarum vſum Religioſis vtiliſsimũ tradit, ſpecialiter Cap. 2. multis Sanctorum Patrum teſtimonijs & exemplis confirmat, licere Religioſis *munus docendi.* & cum ad illud, addiſcendi ſtudium neceſſarium ſit, prorſus etiam ſcientiarum exercitium illis conſentaneum eſſe demonſtrat, ſicq; concludit *Monachis maximè docere & ſtudere competit.* Ideoq; in eodem Cap. adſtruit, poſſe Religioſum ab aliquibus obſeruantijs regularibus abſtinere *vt vtilitati communi vacet docendo.* ad hæc Cap. 15. eiuſdem Opuſculi affirmat, imitatores Iuliani Apoſtatæ eſſe, qui Religioſis ſtudium interdicunt, additq; *Eis præcipuè literarum ſtudium competit.* Quod non modo de Sacris literis, ſed & de ſæcularibus ſcientijs etiam, dummodo ab illis quæ nociua ſunt reſecentur, ex mente Hieronymi & Auguſtini intelligit, his verbis. *Item quod non ſolum, Studio literarum Sacrarum, ſed etiam ſtudio literarum ſæcularium laudabiliter vacare poſſint Religioſi, expreſſè habetur per Hieron: in Epiſt. ad Pammachium Monachum, Si adamaueris captiuam mulierem, ſcientiam ſcilicet ſæcularē, & eius pulchritudine captus fueris, decalua eam, atq; illecebras crinium atq; ornamenta verborum cum vnguibus ſeca: laua eam Prophetali nitro, & tunc requieſcens cum illa dicito, ſiniſtra eius ſub capite meo, & dextra*

*dextra illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israelitis.* *Ex quo patet, quod & Monachis liceat sæculares scientias addiscere, dummodo ea, quæ ibi reprehensibilia inueniuntur, secundum regulam Sacræ Scripturæ resecentur. Item Augustinus in 2. de Doctrina Christiana dicit. Philosophi qui vocantur, si qua forte vera, & fidei nostræ accommoda, dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda.* Hæc omnia S. Thomas ex Hieronymo & Augustino, pro literarum studio Religiosis commendando protulit: quæ non solum Sacrarum, sed & humanarum etiam scientiarum, si recte exerceantur patrocinantur causæ.

Vener: quoq; Thomas Kempensis de Disciplina Claustralium lib. 5. ad studium claustrales eo modo ducit. *Tria sunt omni Religioso necessaria, sine quibus non potest diu stare in bona vita. Hæc sunt, Oratio, Lectio & Operatio. In istis omni die se exercere debet, & semper in aliquo horum occupari. Et infra. Lectio debet esse quasi oratio, & antequam legas præcedat oratio. Lectio sacra ignorantiam nostram erudit, dubia soluit, errores corrigit, bonos mores instruit, facit cognoscere vitia, hortatur ad virtutes, excitat ad feruorem, incutit timorem, recolligit mentem, recreat fastidiosum animum. Isti sunt sacrarum literarum fœtus, quos ex illarum contubernio Religiosus acquirit.* In Opere etiam, quod *Vallis liliorum.* vocatur, sic loquitur ad intentum. *Quod multi habeant multa dubia, non est culpa, nec vitium sacræ Scripturæ, sed cæcitatis mentis eorum, & negligentia studij in sacris libris, qui continent æternæ salutis necessaria documenta, Igitur canonicas scripturas libenter lege, & expositiones Doctorum cum digentiâ aduerte, & intelligere stude. Quia ignorans teste Diuino eloquio ignorabitur, & multos ignorare faciet & ignorari.*

Accinit ad hæc Ioannes Trithemius doctissimus & zelosissimus Ordinis nostri Abbas, qui in libro Exhortatorio ad Monachos, exercitium literarũ necessarium esse docens, eodem studio Ordinem Benedictinum primitus floruisse demonstrat. *Duo*

*ſunt* ( inquit) *quæ Ordini in obſeruantia tenuerunt, Amor videlicet DEI & ſtudium ſcripturarum, quibus deficientibus Monachi quoq; à ſancta inſtitutione receſſerunt. Nonnulli enim rudes, inexperti, & ſine ſcientia ſcripturarum, cum non haberent vbi cor ſuum delectabiliter figerent, ad amorem ſæculi conuerſi, diſciplinam Ordinis miſerè deſtruxerunt.* Idipſum verò alibi ſæpius lugubritèr deplorat: nam in Oratione quadam in Conuentu Abbatum habita, hæc ait. *Nihil Principes terræ in Ordine Noſtro venerabantur antiquius, niſi Vitæ meritum & Scientiæ doctrinam, quibus neglectis, Ordo deuenit in contemptum. Mox enim vt ſe negotijs ſæcularibus immerſerunt, lectiones ſcripturarum neglexerunt, mutari cæpit color diſciplinæ optimus, deuotio tota expirauit*: Subditq; *Saluo priuilegio paucorum quod non facit legem communem, Monachus vel Abbas abſq; amore & ſtudio ſcripturarum ad internæ dulcedinis guſtum, raro aut nunquam poteſt pertingere* : Clarius idem intentum proſequitur. Homilia 4. ad Monachos, cuius ſcopus & titulus eſt de lectione & ſtudio Diuinarum literarum, vbi inter plurima alia, hæc quoque; *Vos itaq; fratres mei, ſi Dominum JESVM in toto corde veſtro veraciter diligitis, ſi complacere illi ſuper omnia, vt veri milites deſideratis, ſi deniq; ad perfectionem vitæ Monaſticæ cupitis proficere, in lectione diuinarum ſcripturarum debetis vos ſemper cum affectione feruidâ occupare. Vos certe decet, diuina ſtudia quotidiè legendo & diſcendo reuoluere, quibus & tempus copioſum, ab occupationibus feriatum conceditur, & locus raritate occurrentium ſatis conueniens offertur. Ideo vos hortor & moneo, ſi veſtram ſalutem diligitis, vt lectiones Diuinas in manibus ſemper habeatis, quatenus omne tempus, quod vobis poſt orationis cultum, ſine labore permittitur, ad S. Scripturæ ſtudium expendatur. Non prætereat dies vlla, in quâ Monachus Chriſto militans, non aliquid legat & diſcat ex Sacris voluminibus, quod eum in ſancto propoſito faciat meliorem &c. Non vos precor ſeducat, quorundam aliorum Monachorum veſana ſtultitia, qui ſuam ignorantiam trito conantur excuſare prouerbio, dicentes : Ad quid nobis ſcientia Scripturarum, qui prædicationis nullum habemus officium? Viri Sapientis amplectimur conſilium, qui dicit in libro*

*libro Prouerb.* Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter. *Sufficit nobis simpliciter viuere, quoniam Seruus sciens voluntatem Domini sui & non faciens, vapulabit plagis multis; qui autem non cognouit, & commisit digna plagis, vapulabit paucis. O stulti & perditissimi petrones, qui scientiam salutarem contemnitis, & ignorantiam Diuinarum scripturarum potius, quam intelligentiam amatis. Nunquid affectata ignorantia paucioribus vos plagis reddet obnoxios? Aut propterea delinquentes eritis coram DEO innoxij, quia mandatorum DEI voluntariè estis ignari? Duplici pœnâ cruciandi eritis, alterâ, quod scire viam mandatorum DEI contemnitis; alterâ, quod sermones eius non custoditis. Non est, quam allegatis, Simplicitas, sed duplex potius impietas. Nam si iuxta Prophetam* beati sunt qui scrutantur testimonia Domini, *quis dubitet illos esse maledictos, qui nec DEVM exquirunt, nec Scripturas eius aduertunt, sed indurato magis animo contemnunt? Audite quid vobis Salomon dicat in Prouerbijs.* Vbi non est scientia animæ; non est bonum, & Stultitia hominis supplantat gressus eius. *De vobis etiam ò stultissimi tenebriones, illud intelligitur S. Hieronymi* quoniam ibi non est ignorantia iam excusabilis, vbi scitur, quid sit illud quod ignoratur. *Magis autem cauendum vobis, ne cum illis tandem computemini, qui dixerunt DEO,* recede à nobis, viam Scientiarum tuarum nolumus. Et post pauca, iterum. *Vnde fratres non facit vos ignorantia Diuinarum scripturarum excusatos coram DEO, sed dupliciter reos, qui, ne DEI voluntatem oporteat vos facere, eam penitus cupitis ignorare. Certè, homo, Diuinæ voluntatis non debet esse ignarus, qui ad hoc in mundo ponitur, vt per illustrationem intellectus, & puritatem affectus, Visionis eius sempiternam fruitionem promereatur. Vtraq; enim cognitio, DEI videlicet & sui, vnicuiq; mortalium necessaria est ad salutem, quam nusquam inueniet sine notitia scripturarum. Enimuero sicut ex cognitione sui, venit in hominem timor DEI, & ex notitia DEI, nascitur amor DEI, ita prouenit ex ignorantia sui, Superbia, & ex neglecta DEI cognitione, cum desperatione salutis contemptus. Nihil infelicius Monacho indocto, qui studium Sanctarum*

*scripturarum vel negligit vel contemnit: quia nunquam potest in vera cordis tranquillitate apud semetipsum purus consistere, sed compellitur inquietudine propriâ contra Monasticæ conuersationis integritatem externis mentem & inutilibus occupare. Idcirco non cessabo vos cohortari ad sancta studia scripturarum, sciens quod amator sacræ lectionis non potest carnalium esse operator vitiorum. Quanto enim Monachus in perdiscendis scripturis fuerit studiosior, tanto minus carnalium voluptatum ardoribus inflammatur.* In eandem rem, insignia multa vtiliaq; habet, eodem sermone idem bonus Abbas; qui cum esset zelosissimus Ordinis nostri Reformator & Abbas, multaq; ad vtilitatem Monachorum fecisset & scripsisset; placet ex eiusdem insigni Oratione 5. de 12. Vulpeculis vineam Benedictinam demolientibus, seu de 12. excidijs Obseruantiæ Regularis, habitâ in Capitulo Annali ad Abbbates, hoc, quod ad studiū literarū pertinere videtur desumere, vbi sic candidissimè loquitur. *Quintum Obseruantiæ Claustralis excidium est, studij Regularis omissio. Quid autem est Regulare studium, nisi iuxta B. Benedicti Regulam, serio & passim præcipientem, lectionibus insistere scripturarum. Sed nostri Abbates & Monachi, hoc salubre studium literarum abijciunt, otio, & vanitatibus intendunt, pro studio scripturarum, auaritiam, pro libris, voluptates carnis, amplectuntur. Ex his nonnulli temporalibus rebus immersi, omnem lectionem scripturarum omni tempore penitus negligentes despiciunt. Alij voluptatibus dediti ad thermas & conuiuia discurrunt, nonnulli, quod dementiâ plenum est, Monachis suis legendi studium interdicunt. Non mentior, Patres, non mentior: quippe, qui tales non paucos nouerim, qui nobilia suorum ingenia opprimant, qui legere Monachos nihil præter humilia permittunt. O stulti & insani, quare studium regulare contra Regulam prohibetis? Vos enim cum sitis omnium literarum bonarumq; artium ignari, Monachis vestris ingenio valentibus studium earum interdicitis: iuuenum generosos animos ad vilia exercitia coarctatis: quos dum literis vacare non permittitis, otio & vitijs perituros commendatis. Forsitan timetis, ne si doctiores euaserint, vos in eorum comparatione imperiti rudesq; iudicemini, aut certe do-*

*tè doctrina illorum correctio fiat vestrorum scelerum ? Enimuerò, si veri obseruatores Monasticæ conuersationis essetis, non tantopere Monachos doctos potuissetis contemnere. Nunc autem cum sitis erga disciplinam regularem negligentes, & vitijs ac sceleribus dediti, Monachos simplices, rudes & imperitos libenter admittitis, quorum redargutiones nullas timeatis. Perniciosæ libertatis cupidi amatores effecti, sub titulo humilitatis ignorantiam inducitis, quia Monachos indoctos meliores æstimatis. Et quamuis non sit Ouium Pastorem reprehendere, licet tamen subditis Prælatum à via veritatis aberrantem humiliter admonere : quoniam etsi bona sit obedientia, nunquam tamen est veritati præferenda. Vos autem rudes & imperitos Monachos habere quæritis, quos & ignorantia timidos faciat, & loqui pusillanimitas non permittat. Si vero humilitatem ex recta intentione quæritis, insipienter nihilominus agitis, quod Monachis studium literarum prohibetis. Neq; enim omnibus datum est Contemplationi, & Orationi semper insistere, aut Meditationibus continuò vacare. Igitur Monachi secundam Regulam cellis inclusi, quo exercitio tempus vtiliter poterunt expendere, quibus interdicitis studio & literis operam dare ? Necesse est enim, vt cogitationibus vanis, & inutilibus defluant, vel certè fabulis intenti foras sedulo discurrant. Non ne longè melius esset Monachum in cella studiosum & quietum persistere, quam lectione despectâ, otio & detractionibus vacare ? Sed nec altis ingenijs innata libertas deneganda est: quoniam cum lectio discentibus interdicitur, tædium infirmis generatur. Vos autem qui excelsa ingenia Monachorum, sub humilitatis umbra supprimitis, coarctare vestros ad infima soletis : dum præter quatuor nouissima, & his similia nihil Monachis legendum existimatis. Enimuerò, si Monachus sæcularem quempiam Authorem legere cæperit, si carmen vel quodlibet aliud edere tentauerit : quasi iam fidem Christi abnegauerit, exclamatis, Quid iste delirus insanit ? Num & ipse vult esse Poëta ? Crimen est apud nos legisse Poëtam, carmen legisse scelus, sacrilegium nouisse Prudentium. Sed dicite mihi qui hoc nomen Poëtæ tantoperè contemnitis, si quid sit Poëta scitis ? Scio quod ignoratis. Quod autem si DEVM vocari Poëtam etiam apud Christianos monstra-*

*strauero! Ecce Sanctißimi Patres, qui Græcis literis fidei Symbolum in Nicæna Synodo scripserunt? Sic dixisse leguntur.*

*Credimus in vnum Deum Patrem Omnipotentem Pöetam cæli & terræ. Nunc ergò, si malum est esse Pöetam quare hoc nomen Deo ascribitur? Sed erratis. Pöeta honestissimum vocabulum est. Nam ποιητὴς græcè, factor interpretatur latine. Non ergo omnis pöeta mendax, sicut rudes & imperiti fingitis. Fuerunt enim multi Sanctissimi Viri Pöetæ, sicut Prudentius, qui pro fide nostra carmine varia scripsit. Sedulius, Arator, Iuuencus, Prosper, Auitus, B da, Rabanus, Adhelmus, & alij complures, quorum apud nos incertus est numerus. O Patres, Patres, non sic olim fecerunt in Ordine nostro Abbates, qui se Monachos in omni facultate gaudebant habere doctissimos. sic Marcus Pöeta familiaris discipulus Sancti Patris nostri Benedicti adhuc in carne viuentis, heroico carmine vitam & miracula, descripsit. Alios quoque Nostri Ordinis Monachos, & multos & Sanctos hoc loco possem adducere, qui in omni arte literaria doctissimi claruerunt, Philosophi magni, Oratores præcipui, Astronomi, Pöetæ, Musici, & Mathematici præstantissimi. Hos imitari Patres atque Doctores Monachis laudabile est, & omni virtute laborandum. Neque sæcularium Scriptorum volumina Monachis interdicenda sunt, sine quorum ministerio, & lectione, Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum Opuscula nemò facilè intelligit. Eos autem Pöetas, qui turpia sectantes libidinem concitant, non Monachi tantum, sed etiam Christiani quique legere prohibentur. Multi enim ad instructionem nostram benè scripsère Pöetæ. Nam & Sanctus Apostolus Epimenidem, Aratum & Menandrum Græcorum allegat Pöetas; quod etiam multi Sanctorum Patrum sine offensione in exemplum traxerunt. In omnibus tamen, quæ agimus, necessarium est, vt intentionem nostram ad debitum finem dirigamus.*

*Dicit enim de intentione Saluator noster in Euangelio. Si oculus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Monachis igitur sæculariũ libros recta intentione legentibus, B. Augustini sententia patrocinium præstat, qui benè à Philosophis dicta, in nostrum vsum tanquam ab iniustis possessoribus vendicanda confirmat. Sed Nostri Abbates, & cæteri*

*teri claustralium Rectores, qui Monachis studium literarum interdicunt, mihi veteres doctissimos Monachos in exemplum proponenti, ita obijciunt. Si, inquiunt, Monachi Nostri veteribus illis essent eruditione & sanctitate similes, si in humilitate regulari æquales, nequaquam eis studia literarum interdiceremus? Ad quos ego. Vt Monachi vestri fiant docti, primùm necessarium est existant discipuli. Nemo enim facilè sine Doctore doctus efficitur. Vos autem potiùs centum auri nummos, in balneis & vagis discursibus inutiliter consumitis, quàm ad conducendum eruditum præceptorem Monachis vestris quatuordecim expendatis. Deniq; si non placet eis præceptorem conducere, permittite saltem vnum quemq; in cella seorsim literis vacare. Etsi Monachus studio deditus, carmine, vel prosâ cœperit aliquid quamuis pueriliter componere, noli prohibere, si eum vis quandoq; doctum & eruditum euadere. Nemo enim repentè fit summus. Amor, & exercitium, studium perficiunt literarum.*

*Neq; enim doctissimi Nostri Ordinis veteres illi Monachi vnquam profecissent ad summa, si minora studia eis fuissent interdicta. Multo tempore ingenium legendo, & scribendò exercitandum est in secreto, vt tandem in publicum egredi possit, sine periculo. Diu volandi vsum in nido exercent auiculæ, vt natura consuetudine roborata, nulla temeritatis incurrat pericula. Nemo enim doctus & eruditus nascitur, sed omnis scientia literarum, vsu & labore acquiritur. Vos itaq; Patres, si Ordinem collapsum ad pristinum decorem optatis resurgere, nolite Monachis studium bonarum artium inhibere: sed potiùs eos, qui literas videntur spernere, ad amorem Scripturarum verbo & exemplo inducere, laborate. Sola enim scientia Scripturarum est, quæ Monachos facit in cella quietos consistere: quam, si claustralibus interdicitis, vagos, inquietos, & vanitatis sectatores fieri compellitis. Nam etsi melius sit, orationibus deuotis, & contemplationibus sanctis, omni tempore insistere; tamen qui ad hoc sint idonei, paucos valdè possumus inueniri: quoniam exercitium contemplationis non omnibus conuenit; sicut Dominus per Moysen dicit: Bestia quæ tetigerit montem, lapidibus obruatur. Per bestiam hominem carnalem, & adhuc animalibus passionibus subie-*

*ctum intelligimus, quem ad montem contemplationis sine periculo non posse ascendere scimus; Sancto hoc perhibente Apostolo.* Animalis inquit, homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI, stultitia enim est illi, & non intelligit ea: quia spiritualiter examinatur. *Multò igitur tempore, mens studio & lectione scripturarum exercenda est, ne si rudis & passionibus carnis agitata, sine ductu Diuinæ Doctrinæ altum contemplationis montem ascendere tentauerit, ibi incidat fieri periculum, vbi se spiritualis exercitij crediderat inuenisse profectum. Cùm ergo vita Monastica ad sanctæ contemplationis verticem, sedulò iubeatur contendere, necessarium est Monachis adhuc carnalibus priùs multò tempore orationibus, & lectionibus Scripturarum operam dare: quoniam quisquis rudis & vitiorum passionibus occæcatus, sine lumine scripturarum, densissimam Diuinæ contemplationis caliginem ingredi præsumpserit, durissimis lapidibus errorum obrutus, non sine grauissimo periculo suæ fidei redibit. Et ob id summus Diuinorum contemplator Dionysius, Timotheum de mystica Theologia docens, probibet, ne hanc contemplandi secretam scientiam ad aures rudium venire permittat. Et in symbolicis, de carnalibus hominibus idem Hierarches ait: Etenim multi animo infirmi & imperfecti grauem absurditatem contrahunt, quando occultæ sapientiæ Patres, per aliqua occulta & euidentia ænigmata, elucidant Diuinam & mysticam & inaccessibilem immundis veritatem. Cùm ergo scientia scripturarum sinceritati fidei, & morum institutioni omninò sit necessaria, quisquis eam Monacho interdixerit, & Deo & Christianæ fidei grauem iniuriam facit.* Hæc grauissimæ verba cohortationis Trithemius, in audientia 70. Abbatum dixit, & candidè scriptis suis idipsum commendauit, quibus clariora proposito nostro nec possent desiderari.

Cùm tamen abundare satiùs visum sit Doctorum in hac re testimonijs: Eminentissimus quoq; Vir, Cardinalis Vitriacus, iacentem Ordinis Nostri Benedictini disciplinam & statum, maiorem in modum labefactatum deplorans, inter cæteras ruinæ causas, *neglectum lectionum & sacrarum scripturarum meditationem reponit, atq; inde adeò factum, vt prædæ ac direptioni Monachi cum*

*Monaste-*

*Monasterijs expositi, hoc maiora adierint discrimina, quòd qui suspicere & integros mores laudare consueuerant illustres Viri, paulatim euaderent haud minùs ad auferendum proni, quàm olim fuerant ad largiendũ prompti.* Hæc ferè Vitriacensis Hist. Occid: Cap. 20.

Libet præterea his Patribus adiungere, quæ Ioannes Nider Dominicanus, neglectum studiorum in Religiosis perstringens, & radices lapsuum diuersorum Ordinum enumerans, sic ait. *Octaua radix perditionis Religiosæ est, studij Religiosi omissio, quæ iam Mendicantium Ordines, eos comparando ad præterita, multum tendere facit ad occasum. Percepi id ipsum ab Ordine possessionatorum, & à viris optimæ conscientiæ, se non diu reformatos esse mansuros, nisi studium apud se resuscitarent. Habet igitur locum hodie in vtrisq; illud Osee 4.* Conticuit populus meus eò, quòd non habuerit scientiã, quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum ego. *Literatorum enim Virorum carentia in Monasterijs, literatis sæcularibus ingressum vetat, Ordinis Prælatos reddit contemptibiles, vitiosos nescit corrigere, nec tentatos iuuenes credere sinit suis Rectoribus. Hæc* Nider. Similem querelam de Seraphico S. Francisci Ordine depromit. Henricus Sedulius.

Tandem quæ Guillelmus de Paraldo Vir doctus & pius, circa Monachorum studia, damnaq; ex regularium inscitiâ orta dixit, in medium producam. *Negligentiam lectionis in multis Monasterijs multa mala sunt secuta. Primùm subsecuta est inde cæcitas ignorantiæ, quæ inter maculas prima numeratur, propter quas à Dei ministerio aliquis repellitur. Rursus negligentia lectionis, in multis Monasterijs collocauit Monachos in obscuris sicut mortuos sæculi. Quomodo immunditia caueretur, vbi quid esset immundum non agnoscebatur? quomodo præcepta regularia obseruarentur, vbi non intelligebantur? quomodo semitam Religionis tenere poterant qui cæci erant? difficiliùs enim est, tenere semitam quàm viam latam & publicam. Rursus quoq; ex defectu sapientiæ contigit in multis Monasterijs, vt ibi non sanaretur, qui infirmus intrabat, vel qui infirmitatem incurrebat: sicut*

*enim salus est, vbi multa sunt consilia; sic erit mors vbi nulla consilia. Item ex eadem causa contigit, quòd paruuli qui intrabant. Monasteria illa, non proficiebant; imò pro defectu cibi spiritualiter peribant Si enim petebant Panem, non erat, qui frangeret eis. Vnde præ esurie, & siti anima eorum in ipsis defecit. Ex eadem etiam causa contigit, quòd illi qui in Monasterijs impugnabantur, vincebantur, cum non haberent gladium spiritus, scilicet verbum Dei, quo hostes maximè inuisibiles superantur. Ex eadem etiam causa consecuta est in Monasterijs simoniaca corruptio, tam in receptione Monachorum, quàm in institutione Prælatorum. Item ex eadem causa contigit vt Monachi, carnales delicias quærerent, cùm spirituales non haberent. Anima enim rationalis nobilissima est creatura, & ad æternas delicias creata, sine delicijs esse non potest. Item ex eadem causa contigit, vt in Monasterijs, de rebus maximis cura minima, & de rebus minimis maxima cura haberetur. Corpora procurabantur splendidè, & non curabatur de animarum refectione. Si amittebatur asina quærebatur; & si peribat anima non reputabatur. Tandem sic Monachi, qui sunt in Monasterio, vbi deest sapientia, sunt veluti cæci iuxta foueas magnas, quas non cauent, quia non vident.* Hæc inter alia Author iste grauis, paucis à me mutatis, vel interiectis, de inscitia Monachorum, ignorantiaq; quorundam regularium dixit, vt vel sic agnoscant omnes, literarum peritiam vtilissimam esse Religiosorum cætui.

Quis tandem de re certissima vel leuiter dubitare poterit, cùm constet Ecclesiæ Primates & Patres, Monachos fuisse, simulq; literarum humaniorum etiam studiosissimos. Hoc ipsorum testimonijs, vel aliorum pro ipsis liquidò innotescet. De Gregorio Nazianzeno, & Basilio sic Rufinus. *Diuina volumina non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, & authoritate commentando prouoluebant.* De Sancto Ephrem Basilij coætaneo præclaroq; eremi cultore, sic loquitur Gregorius Nissenus eiusdem Basilij frater. *Omnem, & antiquam & nouam scripturam, assiduo studio, studiosè versauit, accurateq; ad verbum est interpretatus. Et ab ipsa procreatione mundi, vsq; ad postremum Gratiæ Li-*

*tiæ Librum, quæ abdita, quæq; arcana, ac recondita erant, Spiritus adiutus lumine, commentarijs illustrauit.* De magno quoq; Hieronymo in eius legenda sic habetur. *Quanquam variè morbis doloribusq; tentaretur, tamen corporis incommoda pijs laboribus, & perpetuâ lectione, ac scriptione superabat. Hac de causa latinam bibliorum versionem consignauit Ecclesiæ, Hebræas (vti Cato Græcas) literas in senectute perdidicit, Bethleem & loca sancta adijt, & veteres omnes Græcos, Latinosq; Commentatores teste sancto Augustino legit.* Sed quid de eodem Augustino referam? Quis vnquam discernere potuit, in quo, num in Monastices perfectione, num in sacrarum literarum studijs, magis profecerit? audiatur ipse. *Tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas, ab ineunte ætate, vsq; ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliori ingenio, conarer addiscere.* En Augustini votum circa sacrarum literarum studia. De Sancto ac Venerabili Beda Benedictino Monacho? loquatur ipse. *Ego septennis Monasterium ingressus, ibi tota vita, omnem meditandis scripturis operam dedi, atq; inter obseruantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper, aut discere, aut docere, aut scribere, dulce fuit.* Quid de sanctissimis Patribus Chrysostomo, Gregorio, Cyrillo, Ildefonso, Anselmo, Bernardo, ex antiquioribus & ex recentioribus, Thoma, Bonauentura, Alberto, Bernardino, & alijs, dicam? Nisi statum Religiosum Monasticumuè, sacrarum literarum studijs coli, perfici, & augeri, opere ipso demonstrasse. Sicq; nullum sanæ mentis fore credam, qui Diuinarum literarum studium perfectioni Religiosæ obesse, contradicat. Solùm id Hæretici effutiunt, qui cùm sua dogmata à Monachis euerti sciant, literis orbatos, peritiâq; destitutos vellent; Catholici verò nec in somnijs tale dilirium patiantur.

Ast nobis vehementer obijcient, bonarum literarum quidam osores, Patrum plures, antiqui & noui æui, ipsarum literarum studia Monachis reprobasse; verbis, factisq; interdixisse.

Celebre est illud D. Hieron: quod habetur 16. q 1. *Monachus non Doctoris habet, sed plangentis officium.* Celebre quoq; illud Augustini 8. Confeff: cap. 6. *Surgunt indocti & rapiunt regnum DEI, & nos cum nostris literis demergimur in profundum.* De ipso Sancto P. N. Benedicto narrat Sanctus Gregorius, quòd cùm Romæ liberalibus literarum studijs traditus esset, à tali exercitio, quantociùs pedem retraxit, ne in immane præcipitiũ totus iret. Addens. *Recessit igitur scienter nescius & sapienter indoctus.* Auctor etiam est Cassianus, Theodorum Monachum, sanctum, rudem quidem, sed Diuino lumine peritum, dicere solitum. *Plus in vitijs extirpandis, quàm libris euoluendis operæ ponendum esse.* Ad hæc Hugo Victorinus sic inuehitur in Monachum studijs literarum deditum. *Tu Monache, semper ieiunijs, & fletibus insistere debes, & tu philosophari quæris? Simplicitas Monachi philosophia eius est.* Sanctè quoq; Bernardus in sermone de tentationibus Monachorum, inter eas reponere videtur exercitium literarum; sic enim docet. *Scimus Monachi officium esse, non docere, sed lugere.* Et quod magis est, se ipsum literis & lectioni addictum lamentatur, istis verbis. *Væ mihi quia ista dico, & ista non facio.* Et infra. *Plus diligo lectionem, quàm orationem. Verùmtamen nihil aliud me docet Diuina scriptura, nisi Religionem amare, vnitatem seruare, charitatem habere. Ego autem miser, & miserabilis, citiùs curro ad lectionem, quàm ad orationem; libentiùs volo legere, quàm missas auscultare. Expectat me aliquis volens de necessitate sua mihi loqui, ego verò librum aliquem accipio, lego in eo, legendo amitto fructus charitatis.* Petrus quoq; Damianus insignis Author, Cardinalis, & Monachus, totam Epistolam 17. in eo consumit, vt Ariprandum Monachum à literarum studijs penitùs amoueat. Demùm S. Ægidius B. Francisci comes quondam dicebat: *Sufficit scientia, benè beateq; viuendi.* Quibus omnibus, ea quæ superiùs diximus de literarum exercitijs, euerti radicitùs videntur.

Maximè id secundò stabiliri posset; quia si literarum exercitium Monachis necessarium est, ideò necessarium est, vt inscitia

ſcitia ignorantiaue euertatur. Hanc verò potiùs per orationem tolli ſuadent, & Antonij exempla & Pauli, qui abſq; literarum gymnaſijq; concurſu doctiſſimi euaſerunt. Et ex recentioribus Franciſcus vterq; Aſſiſius & Calaber, Franciſcus Senenſis, Didacus Complutenſis, & alij, qui ſcholaſticorum concurſus abhorrentes, perfectiſſimi Monachi euaſerunt, nec indocti Myſticæ ſolùm Theologiæ ſtudio, quod orationis mentalis exercitio habetur. Quin ex Marci Maruli verbis idipſum comprobare libet. *Hermontis Nitriæ Abbas literas non didicerat, & in oblato ſibi libello, cùm oraſſet, legere cœpit: neq; minus doctrinæ illi, vnius, aut alterius horæ contulit oratio, quàm alijs, multorum annorum ſtudium.* Quam etiã vim habuiſſe Sancti Romualdi orationem in eodem loco idem Author deſcribit. *Romualdus Abbas Ordinis Camaldulenſis, cùm ad Sutrij Montis Monaſterium deueniſſet, & ibidem miſſam celebraret, aliquam diu in extaſi raptus ſtetit. Poſt hæc Pſalmorum meruit effici expoſitor, quorum pauloante, nec lector quidem ſatis idoneus fuerat. Dum enim ipſum Dei verbum quod tunc manibus contrectabat, intenſiùs, aut etiam attentiùs conſiderat, Sanctorum verborum percipere meruit anagogen, latentemq; ſub litera ſenſum. Plurimorum annorum ſtudium ad tantum Diuinæ eruditionis profectum nunquam illum extuliſſet, ad quantum die vna Chriſti perduxit contemplatio.* Accinitq; Hugo Victor. dicens. *Ad ſacræ ſcripturæ cognitionem, opus eſt intima compunctione, magis quàm profunda inueſtigatione, ſuſpirijs, quam argumentis, crebris gemitibus, quàm copioſis argumentationibus, lachrymis, quàm ſententijs, oratione quàm lectione, gratia lachrymarum, quàm ſcientia literarum, cæleſtium contemplatione magis, quàm terreſtrium occupatione.* Si ergo ob vitandam ignorantiam literarium exercitium in Religionem inducimus, facilior nobis demonſtratur via, oratio nempe: ac proinde iuſtum videtur, ſcientiarum vſum à Chriſti Schola, quæ eſt Monachalis profeſſio, relegare.

Id tandem non incongruè corroborant, à viris probatis exempla relata, quibus, nociuam eſſe Regularibus ſcholaſticam

exercita-

exercitationem conuinci videtur. Mirabile inprimis eſt quod ex actibus S. Franciſci graues Authores adducunt. Frater Ioannes de Stratia tempore S. Franciſci ex Ordine ipſius Miniſter erat Bononiæ, vir doctus & literatus; abſq; licentia tamen S. Franciſci Bononienſe ordinauit ſtudium, ob quod talem ab ipſo Franciſco increpationem meruit accipere. *Tu vis deſtruere Ordinem meum, deſiderabam enim, & volebam exemplo Domini mei, fratres meos magis orare, quàm legere.* Quin rediens Bononiam, dirâ maledictione prædictum Ioan: affecit, qui ſtatim infirmari incipiens, & decumbens, ad S. Franciſcum miſit, vt retractaret maledictionem, cui reſpondit, quòd illam iam confirmaſſet Dominus IESVS in cælo, vt eſſet maledictus. Accidit quoq; vt ſubitò quædam gutta ignea & ſulphurea, de alto, ſupra corpus infirmi caderet, quem, & lectum in quo iacebat perforauit ſicq; maximo cum fætore miſer expirauit. Tremendum hunc caſum F. Antonius Perez Benedictinus Noſter, ex libro Exemplorum Patrum retulit. In libro quoq; Corona Virginis nuncupato, & per *Fratrem Mauritium de villa probata*, compoſito, hæc habentur in Prologo. Cùm frater quidam valdè Religioſus, tempore D. Innocentij IV. ſuper quendam ligatum Dæmoniacum deuotè oraret, cæpit clamare per os eius. *O quot mala mihi facitis vos Prædicatores, & Minores? Sed breui nos vindicabimus de vobis. Cùm eum frater per Crucifixum adiuraret, vt diceret quomodo? coactus reſpondit: Duo de Magnis Principibus noſtris exierunt contra vos, Vnus, vt Prælatos & Principes concitet contra vos: Alius, vt vos mutationibus locorum, & ædificiorum, & librorum, & opinionum impediat, & perturbet.* Ecce quomodo perturbatio librorum, & opinionum, quæ literarum exercitium comitatur, effectus dicitur Principis Dæmoniorum. In eodem quoq; libro Sermone 3. exemplum quoddam affertur, quod abs dubio intentum iſtud roborare videtur. Authoris en verba. *Exemplum etiam de illo ſcholaſtico Paryſienſi, qui apparuit Magiſtro ſuo poſt mortem, habens pallium ſuum ſchedulatum multis ſophiſmatibus, & plenum*

*num multis syllogismis : Et quærente Magistro quomodo stabat, dixit, quòd cappa illa plùs ponderabat, quam aliqua turris mundi; & quòd intus indicibiliter vrebatur. Tunc Magister eius dixit; cum deuotus mori visus sis, quid hoc est? ille dixit: vis ne modicum experiri? extende manum tuam. Quod cum fecisset; ille scholaris distillat vnam guttam sudoris in manus ipsius Magistri: Et statim cum magno dolore manus eius erat perforata, & ipse scholaris euanuit ab oculis eius.* Tunc Magister dixit.

*Linquo coax ranis, cras coruis vanaq; vanis.*
*Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.*

Et intrans Religionem Clareuallensem, arctam egit pænitentiam. hæc iste Author. Insuper literarum studium damnare in Religiosis, euentus ille videtur; quem se subijsse S. Hieron: scribit: Nimirum raptum se in extasim quodam tempore, & adductum in iudicium: Vbi interrogatus, qui esset? responderat Hieron: se esse Christianum: Non plane reposuit Iudex, es Christianus, sed magis Ciceronianus? ob idq; plagis dignus? quibus mandante eodem iudice, affectus Hieron: in plerosq; dies euigilans, senserat plagarum vibices. S. etiam Odo Cluniacensium Benedictinorum insigne decus, cùm aliquando vt scientiam dignam Ecclesiastico viro compararet, Virgilium Pöetam legere inciperet; somno oppressus interim fuit, in quo quasi sitienti sibi vas aliquod insigne, sed serpentibus plenum, sibi porrigi vidit: qui perterritus illo visu, profanas literas non placere Numini, aduertit, totumq; se inposterùm literis sacris addixit. Ex quibus omnibus adductis exemplis, satis clarè elici videtur intentum aduersantium, & damnantium studium in Religiosis: proindeq; inutilia ea videri, quæ in fauorem literarum pro regularibus superius adduximus.

Verùm enimverò, quæ nos attulimus, vt studia Scientiarum in Religionibus inserantur, solidiora, robustioraque sunt. Quæ verò in contrarium obstant, leuidensia, lanea, testaceaq;

Aa repu-

reputari debent. Ea enim, vt puto tantùm conuincunt, ea literarum exercitia, in quibus Religiosi, non DEI honorem, & gloriam; sed solùmmodo humanam opinionem, vanumq; sæculi applausum desiderant, vana quoque, inutilia, imò & nociua reformationi esse. Et propter hanc causam munus docendi Religiosis interdici à Hieronymo, & Bernardo adductis. Optimè quoq; ab Hugone loco iam citato per hæc verba. *Si tamen Doctor esse desideras, audi quod facias. Vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas conuersationis tuæ docere debent homines.* Solum ergo inhonestum, vitiosum, vanumq; scientiarum studium in Religiosis carpi, dignum est; vanas etenim, vaniloquas, loquaces, arrogantesq; literas penitus à Religiosis tanquam pestifera dogmata, relegandas censemus. Scientiã inflantem superbi solùm sæculares amplexentur: ædificantem tamen doctrinam Monachi etiam prosequantur. Primos accubitus in mensis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, Pharisæi quærunt. Regulares tamen humilitate, paupertateq; Christi retentâ, sciant Christum, & hunc crucifixum, contentiosam, altisonam, tubisq; concrepantibus proclamatam scientiam, vt pestem exhorrescant. Qui secus faciunt, à Domino per B. Brigittam, sic corripiuntur. *Hæc est sapientia eorum, loqui pulchre, & agere malè: simulare se, meum, agere nequiter contra me.* Et alibi de quodam Religioso tali morbo vanitatis infecto, sic loquitur idem Dominus. *Melius est illi ad salutem, cum deuota simplicitate orando legere, Pater noster; quàm de tam subtilibus propter vanum mundi nomen, sophisticè disputare.* Et rursus. *Iste Religiosus loquax, non desiderat medicinam; quia stercus scientiæ vanitatis est in ore eius.* Ergo tria maximè necessaria sunt Regularibus, vt literarum vsus, & exercitium, tam ipsis, quàm Religioni commodum, vtilitatemq; afferant. Quæ omnia ordine solito, ex Sanctorum Patrum, grauissimorumq; Authorum mente comprobare libet.

Primum ergo & generale documentum, Monachis sacrarum litera-

literarum studiosis, præ oculis habendum illud erit, vt semper orationem, & studium sic coniungant: vt sibi vicissim succedant, mixtim tractentur, & alternis vicibus exerceantur. Hoc monet Hieronymus. *Sic dies transeat, sic nox inueniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat Oratio.* Et in Regula Monachorum per Lupum collecta, idem subindicat. *Tunc scriptura vtilis est, cùm absq; Christo non discitur, cùm sine Patre non probatur, cùm sine Spiritu Sancto, &c.* absdubiè docere volens, DEI præsentiam, quæ per Orationem habetur, iure cum studio literarum admisceri. Idem imitatur S. Athanasius in exhortatione Monachorum dicens. *Orationes, sola intercapedo legendi interdicat.* Ad idem D. Bernardus. *DEI seruum sine intermissione legere, & orare oportet.* Ecce mixtionem. clariùs in speculo Monachorum. *Post lectionem est orandum, & si ad legendum accedat, non tam quærat scientiam, quàm saporem: Est autem Scriptura sacra puteus Jacob, ex quo hauriuntur aquæ, quæ in oratione funduntur; nec semper ad Oratorium est eundum, sed in ipsa lectione poterit contemplari, & orare.* Ecce modum studendi, tibi ô Monache à Bernardo præfixum. Idem facit Anselmus in suo carmine, sic

*Distinctisq; legant spatijs, operentur, & orent.*

Et illa vulgata inter claustrales metra, huc referri debent.

*Nunc lege, nunc ora, nunc cum feruore labora,*
*Sic erit hora breuis, & labor ipse leuis.*

Sanctus quoq; Nilus Abbas in suis Parænesibus; *In labores & orationes oportet animum partiri sic enim non multos in nobis introitus inueniet diabolus.* Rursumq; in cap. 57. de oratione. *Si es Theologus, verè orabis; & si eris Theologus, & verè orabis, Theologus verè eris.* ac si diceret, tunc Religiosum bonum Theologum euasurum, cùm Theologiam cum orationis exercitio attemperet. Idem, vt puto, sibi volebat Bonauentura, cum dicebat. *Stude semper expendere tempus tuum, aut in oratione, aut in lectione.*

Clarius hoc habet Thomas Cempensis. *Lectio debet esse quasi Oratio, & antequam legas, præcedat oratio.* Et infra. *In qua operatione oratio præeat, oratio intercurrat, oratio totum finiat.* Bellè quoq; & dilucide Ioannes Trithemius hom: 7. *Labores Monachorum, ita sunt moderandi, vt nunquam à Diuinis vacent colloquijs, sed inter opera manuum, in corde meditatio ferueat scripturarum, quæ posteaquam in odorem spiritus mentem perduxerit, mox in orationem deuotissimam commutetur.* Clariùs tamen Aluarez de Paz doctus Iesuita sic habet. *Religiosi qui literis vacant, lectiones quas audiunt; priuatum studium, quo occupantur; disputationes, quas ineunt; & cætera ad literas pertinentia, ab oratione incipiant, oratione interrumpant, in oratione deficiant, &c.* Infra quoque. *Breues orationes in principio, & medio, & fine studij literarij fundantur.* Ecce modum studendi, ecce intentum, ecce mixturam exercitij literarij cum oratione.

Omnium tamen clarius, simpliciùs (vt solet) & humano ingenio varietate gaudenti congruentius, S. Vincentius Ferrer. Hispaniæ grauissimæq; Prædicatorũ familiæ decus, qualitèr Religiosus omnis, lectionem, seu studium cum oratione, alternantibus vicibus, seu permixtim exercere debeat, his verbis exposuit. *Nullus, quantumcunq; pollens ingenio debet omittere ea, quæ possunt eum ad deuotionem excitare: imò qui legit & studet, debet ad Christum inflectere, cum ipso loquendo, & ab ipso intelligentiam postulando. Sæpè dum actu studet, à libro debet ad horam oculos auertere, & oculis clausis, se in Christi plagas abscondere; & iteratò se ad librum conuertere. Etiam quandoq; debet à studio surgere, & in cælum, flexis genibus, aliquam ignitam orationem, cum breuitate ad Deum fundere, vel cellam egredi, Ecclesiam, claustrum, vel Capitulum circumire, secundum quod Christus confert, & aliquando oratione formata, vel informi, per gemitus, & suspiria, ebullitione cordis Diuinum auxilium implorare, vota sua, & desideria altissimo præsentando, & Sanctorum adhac auxilium implorando. Et illud negotium quandoq; agitur, sine Psalmis, & sine quibuscunq; orationibus externis formatis*

*matis verbo, quamuis hoc aliquando initium ſumpſerit, vel ex aliquo verſu Pſalmi, vel loco alterius ſcripturæ, ſiue alicuius Sancti, nobis interdum DEO inſpirante interiùs. Cùm autem ille feruor ſpiritûs tranſierit, qui communiter parùm durat, potes ad memoriam reuocare ea, quibus paulò ante ſtudueras, & tunc dabitur tibi clarior intellectus. Quo facto, iterato ad ſtudium redeas, vel ad lectionem, & iterato ad orationem, & ſic alternando commutes. Nam per huiuſmodi commutationem in oratione, maiorem reperies deuotionem, & in ſtudio intelligentiam clariorem.* Omnia hæc S. Vincentius; quæ ideo à me ſigillatim tranſcripta, quòd credam, facillimum eſſe modum ſtudendi, & orandi Religioſis omnibus, his verbis expreſſum, Nec aliquem putauerim, huiuſcemodi exercitio addictum, qui breui ſpatio doctus, & ſpiritualis non euadat. Nec mirùm, quia vt D. Bonauentura quondam dixit. *Lectio dat materiam, & quaſi ſemen bonæ cogitationis, oratio rigat, & ad perfectum roborat, & cor illuminat ad intelligentiam.* Nullus ergò adeo hebes, ruſticus, aut tardus ingenio, inter regulares inueniri poteſt, qui huiuſcemodi exercitium amplexus, non breui ſufficienter doctus, gnarus literarum, & myſticè ſapiens, euadat.

Hoc ipſum quoq; ex cæleſti reuelatione per Angelum factâ, B. Antonio antiquiſſimo Monachorum Patri innotuit. Caſum verò ex S. Ephrem verbis capere poſſumus. *S. Antonius olim in eremo conſtitutus, ac torpori, varijſq; cogitationum tenebris obnoxius ſic ad DEVM locutus eſt. Domine cupio ſaluari, & non me ſinunt cogitationes improbæ, quid in tribulatione mea agam? & quo pacto ſalutem conſequâr? Paululumq; foras digreſſus, vidit quendam Antonius ſedentem, & operantem, ac deinde ceſſantem ab opere, & orantem rurſuſq; conſidentem, & catenas operantem atq; iterum opus ſuum relinquentem, atq; orantem. Erat autem Angelus Domini ad dirigendum, inſtituendumq; Antonium miſſus. Audiuitq; Angelum ſibi dicentem: Sic fac & viues.* Hoc ipſum Religioſis ſtudentibus agendum puto, ita vt orationis ſtudijq; permixtum exercitium,

alternantibus vicibus; semper exequantur. Hinc etenim æternam vitam in veræ studiositatis præmium habebunt. Et hæc de primo documento, regularibus literarum studiosis necessario, nunc ad alia procedamus.

Secundum documentum illud sit; in eo præcipuè Monachũ studentem curam præstiturum, vt id cui studet, scit, legit, aut docet, in finem charitatis, amorem Dei, & proximorum dirigat. Id Patres docent, dum illud Pauli præ manibus versant. *Scientia inflat, charitas ædificat.* Ad quod Ambrosius hæc, *Tunc scientia magna est, & vtilis; si charitate humilietur, vt amplius crescat. Temperatur enim á dilectione, vt non satis mera sit, & inebriet scientem vt se extollat. Sicut enim vinum, non temparatum admixtione aquæ, mentem alienat, ita & scientia superbum facit, nisi fuerit temperata.* Ad idem D. August. *Scientia ad finem charitatis adhibita multum est vtilis, per se autem ipsam sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa, probata est.* Idem docuit Angelicus Doctor, cùm enim contra Religionũ æmulos decertandum ac pugnandum statuisset; licere Religiosis studium literarum; obijciens sibi illud Pauli. Scientia inflat, charitas ædificat. Subiungit. *Ad illud quod obÿciunt, quòd scientia inflat, dicendum est: quod est intelligendum, quando scientia est sine charitate: vnde Glossa ibidem dicit; scientia inflat, si sola est.* Et infra. *Addite ergo scientiæ charitatem & vtilis erit scientia. Vnde in illis, qui charitatis operibus insistunt, minus est periculosa scientia.* Alibi quoq; loquens de deuotione & scientia sic habet. *Dicendum quòd scientia, & quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quod homo consideret de seipso, & ideo non totaliter se Deo tradat. Et inde est, quòd huiusmodi quandoq; occasionaliter deuotionem impediunt, & in simplicibus, & melioribus deuotio abundat; elationem comprimendo.* Addit tamen S. Doctor. *Si tamen scientiam & quamcunq; aliam perfectionem homo Deo perfectè subdit, ex hoc ipso deuotio augetur.* Idem dicam de charitate, quodsi ad illam scientia Religiosorum dirigitur, augebitur deuotio, & spiritualis dulcedo; sin vero; solùm

lùm inflatio vanitatis acquiritur. Vnde D. Bonauentura. *Cùm charitas ædificando non erigit, scientia inflando peruertit.* Moxq; *scientia cauenda est, ne inflet. Ergo amate scientiam, sed anteponite charitatem; quia charitas ædificat, & non permittit inflari scientiam.* Optimè quoq; Laurentius Iustinianus. *Cui præsto est scientia plurima, & sacræ legis intelligentia perspicua, desitq; illi bonitatis operatio, virtutum experientia, Dei ac proximi fragrantia, parùm sibi & cæteris proficit.* Ergo vt intentum satis euidens concludam; Religiosi omnes literarum studijs addicti estote, verùm tamen condimentum charitatis apponite, ne scientia vestra insulsa & insipida inueniatur, dilectione Dei, & proximi feruete. *Hic Physica; quoniam omnes omnium naturalium causæ in Deo Creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honesta non aliunde, formatur, quàm cùm ea, quæ diligenda sunt, diliguntur; hoc est Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas, lumenq; animæ rationalis non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis Reipublicæ salus &c.* Ioannes Niderus quondam ex Augustino retulit.

Sit præterea tertium documentum, pro studentibus, in Religionibus apprimè & quàm necessarium; vt scilicet omnia eorum studia, humilitate fundentur, humilitate erigantur, humilitate proficiant, humilitateq; totum suum incrementum accipiant, & vt vno verbo dicam, curare debent Religiosi, vt totam, quam addiscunt scientiam, humilitatis, & modestiæ sapore, sic condiant; vt vanitatis, curiositatis, inanisuè gloriæ, cute detractâ; acceptabile Deo fiat sacrificium. Hoc ex Patribus facillimè comprobatur. Ex quibus Ambrosius. *Quem fructum habebit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides? &c.* ac si diceret, Nullum. Optimè etiam Bernardus, quærens enim quo fine scientia acquiri debeat, sic inquit. *Quo fine? Vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile; sed tantùm ad ædificationem tuam, & proximi.* Et subiungit. *Sunt namq; qui scire volunt, eo fine tantum vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est.*

Qui

*Qui profectò non euadent subsanantem Satyricum, & ei, qui eiusmodi est, decantantem. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, V. causa, pro pecunia, pro honoribus, & turpis quaestus est.* Pulchrè etiam Bonauentura ex mente Gregorij sic habet. *Cum summa cura prouidendum est, ne accepta scientia, cùm ignorantiae tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat. Quod adeo necessarium est, vt vera sapientia, & ad aeternitatem proficua, non nisi per humilitatem haberi possit.* Docet id D. Augustinus ad Dioscorum. *Non aliam ad capessendam, & obtinendam veritatem, & sacram sapientiam, viam ineas, quàm quae munita est ab eo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem, Ea autem est prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; & quoties interrogares, hoc idem dicerem. Itaq; sicut Demosthenes, in eloquentia, Pronunciationi, primas, secundas, tertias, dedit: ita ego in Christi sapientia primas, secundas, tertias dabo humilitati.* Hac forsan de causa D. Bernardus sermone quodam dixit. *Necesse est vt cognitio sui ipsius praeeat scientiam nostram.* Quia scilicet, humilitas necessaria est, ad veram scientiam maximè Religiosis viris, acquirendam. Et quod pulchrè etiam Bonauentura. *Castitas, & humilitas, sunt pedissequae sapientiae iuxta visionem Gregorij Nazianzeni. Si vis me, quae sum sapientia, serua pedissequas meas. Munditia ergo cum humilitate est principalis columna sapientiae.* Et in alphabeto boni Monachi sic. *Zachaee frater descende de altitudine saecularis scientiae, & disce in schola Dei viam humilitatis, &c* Quin, vt intentum concludam, illius Religiosi scientia, quae humilitate & modestiâ aptata, temperataq; fuerit, plus Ecclesiae Ordiniq; confert, quàm plurium aliorum, qui insolentèr, superbè, vanè, aut inani gloriâ capti, scientias acquisierunt. Grauis & pij Religiosi haec sunt verba. *Magis iuuat Ecclesiam Dei vnus Religiosus, qui sanctè, modestè, & circumspectè scientijs studuit, quàm mille, qui insolenter se ipsos, & suum honorem quaerentes, literis vacauerint. Plures ille vna Concione feruenti conuertet, quàm isti mille sermonibus.*

Ex his

Ex his ergo manifeſtè liquet, perditiſſimam eſſe illorum regularium conditionem ( ſi qui ſunt quòd non credam, ) qui huiuſmodi documenta ſpernentes, ad inanem hominum gloriam aucupandam, aliquemuè honoris gradum adipiſcendum, non ad Dei honorem, ſtudijs literarum vacant. *Horum ſtudia* (inquit Bernardus, vel quidam eius ſpiritum ſapiens ) *vana ſunt, nugigerula, verboſa, contentioſa, curioſa, ambitioſa, etiam ſanctum animum, vel iam perfectum diſſipant, & corrumpunt.* Plures illorum forſan, linguoſi, loquaceſq; Concionatores, ſeipſos non Deum prædicantes, euadent. *Arrogantes iſti.* ( inquit Gregorius ) *cùm ſcientiam accipiunt, nihil ſe accepiſſe æſtimant, ſi hanc, eos occultam habere contingat. Nuſquam quippe ſuum gaudium, niſi in ore hominum ponunt.* Et rurſus. *Hanc partem ſuam omnis arrogans æſtimat, ſi ſcientiam non tam habeat, quàm oſtendat; quia nimirum omnes elati ſcientiam habere non appetunt, ſed oſtendere.* Et infra. *Non enim loquendo curat, quid proſit; nec ſtudet vt malum, quod cernit, corrigat; ſed bonum, quod ſentit, oſtendat.* Nec mirum ſane : quia vt benè, haud non politioris literaturæ vulgaris, Bonauentura loquens de ſcientia iſtorum. *Eſt fluuius torridus exſiccans flumina gratiarum: fluuius turbidus obfuſcans ſplendores intellectuum; fluuius tepidus tepefaciens amores affectuum; fluuius turgidus tumefaciens variorum expreſſiones affectuum.* Iſti erunt vt plurimum ſcioli, pauca ſcientes & multa præſumentes; ſemidocti aut ſemiliterati : ac proinde animarum ſeductores; Vt S. Tereſia docuit, & experientia monebit. Demum, vt vir doctus & pius diſertè dixit: *ſcientia iſtorum* ( ſi aliqui tales ſunt ) *eſt ſcientia arrogans, & procax, & inuerecunda, ſe ipſam exaggerans, nouitates conſectans, Magiſtros & præceptores paruipendens, & aut minus ſubtiles, aut nimis ſcrupuloſos accuſans. Eſt ſcientia libertatis amans, obſeruantiæ inimica, relaxationis cupida, quæ diſciplinam fugit, mortificationem timet, ſeniorum monitiones auerſatur, regulas vt non ſeruet, interpretatur. Eſt tandem non ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* Et rurſum. *Eſt ſcientia ſuperba, & ambitioſa,*

*bitiosa, quæ in teneris annis, & in principio religiosæ vitæ, iam ad primas sedes, ad Cathedras, ad pulpita, & ad prælationes aspirat Est scientia inuida laudis alienæ ac condiscipulorum ingenio, & profectibus mærens, quæ opinioni, ac laudi prouectiorum inuidet, subtilitatem & diligentiam æqualium contemnit, minorum imperitiam, & ruditatem irridet; & sola ab omnibus laudari, & in vniuersorum ore versari, studet. Est scientia curiosa nimis, nihil quærens nisi quæ intellectus intemperantiæ satisfaciant, & ostentationi, ac plausui deseruiant: non quæ fratrum saluti proficiant.* Quid tandem de istis dicam? Certè non aliud, nisi illis forsan euenturum, quod cuidam Religioso ex reuelationibus S. Brigittæ accidisse nouimus. Dicebat quidam Religionis cuiusdam, quàm sciens non refero, Religiosus. *Ego addiscere volo artes liberales, & scientiam, ad hoc, vt ex illa honorem & dignitatem aliquam habere valeam.* Christus Dominus de hoc, & similibus ad S. Brigittam respondit. *Iudicabuntur ad pœnas infernales, in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere.*

E conuerso tamen illorum regularium studia, quæ oratione concocta, humilitatis, & charitatis ardore digesta, ad DEI honorem (prout multi faciunt) ordinantur; & ipsis studentibus proficua, Ecclesiæ quoq; & Religioni salutaria esse conspiciuntur. DEI regnum cumulant, Diaboliq; possessionem diripiunt. De istis Gregorius. *Sancti partem suam reputant, si intus quidem ipsi de sapientia gaudeant, foris autem alios ab errore compescant. Neq; à se, ita loquendo exeunt, vt gaudium mentis, ostensione ponant disertæ locutionis, sed bonum scientiæ, in cordis secreto meditantur.* De istis etiam D. Bernardus vel Author ad fratres de monte DEI, vbi supra. *Studia hæc, literatoria non sunt, non cauillantia, non disputantia, non garrula, sed spiritualia, pacifica, & humilia, humilibusq; consentientia Quæ etsi foris exercentur, intus potiùs aguntur, in spiritu mentis, vbi renouatur homo de die in diem.* Et infra. *Studia hæc silentium amant, quietem desiderant cordis, in labore corporis paupertatem spiritus, & pacem in exterioribus pressu-*

*ris,*

*ris, & bonam conscientiam in puritate cordis, & corporis.* Abs dubie etiam de ista istorũ scientia loquebatur D. Laurentius Iustinianus dicens *Vtilis est scientia, cùm perducit ad sapientiam, & cùm diuinitatis radios ostendit, cùm verbi præbet notitiam, cùm ad cælestia contemplanda animum attollit, cum ad DEVM quærendum, & possidendum omnia cordis interiora inflammat.* Tandem hæc istorum regularium scientia viuis coloribus depingitur, à pio grauiq; ac Religioso moderno, hisce. *Est Scientia modesta & humilis quæ sui contemptum, proximorum conuersionem, & DEI laudem concupiscit. Diligenter studet, ita vt suo tempore valeat poni super candelabrum; sed ipsa, si DEO ita visum fuerit, magis cupit latere, & esse sub modio. Est charitas plena, quæ de profectu condiscipulorum gaudet, illos amat, illos reputat, illos laudat, & si doctiores, aut ingeniosiores habeantur, non mæret sed vehementer exultat. Est sapiens, est discreta, & plena prudentiæ, non est violenta temporis deprædatrix, sed suis horis contenta, alias libentissimè orationi & muneribus obedientiæ concedit. Est ingenua, & verecunda, & circumspecta, quæ non libertatem, ac priuilegia, non exemptiones affectat, sed in id semper tendit, vt regulam diligenter seruet, & teneat disciplinæ censuram. Est deniq; sapientia de sursum descendens, &c.* Hæc & alia, quæ sciens omitto, boni, perfectiq; Religiosi (quales multi sunt) scientia meretur. His & potioribus digna est præconijs, his gaudet epithetis; ac deniq; est vera scientiæ DEI participatio, Angelicæ imitatrix, humanæ conditionis consolatrix optima.

Talium literarum vsus & gloria in Ordine Nostro primitùs floruit, vt quidquid illæ splendoris hodie conseruant, à Benedictinis id totum obtinuerunt. Vt enim de Theologia nihil agam; quia hæc omnibus aut pluribus scientia communis, apud eos felicissimos profectus habuit: agamus de scientijs magis exoticis, & raris. *Ius Canonicum*, & *Ciuile* cui plus debet quam Abbati Panormitano? *Medicina* celebrat Constantinum Cassinensem, qui scripsit de ponderibus Medicinalibus, de dietis,

 de aquis,

de aquis. *Grammatica* ſcientiarum ianua, ab alijs minoris habebatur, nec erat ante Iſidorum perpolita, publicauit ille Etymologiarum libros, quibus rigorem, ac nitorem verborum doceremur. *In Naturali ſcientia* faſces omnes ſubmittunt Bonifacio Simonetæ Ciſtercienſi Monacho. *In Morali*, doctiſſimo Bercorio: *In Aſtronomica* Campano Lombardo: Contracto Hermano in *Aribmetica*. Sigebertus, & noſter Helinandus illuſtriſſimi in *ſcribendis Hiſtorijs*, habentur inter alios Hiſtoriographos loco miraculi; quia in dictione ſinceritatem, in ſententijs acumen, in narratione veracitatem conſeruârunt. Inter *Martyrologion ſcriptores*, docti primas deferunt Bedæ, & Vſuado; Inter *Muſas Catholicas* nulla numeroſior, & ſuauior, quàm illa quæ dictabat Willerano, qui metro, Canonicam deſcripſit Hiſtoriam. *Muſica* eſt artificioſa in praxi, ſed artem debet Augienſi Bernoni. *Ex Aſtris* corporeis ad incorporea contemplanda tranſcendens; Guillermus Hirſaugienſis, in vtraq; Aſtrologia Phyſica, & Morali euaſit celeberrimus. Inque omnibus artibus ac ſcientijs ſimul eruditiſſimum reperies noſtrum Laicum Alanum, quem Chronicon Sigeb. ad Annũ 1288. floruiſſe aſſerit. Ipſe vnicus.

*Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſciuit.*

Omitto alios, quos & longum eſſet recenſere, & iam de his in Prologo galeato ſeu Aquilæ Frontiſpicio nonnihil prætactum eſt. Interim hæc Monachorum noſtrorum doctrinæ excellentia, & ſcientia literarum, orbi Chriſtiano & Ordini quantum profuerit nemo ignorare poterit, qui veterum Hiſtorias ſtudioſiùs reuoluet. Namq; præter id, quod in Conuerſione gentilium feliciter laborârint, & rudes analphabetoſq; populos, ſacris Chriſtianis, moribus & literis perpoliuerint; Maieſtatem Romanæ Eccleſiæ inſuper, contra ſchiſmata, & errores potentiſſimorum acerrimè tutati ſunt, & conatus peruerſorum ſtrenuè eluſerunt. Neq; Hæreſis ſerpere valuit, Eccle-

ſiamq;

ſiamq; non eſt auſa vaſtare, quouſq; in Monachis cum ſanctitate vitæ, Doctrinæ ſplendor inerat : at poſtquam Religioſisſima ſtudiorum cultura, à clauſtris exulare cæpit, ingentia damna Catholicus ſubiuit ſtatus; & Monaſteria in prædam abiuerunt. Vt ſerò tandem, iam docti ſimus, antiqui hoſtis hanc fuiſſe verſutiam, vt oppreſſis literarum ſtudijs, Monachos in omne flagitij genus præcipitaret, eiſdem pro illo difficili temporum articulo, abſtulerat inſtrumenta, quibus contra vitia ſe tueri poterant. Nimirum vt rectè à Brouero notatum; quod de Mytelenæis ſcriptum legitur, cùm præclarè ipſi didiciſſent, quantum ad hominum conſeruandam ſocietatem monumentum ac vim, literarum ſtudia, & liberales artes haberent, quos populos bello ſuperaſſent, his non aliam irrogaſſe pænam, niſi vt *ne filios ſuos literis erudirent*: id hoſtis humani generis, paulò ante enata hæc in Orbe Chriſtiano tot hæreſeon ac errorum peſtifera monſtra, in pleriſq; Cænobitis tentaſſe videtur, vt ne Diuinas literas, ac ſacrarum ſcripturarum monumenta attingerent, ſeu, pari curâ ſtudióq; quo maiores perdiſcerent ac tractarent; quo & Carnis ſeu Veneris imperio ſubditos, & auocantium voluptatum blandicijs facilius illigatos haberet; prorſuſq; objceret bello, quod iam tum Eccleſiæ per Lutherum, Caluinum, ſimileſq; Religionis hoſtes parabat, inermes : Hinc ille tot nobilium in Germaniâ præcipuè, Monaſteriorum ruinæ ſubitæq; clades Monachorum extiterunt: Quibus afflicti & dirum in modum exagitati, reſipuêre tandem, damnatâq; ſocordiâ & otio longè proſcripto, ad conſueta defenſionis arma, literarum bonarum ſtudia, ſedulò conuolarunt, vt ſe ſuiq; ſortem reliquam patrimonij tuerentur. Iamq; DEI fauore Germaniæ Monaſteria inſtituti Benedictini eo diligentiæ peuenerunt, vt in omnibus, Prælectiones Philoſophicæ, & Theologicæ habeantur; & antiquorum imitati morem, Scholas puerorum in oppidis Abbatialibus penes monaſteria conſtructis, vti Braunæ in Böemia, Cremiphanij, Lambaciq; in Au-

in Austria, & alibi intra septa Monasteriorum singularia ædificia pro pueris erudiendis destinata vidimus, in quibus Grammaticis & Rhetoricis informantur præceptis, per Monachos huic muneri obeundo commodè designatos. Atq; præter hæc minora & domestica Musarum exercitia, publicas vniuersitates in Germania, *Duaci*, *Salisburgi*, *Vesontione*, *Rhintelij*, *Gerardimonte &c.* excitarunt, pleraq; etiam Collegia fieri decreuerunt, Maiorum suorum more, vt maiori Diuinæ gloriæ propagandæ, & animarum saluti promouendæ commodius vacare, Sanctæq; Rom. Ecclesiæ studijs deseruire, & Ordini illustrissimo pristinum honorem asserere, neue æmulorum prædationi amplius patere possint. Quod certe Germanorum pulcherrimũ studium & conatus insignes, nostri vtinam Polono-Benedictini pari desiderio animi adamauerint: eorumq; insistentes vestigijs in Monasterijs suis velint studia implantare, quorum defectu, eas nunc patiuntur tenebras, & grauissima rerum suarum incommoda, vt ea quis cogitatione vix complecti, non modo sermone possit enarrare.

Eant itaq; pereantque, quicunq; scientiam è Monachorum cætu pellunt, & solum piam adamant inscitiam. *Et si enim è duobus imperfectis* Hieronymo teste *melius sit rusticitatem sanctam habere, quam eloquentiam peccatricem, tamen vtramq; melius. Qui enim vel vitam solum rectè instituunt* ait Gregorius Nazianzen: *aut eloquentiæ tantummodo student, ita vt alterum omittant, nihil mihi à monoculis distare videntur, quibus magnum est nocumentum, maior vero turpitudo cum quempiam inspiciunt seu inspiciuntur: quibus vero contingit vt in vtrisq; excellant, & sint idonei, vt illud etiam assequantur, vt perfecti euadant & cum beatitudine viuant futura.* Ita magnus ille Theologus. Iterum dico, Dæmonis hanc imposturam esse, pietatis fuco studiorum neglectum commendare, & humilitatis titulum affingere ignorantiæ. Aufer doctrinæ hunc solem à Religiosis Ordinibus, quid nisi Cymmerias, vel Ægyptiacas reperes tenebras? Deme arma militibus

litibus Christi & gladium Verbi Dei, quomodo stabunt fortes in fide aduersus phalangas dissectarum sectarum. Cauerant olim Philysthijm, ne forte facerent Hæbrei gladium aut lanceam; *porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel.* Quid autem hoc in spirituali sensu designet, Magnus exponat Gregorius: *Aperte* inquit *dæmones sciunt, quia dum sæcularibus literis instruimur, in Spiritualibus adiuuamur. Cum ergo nos ea discere disuadent, quid aliud, quam ne lanceam aut gladium faciamus præcauent? à nonnullorum enim cordibus discendi desiderium malignè spiritus tollunt, vt & sæcularia nesciant, & ad sublimitatem spiritualium non pertingant. Faber autem ferrarius in Israel non inuenitur, quia fideles Domini arte sæcularis scientiæ contra malignos spiritus nequaquam præliantur; Fabri namq; arte adiuti vincerent, si sæcularis eloquentiæ iaculis, occultis hostibus praua erent. Quæ profectò sæcularium librorum eruditio & si per semetipsam ad spiritualem Sanctorū conflictum non prodest, si Diuinæ Scripturæ coniungitur eiusdem Scripturæ scientia subtilius eruditur.* Hæc Gregorius. Quæ si de sæcularibus scientijs tantum Præsul dixerit, quid quæso, de neglectu Sacrarum literarum dicturus fuisset. Quid de Doctorum & discipulorum in Ordine Religioso defectu? Audi Rabanum Maurum hæc pulchrè interpretantem. *Diabolus quoq; per Paganos, per Hæreticos & falsos Christianos studet prohibere, ne fiant Doctores in Ecclesia, qui spiritualia arma faciant & nobis ad pugnandum tribuant. Pagani enim prohibuerunt, ne Christiani imbuerentur artibus. Hæretici quoq; persuaserunt Principibus, vt Catholici Ecclesiæ defensores in exilium pellerentur, & desolatam plebem facilius seducerent. Nunc quoq; antiquus hostis ab instantia eruditionis prælatos auertit, vt & ipsos & subditos facilius decipere possit.* Sic ille. Non leui igitur periculo, religiosa exponuntur Cænobia, à quibus exulant scientiæ, nam & ipsa sensim deficere, & membra ignauo torpere otio necesse est. Non malè enim quidam cecinit.

*Vita Sacerdotum nisi libris otia tollant.*
*Ducitur ancipiti desidiosa loco.*

Imitan-

Imitanda profectò nobis Polono-Benedictinis hac in re essent prudentissima Cassinensium Nostrorùm statuta, qui ad feliciorem suæ Congregationis statum, de studijs fratrum ita decreuerunt, *Cum impium & à Monasticâ disciplinâ alienum sit, inertia otioq; languescere, & ab antiquis Patribus, qui Ecclesiam militantem omni doctrinæ generè, & facultate illustrarunt, filios degenerare: vt huiusmodi ignominiam & notam fugiamus, otiumq; & nugas efficax diaboli virus euitemus: Diuinarumq; Scripturarum speculationi efficacius intendere possimus, simul vt coalescenti in dies Authore Deo, Congregationi Nostræ, hæc etiam inter cætera Scientiæ gemma non desit: hac præsenti Constitutione ita decernimus. In omnibus Monasterijs quantuscunq; sit numerus Monachorum, frequentissima, vel saltem diebus Dominicis omnibus, aut semel in hebdomada habeatur Lectio Sacræ Scripturæ, vel Cathechismi Romani. Diebus autem non festis, quotidiana lectio sit Grammaticæ, vel humaniorum literarum, pro Auditorum captu, vel indigentiâ. Et si locorum, ac personarum ratio feret, diebus singulis aut saltem alternis, altera etiam lectio sit de officijs pænitentiæ, quæ casus conscientiæ vocant. In Monasterijs Brixiæ, Mediolani, Papiæ, Mutinæ, Florentiæ, Neapolis, Catanæ, perpetua lectio sit Sacrorum Canonum. In Monasterijs S. Benedicti de Padolirone, Casini, Cauæ, Messanæ, binæ lectiones perpetuo sint Logicæ scilicet ac Naturalis Philosophiæ. In Monasterijs S. Georgij Venetiarum, Veronæ, Placentiæ, Ferrariæ, Rauennæ, Cesennæ quotidiana lectio sit Logicæ aut Philosophiæ pro auditorum qualitate. In Monasterijs S. Eufemiæ Brixiæ, S. Proculi Bononiæ, Lectio sit quotidiana Græcæ Linguæ & Hebraicæ. In Monasterijs S. Iustinæ Patauij, S. Pauli de Argon, S. Petri Perusij, & S. Martini de Scalis, Seminaria instituantur futurorum Lectorum Theologiæ ac Philosophiæ: ad quæ ij tantum scholares mittantur; qui Logica appprimè calleant, & inprimordijs Philosophiæ specimen non contemnendum ingenij dederint. In singulis autem huiusmodi seminarijs, vt minimum bini Lectores sunto, alter Theologiæ & alter Philosophiæ: vterq; imprimis probatis moribus, & doctus: qui assiduè scholarium disputationibus & collationibus intersit. Prædictæ autem lectiones in omnibus*

*omnibus ſupraſcriptis Monaſterijs ad id deſignatis perpetuò habeantur: neq; ab his amoueri poſſint aut alterari, niſi per Capitulum generale, de conſenſu duarum partium Prælatorum, ſeruatis ſeruandis; vt in alijs ordinationibus per Prælatos abrogandis, ſiue approbandis. Iſq; ordo ac regula ſeruetur, tam in ſeminarijs, quam alijs Monaſterijs, qui à Capitulo generali ad ſtudioſorum profectum ſtatuetur. Et vt fratres noſtri ardentius præfatis ſtudijs incumbant, quo maior eis commoditas data fuerit: hortamur Prælatos & Superiores Monaſteriorum per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, vt omnem eis commoditatem tribuant, etiam à communibus exercitijs, & ab aliquibus horis canonicis (non tamen diebus feſtis, nec prætermiſſa oratione mentali, integra etiam pro viribus regulari obſeruantia) ſi opus fuerit eximendo. Pro Fratrum quoq; ſtudio vacantium diligentiori cuſtodia, & ſeueriori diſciplinâ, atq; vt tempus non inutiliter conteratur, vnus ex deputatis Monaſterij, qui Scholis præſideat in reformatione Officialium eligatur: qui cuncta ſecundum DEVM, & ſcholarum profectum exequens pro viribus ſemper adeſſe procuret.* Hoc ampliſſima florentiſſimaq; Caſſinenſium Congregatio, pro ſtudio literarum decreuit, quod vtinam imitarentur noſtrates, qui per Regnum Poloniæ degunt; quorum ſegnitiem crebrius extimulatam, Conſtitutiones Synodales lib. 1. tit. de Abbatum electione, Petricouiæ Anno 1551. his formaliter vrgent.

*Attendens Sacra Synodus Religioſos, qui ſpeciali voto alicui Regulæ atq; Ordini ſe obſtringunt, ab actiua vita, & curis huius mundi ſolutos, ſoliq; illi cæleſti vitæ eſſe mancipatos, & Orationi contemplationiq; vacare debere; Proinde decreuit, vt omnino Monaſteriorum & Conuentuum Abbates & Præpoſiti, cæteriq; Patres Regulares, de inſtituendis in ſacris literis ſuis Fratribus in Monaſterijs eorum curam habeant, & vt binos & binos, ſingulis biennijs in Vniuerſitate Cracouienſi, vt bonis imbuantur literis, ex præſcripto ſtatutorum Prouincialium foueant, diligenterq; curent vt ex ſtudio reuocati, aliquem diligentiarum ſuarum fructum proferre, eumq; in Monaſterijs ſuis alijs fratribus declarare valeant, aliquos in ſacris literis Authores probatos præ-*

*tos prælegendo. Ipsi quoq; Monachi & Religiosi, certis horis, quæ illis ob Officijs Diuinis supersunt, lectioni & recitationi Diuinarum scripturarum intendant, & in illis se exerceant; ita vt vrgente necessitate, inde ad regendas plebes & ad prædicationem verbi DEI, administrationemq; Sacramentorum de licentia suorum Superiorum, per Loci ordinarios iuxta dispositionem Iuris communis assumi, & in partem solicitudinis curæ animarum vocari valeant.* Quæ omnia consonant, cap. qui verè, & cap. in Parochia. 26. q. 1. & cap. cura. de iure-patron. Clem. dudum §. nos autem. in fine de sepult.

In alia etiam Prouinciali Synodo sub Petro Archiepiscopo Gnes. Anno 1542. eiusmodi Constitutio de Studijs Regularium facta.

*Decreuit hæc sacra Synodus vt Abbates & Prælati Religiosi, iuxta Statuta Prouincialia & Constitutiones Synodales, seruent fratres Ordinum suorum in Studio generali Cracouiensi: alij vero de Maiori Polonia in studio Posnaniensi præter Tremesnensem & Wagrouecensem qui Cracouiæ suos fratres tenere debent; Quod quidem facere teneantur Abbates prædicti, hinc ad sex mensium decursum, sub pæna decem marcarum, annis singulis per loci ordinarios repetenda, & Studio Cracouiensi applicanda.*

Deniq; vt meo pro Studijs instaurandis zelo, satis fecisse mihimet videar, *Encyclicam Epistolam* Rmi. Dñi. Constant. Caietani, Spiritu Benedictino plenam, adijcio, vt eius exemplaria ad plures deueniant, sintq; incitamento cunctis. tenor eius genuinus, ex Autographo Romano desumptus, est talis.

REVE-

# REVERENDMIS PATRIBVS ET DD.
## Abbatibus, ac Præpositis Ord. S. Benedicti, cuiuscunq; Congregationis & Nationis,

*Domnus Constantinus Caietanus, Abbas-præsidens Collegij Gregoriani Domus S. Benedicti, ac Sanctissimo D. N. à Sacris Literarum Monumentis, obsequium paratissimum, felicitatem perpetuam.*

CVm nostro sæculo, Religiosissimi Patres, permultis, varijsq; præsertim in Occidente, Regularium differentijs Sancta DEI Ecclesia, præclara sua illarum circumamicta varietate, fulgeat, Benedictinorum tamen Monachorum splendore septingentorum annorum decursu præ cæteris illis corusco decore rutilet, mirum certè videri non debet, si nostra hac ætate, DEO misericorditer corda Patrum in Filijs exuscitante, è nostro feraci Benedictino aruo exurgant Viri generosi, qui in Sancta ipsa Ecclesia gestiant suscitare spiritum, cui beatissimus ipse Pater Benedictus, *Iustorum omnium spiritu plenus*, Monachorum in Occidente, vti S. Basilius in Oriente, Princeps Legislator, per se, suosq; alumnos diutissimè seruiuit; vt Benedictini eodem repleti spiritu, studeant amare quod ipsorum Magister eximius amauit, & opere exercere quod idem fecit & docuit.

Quòd si vspiam gentium, Apostolicum Spiritum reflorescere deceat, vtiq; in alma hac Vrbe, Orbis Regina fulgentissima, id consentaneum est: in qua sanctissimi ipsius Viri Patricia & Augusta Aniciana Cunabula etiam num venerabili pænè confecta senio se conspicienda præbent in eiusdem nomine insignita S. Benedicti in Piscinula trans-Tiberim Ecclesia. Sed & in vetustis monumentis Archiuij Casinensis Monasterij, cuius iuris hæc eadem Ecclesia iam tunc erat, dicitur, *S. Benedictus sub monte Lycaonis*; quandoquidem monticulo cuidā iuncta, breuis-

 simo-

ſimo ſpatio diſtat ab ea Inſula, quæ in medijs Tiberinis fluctibus aſſurgens, Inſula Iouis Lycaonia etiam appellatur. Cæterùm in hac trans-Tiberina Vrbis Regione, & loco Piſcina dicto, apud quem Fortunæ & Dianæ Templum Gentiles illi ædificarant, olim ſuperbiſſima & marmorea aſſurgebant Palatia Anicianæ Cæſareæ Familiæ, à qua cum alter Occidentis Moyſes egreſſurus eſſet, meritò ab eadem DEVS Opt. Max. inter plurimos alios Sanctorum Albo adſcriptos, Anicium illum ſelegit Iulianum, qui primus ex Romanis Senatoribus Chriſto nomen daret. Id quod teſtatur Prudentius.

*Fertur enim ante alios generoſus Anicius* (Orbis, potius dixerim.) *Vrbis, Illuſtraſſe Caput: ſic ſe Roma inclyta iactat.*

Iſtarum autem Ædium, priſcam Regiæ alicuius inſtar amplitudinem & magnificentiam, Principumq; habitationi aptiſſimam, vel ipſo hoc noſtro recenti ſæculo effoſſa paſſim rudera (certa antiquitatis ac priſtini decoris indicia) manifeſtiſſimè demonſtrant. Ibiq; fuiſſe Aniciana Palatia, confirmat quoq; Domus contigua S. Cæciliæ, ab eadem familia oriundæ, quæ triduanas à Domino popoſcit inducias, vt Domum hanc ſuam, Eccleſiam conſecraret. Confirmant, inquam, & aliæ etiam contiguæ Domus, & Palatia, quæ vel Caietanæ Ciuitatis Ducum, Romanæ Campaniæ Comitum, vel Frangepanum, & Perleonum à Familia eadem Anicia deſcendentium, Domicilia extiterant. Illas igitur ipſas puer Benedictus, natiuitate Nurſinus, Origine Romanus, Romaniſq; Parentibus, Nurſiæ Dominis, Anicio Probo Eutropio, & Claudia Abundantia natus, in literarum ſtudia incumbens, vitamq; ducens Angelicam, ampliſſimas haſce Maiorum ſuorum Ædes incolebat. Vnde poſtea quædam earundem Ædium pars, ac ea fortè (non præter rationem dixerim) quæ familiariter ſancto DEI viro quotidie vſui erat, primis illis temporibus à pijs ipſius Alumnis in Eccleſiam conuerſa, glorioſiſſimo eius nomini conſecrata fuit. Et quæ hodie Virginis Beatiſſimæ Matris MARIÆ, in Ora-

in Oratorio ipsi Ecclesiæ contiguo, egregij artificis manu eleganter exarata, à fidelibus religiosè admodum colitur imago, ea ipsamet esse circumfertur, quam adhuc puer idem Benedictus, assiduis venerari precibus in dies consueuerat. Vnde in hodiernum vsq; diem, ipsum etiam Oratorium, *S. Benedicti Oratorium* denominatur. Itaq; hæc illa Domus est, cuius mentionem facit Magnus Papa Gregorius, de eodem Benedicto ita loquens: *Despectis itaq; literarum studijs, relicta Domo, rebusq; Patris, soli DEO placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit* Hæ verò sunt illæ Paternæ Benedicti opes, quas memorat S. Oddo Cluniacensis Abbas hisce verbis: *Quam magnificum illud est, quòd Paternas, vt fertur, eo deserente opes, admodum domicilium sibi Spiritus Sanctus in eius sacro pectusculo collocauerat: Qui esse Philosophorum inania studia adhuc tenerrimus agnouit: Qui grandæuo animo iam tunc Eremi vastitatem subire ausus est. Quod nec ipse quidem Martinus, toto Orbe mirabilis, fecisse refertur.*

Quid ni ergo, RR. Patres, eo loco sacrorum renouationem studiorum, ac Monasticæ disciplinæ inchoemus, vbi Sanctissimus P. N. Benedictus sua studia, suosq; mores renouauit? Verùm enim verò cum huiusmodi Benedictini spiritus renouatio arduum sit opus, non potuit longa non cunctatione differri: quam tandem Gregoriana pietas, & egregia religio discussit. Gregorius siquidem Papa XV. vt clementiæ laude ornatissimus, sic vigoris Benedictini spiritu zelator feruentissimus, Alexandri Peretti Montalti, Magni Sixti V. Nepotis, & Octauij Bandini, S. R. E. Cardinalium Episcoporum, amplissimorumq; Ordinis Benedictini Protectorum, efficaci intercessione permotus, me interim importuno satis quidem labore adnitente, ac satagente, Gregoriani ipsius Collegij, atq; hospitij erectionis Bullam multis gratijs insignitam, & auctam, vniuerso Benedictino Ordini non minus proficuam, quàm honorabilem larga manu, hilariq; fronte concessit.

Norant enim præſtantiſſimi hi Cardinales, immò & ipſemet Pontifex Maximus, Benedictinum Ordinem cunctis alijs Regularium Familijs doctrinæ, ac ſanctitatis exemplar ſemper extitiſſe, ſubſidia itidem ſingularia ſuppeditaſſe: immo & ipſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ inſigni non ſolùm ac perpetuo ornamento, verùm etiam in laboribus & periculis ope & opera iugiter adfuiſſe: Atq; adeo digniſſimum eſſe, qui eorumdem ſtudio & beneuolentia repararetur: ac quantum par eſſet, in priſtinum nitorem reſtitueretur. Exiſtimantes interea Regulares alios oblectationem ſumpturos non minimam ex reparatione vigoris Benedictini ea in vrbe, ex qua ipſe Monachorum Patriarcha Sanctiſſimus Annio & Anicio, idem qui & Iulio, atq; Claudio, vtroq; Cæſareo cretus ſanguine originem duxit; vt eo ex loco tanquam à capite, ſuauiſſimi vnguenti inſtar, odor reparationis in barbam & oram veſtimenti cæterarum Orbis Prouinciarum deſcenderet.

Inſtitutionis porrò ſcopus Benedictino-gregoriani huius in alma hac Vrbe Collegij, immo reſtaurationis auitæ S. P. N. Benedicti Anicianæ Domus (quæ nunc temporis iniuria, noſtrorumque incuria ruderibus obſita ſquallet) eſt commune totius Benedictini Ordinis (dicam nec quidem temerè) & Orbis decus, ornamentum, & commodum. Atque inprimis vt ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, Vrbem commeantes Benedictini, non iam cum enormi Monaſtici decoris iactura, & hominum ludibrio vagentur Nazaræi in capite omnium platearum; ſed vt collegæ in eiuſdem Gregoriani Collegij, vel hoſpitij ſinu excipiantur amicè, & ibidem ſpiritualibus, ac temporalibus adminiculis reficiantur abundè. Immò & ſi qui Benedictini ſint Prælati, qui aueant ex ſuis aliquos Benedictina ſimul diſciplina, & bonis excoli litteris, eos Gregoriano hoc concludant Collegio, ibidem vti in alueario, Monaſtico ſeruato priſco, germanoq; ſchemate, mella vitæ, ac doctrinæ effecturi. Hic enim bonitatem, diſciplinam, & ſcientiam edocebuntur:

buntur: vt pote quod ſcientiarum omnium, atq; virtutum palæſtra, gymnaſiumq; futurum ſit: vbi Monachi, pariter & Theologi efformabuntur. Et inſuper vt à prædicti Collegij Abbate præſidente totius Ordinis concredita Monaſteriorum negotia, quæ apud Sanctam Apoſtolicam ſedem nuſquam deſunt, pertractentur. Ac eo modo inter omnes Chriſtiani Orbis Benedictinos mutuum charitatis & fraternæ beneuolentiæ vinculum coaleſcat. virtuſq; Benedictinorum vnita, fortior euadat aduerſus eos omnes, qui Benedictinæ gloriæ æmuli, Ordinis ipſius proſperitati præiudicium quouis modo inferre molirentur.

Vt autem ex ſingulis Nationibus illuc conuenæ Monachi ad imitationem auitam per amplius accendantur, reparatio ruinam minitantis præfatæ S. Benedicti Eccleſiæ fuit excogitata, ea diſpoſitione, vt ſingulæ Nationes ſuum quoq; in ea habeant Sacellum, Benedictini alicuius Nationalis Sancti titulo inſignitum. Tam ferax eſt enim Virorum Apoſtolicorum ager Benedictinus, tamq; ſunt latè patentes priſcorum Benedictinorum in Sancta Dei Eccleſia labores, vt nulla extet in Orbe Natio pridem agnita, quæ ſe à Benedictinorum cultura ſubducere potuerit: tamq; numeroſi ſunt Sanctorum Catalogo adſcripti Cætus Benedictini, vt ſint qui ſcribant, ad quindecim millium, triginta alij, vel ſeptem ſupra triginta, alij demum ad quinquaginta millium in eadem Religione Sanctorum, Sanctarumq; numerum aſcendiſſe.

Quid memorem innumerabiles Chriſtiani Orbis, & Eccleſiarum Moderatores ex Benedictinorum Clauſtris aſſumptos, quando illam ipſam omnium Matrem & Caput, Romanam Eccleſiam, longa annorum ſerie tanti Patris præclara Soboles, Petri Nauiculæ admota Clauo, *per vnum & triginta ſupra centum Pontifices Summos*, mira prudentia, miraq; ſanctitate feliciter rexit, & glorioſè protexit.

Quid etiam de Benedictinis doctrina præditis efferam? Nihil pro-

hil profectò, cum illorum solummodò nominum memoria volumen potius integrum, quam paginulam hanc exposceret.

Quid de illis insuper edisseram Benedictinis, qui munus Apostolicũ sibi creditum, Euangelij lumine ad Christi fidem multas in Occidente præsertim Prouincias perducendo, fidelissimè administrarunt? Fidẽ quippe Christianã Benedictinis debet Apostolis Anglia, Franconia, Vestphalia, Taxandria, Frisia, Suecia, Helsinga, Sorabia, Brabantia, Flandria Saxonia, Pomerania, Vasconia, Böemia, Hungaria, Polonia, Slauia, Russia, Prussia, Lituania, Vandalia, Gottia, Dania. Quid cœteras Europæ Prouincias recenseam? Nouus etiam Orbis suum agnoscit Patronum, Bartholomæum Buylt, Montis Serrati in Catalonia Abbatem. Hic namq; Anno Christi MCCCCXCIII. *Alexandri VI. Pont. Max.* auctoritate, primus Noui Orbis verus Apostolus, primus Indiarum Occidentalium Præco, cum quo plures se associauêre Sacerdotes Benedictini, Christophoro Columbo Nauarcho Duce, ad eius incolas in Christi fide instruendos, electus Indiarum Archiepiscopus, Patriarcha, & Romani Pontificis Vicarius, vt apertè testantur Petrus Cieza, Consaluus Ferdinandus, Gilbertus Genebrardus, Fumus, & Honorius Philoponus, vir etiam eruditus, qui hanc Buylt nouam noui Orbis nauigationem Apostolicam singulari commentario latissimè assertam demonstrauit. Nihil nunc de Lusitanis Benedictinis Indiæ Orientalis Apostolis dicendum puto. Nihil quoq; de Palæstina & Armenia, atq; Persia Regionibus, in quibus Benedictinorum Monasteria, nec quidem pauca, adhanc vsq; diem exstant. Nobilem tandem illam Africæ partem, Æthiopiam S. P. N. Benedicti legibus illustratam fuisse, non parùm gloriantur Aethiopes. Qua de re Magnum Benedictum non modo Abbatem & Patrem, sed etiam Angelum vocitant. Ea enim illorum lingua vox est: *Abba, Bruk, Amlak*, quod latinè sonat: Abbas, Benedictus, Angelus, sed prouehor longiùs, quàm volebam,

Cæterùm Deifica illa charitatis virtute existimandum est, vos, Patres pijssimos, vniuersos Orbis Christiani Præsules Benedictinos, tam celebri, vtili, & pernecessario operi adiutrices manus largè liberaliterq; porrecturos: & quo Paterna S. P. N. B. Domus, Dei ter Opt. Max. Templum efformetur & Domus, ex amplissimis opibus, quas sibi comparauit Benedictina pietas, munifica xenia suppeditaturos: tum vt eo loco pristini Spiritus Benedictini efficaciter vigor reuiuiscat: tum vt ad maiorē Dei gloriam, Benedictini nominis splendorem, Orbisq; totius commodum, bonarum literarum decor radices toties reuulsas agat, atq; firmetur in posterum, & propagetur: vt exinde tamquam ex primariò Gymnasio, publico Benedictino, doctrinæ Catholicæ vnitas inter Benedictinos præcipuè colligatur, Missionesq; ad Prouinciarum conuersionem, sicut è mari flumina, per vniuersum mundum, communicatis & animis & viribus, & Priuilegijs egrediantur. Sed quoniam luce clarius apparet, Deum nostro hoc tempore rem Benedictinorum benedictionibus dulcedinis præuenire velle, sacrosanctæ huic Magni Benedicti domui Clementissimus ipse Deus adiunxit & aliam, quam idem Patriarcha Sanctissimus Diuinis illustrauit miraculis. Est namq; in Æquicolis, siue Latio, triginta Italicis ferè milliaribus Roma distans, à Sacro autem S. Benedicti specu, & Sublacensi Monasterio duobus (ac adiacens Oppido, quod Effides vocatur à S. Gregorio, & Plinio, Aufidena Ptolomæo, ab incolis vulgo Afile, Anieno flumine, ac Neronianis quondam delitijs celeberrimum) Ecclesia S. Petro Apostolorum Principi dicata. Hanc Roma discedens Diuino afflatus Spiritu, immò (vt testis est S. Hildegardis) *ab ipsa infantia sancti Spiritus gratia perfusus*, puer Benedictus *duobus etiam Angelis* (vt Calixtus auctor vetustissimus tradit) Cyrilla eius Nutrice vidente, comitantibus, adiuit, vitam Eremiticam, atq; Cœnobiticam auspicaturus; vt super quam Petram Christus ædificârat Ecclesiam, super eam ipse suum ædificaret Ordinem. Quare etiam sicut

Christus Petro prædixerat, Satanam Apostolos cribraturum sicut triticum, se autem pro eo rogaturum; ita quoq; Benedictus expetitus à Satana, cuius insidijs capisterium & cribrum, quo ipsius Nutrix triticum purgabat, ruptum fuerat, vt Sacri illius Cœtus charitatem quando rumpere non poterat, perturbaret, Christum rogando restituit. Quamobrem & Græcorum Ecclesia in Diuinis Officijs dum S. Benedicti laudum præconia recenset, de hoc eodem Afilano loco asseuerat: *Puer adhuc, & pœnè incompleta infantia, sibi humil m vnà cum Nutrice locum eligit: quo in loco propter virtutem, & exercitium cum se;e Deo Opt. Max. dicasset, ab eodem diues miraculorum, ac medicaminum euasit fortitudine.* Hunc porrò locum, & S. Petri Ecclesiam illustrissimus, idemq; benignissimus Dominus, D. Cardinalis Bandinus, Prænestinus Episcopus, in eius Diæcesi existentem, mihi tamquam Abbati Præsidenti Collegij Gregoriani, meisq; in eodem successoribus dono concessit: quamquam æui vetustate ruinosam, nobis tamen pretiosissimam ob sacras tot nobilium monumentorum reliquias Patriarchæ nostri: Qui meritò Regionis huius etiam Apostolus dicendus est, cum eos populos (vt S. Aldhelmus testatur) à Dæmonum cultu liberauerit. Cuius maximi beneficij ipsi adhuc memores, Ordinem nostrũ summa beneuolentia, & obseruantia prosequuntur.

Qua impulsi, præsertim Aufidenates, nunc quoq; egregiam nauarunt operam, vt in eorum patriam postliminio reuerteremur. Ad nos igitur tamquam hæredes antiquus populorum amor noua cultura seruandus est: & tamquam ad Filios Patris nostri reliquiæ corruentes ab integro excitandæ.

Quod si pecuniam, Præsules RR. in protegendis amantissimi Fundatoris nostri memorijs non elargiremini, quando pro vestris fratribus, vel filijs vitam exponeretis? Si pro tanta, & tam nobili Ordinis vtilitate expensas pauculas non conferretis, quando corpora tribueretis? Eximius Patriarcha noster Benedictus ex pauperibus vos diuites fecit, iam à vobis elemosy-

nam

nam petit, & non accipiet? Siccine ſacer Benedicti Ordo, inter omnes quondam excellentiſſimus, ab hoſtium incurſione defenditur? Euigilemus, Patres, quando vigilantia prodeſt, ne ſerò nos dormitaſſe pœniteat. Intueamur Ordinum aliorum profeſſores, quàm ſollicitè, quàm zelanter, quàm conſtanter, Religionis ſuæ iura, Priuilegia, Cænobia defendant, non parcentes expenſis, neq; laboribus, neq; contributionibus, vt Ordines ſuos in vigore conſeruent.

Numquid illis inferiores erimus? Numquid mendicantibus pauperiores? Quare pro defenſione Ordinis noſtri non vigilamus? Videamus, quæſo, Ordines cæteros, & ex eorum diligentia quid nobis faciendum ſit, agnoſcamus. *De ſuis Monachis Procuratores* ( ait ſcientiſſimus noſter Abbas Trithemius ) *in Vrbe Roma conſtituant, qui malorum principijs viriliter obſiſtant, & nihil contra Ordinem ſuum conualeſcere permittant. Credo, ſi tales haberentur, multa Ordinis pericula prauerterent. Ius autem ſuum qui negligit, aduerſario concedit.* Mirum profectò eſt, quod ſurdis auribus audimus, & tanquam non noſtra intereſſe putamus, quod quotidie videmus, ſicut & elapſis temporibus factum intelleximus; Monachos bonis proprijs vi, & violentia priuari, & tamquam indignos Dei miniſtros à ſuis Monaſterijs turpiter expelli. Vigilandum itaq; eſt omnibus in cauſa, quæ omnes tangit; quia quod ab vno eripitur, omnibus ablatum iudicatur. Quotieſcunq; Monaſterium ab Ordine noſtro rapitur, noſtra communis hæreditas in parte diſſipatur.

Qua propter ego cum dulciſſimæ noſtræ huius Benedictinæ Religionis, Matris, per ſeptẽ & triginta annos lac ſuxerim, quorum viginti ferè in alma hac Vrbe apud Maximos Pontifices quatuor, Sedi Apoſtolicæ à Sacris litterarum Monumentis inſeruiui, temperare me in amore vix potui, quin inter potentes Ordinis iſtius noſtri zelatores, & ego minimus, zelo Dei zelatus, pro fratrum, noſtrorumq; filiorum ſalute, in eiuſdem Ordinis honorem, & ampliorem Dei gloriam, cum maioris mo-

menti aliud præstare nequiuerim, huiusmodi Collegium, cui non solùm bona ea omnia, quæ tam professionis meæ S. Nicolai ex Arena Catanensis Monasterij, quàm Parentum meorum beneficio acquisiui, verùm etiam me ipsum in vestrum omniũ obsequium alacri plusquam animo tradidi, diuturno, ac laborioso nimis opere erigendum curaui. Sed quia vnus ego, vt vniuersæ ipsius Collegij, vel hospitij, ac Basilicæ S. P. N. Benedicti fabricæ, nec non Ordinis totius nostri Monachorum necessitatibus hac in Vrbe occurram, difficilè, ac prorsus impar meis viribus onus iudicaui; ea de causa ad vos Patres religiosissimos (vestram generositatem fraternæ charitatis stimulo excitans) libellum hunc supplicem destinaui. Quam mihi fiduciam, tametsi nihil promeritus, vestra in primis humanitas, ac eximius erga S. P. N. Benedictum, eiusq; Ordinem amor: & ardens, quod esse decet, studium ministrat; vt hoc officium liberè proponere, ac requirere audeam: & eò maximè quod eiusmodi est, vt vestrorum particularium Cænobiorum, ac Ordinis totius nostri Benedictini vtilitas, honor, & decus mirum in modum augeantur.

Cum itaq; S. P. N. Benedicti gloria propaganda ad nos eius præsertim Alumnos iure optimo spectet, quæso, Patres pijssimi, vt tantum opus promptis animis, ac omni charitate perficiendum curetis: & sumptus aliquos, vel duo saltem minuta, quæ animi vestri beneuolentiam, & gratitudinem erga communem Parentem nostrum, Magnum Benedictum, ac nostram ipsius Religionem, immò & in vestrum omnium Monasteriorum vtilitatem cedent, Romam mittere quàmprimùm non negligatis. Opus quidem patrabitis pro vestra benignitate inclytum, ac sæculis omnibus gloriosum.

Spiritus Sanctus, qui est lumen æternum, & remissio peccatorum, omnes vos illuminet, & absoluat: sedulamq; mei memoriam in sanctis orationibus vestris vos habere præcipiat: ac tandem vobis annuat in huius vitæ transitu sic per omnia viuere,

uere, vt cum eo ſimul, qui eſt auctor vitæ, in illa cæleſti Hieruſalem mereamini ſine fine gaudere. Romæ ex Aedibus Collegij Gregoriani Domus S. Benedicti, ipſo die eidem noſtro Beatiſſimo Patriarchæ celebri, ac anno ab orbe redempto MDCXXII.

---

*Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam,*
*DEVS.*

# A Q V I L Æ POLONO-BENEDICTINÆ, BASIS. II.

## Vnio Monasteriorum & Capitula Prouincialia.

*Quod non sit, Ordinis Nostri in hac Prouinciâ subleuandi, ratio commodior, quam vt Monasteria in Congregationem redigantur, & Visitationes cum Annuis Capitulis instituantur, per Parænesim inuitantem, propositum Syntagmatis demonstratur.*

MAgna DEVS ac præclara, dilectionis suæ erga Diui Benedicti religiosam familiam, semper ostendit indicia, multa & continua prouidentiæ argumenta. Quàm enim mirabiliter in sui primordio, & grauissimo reipublicæ tempore, turbantibus omnia, in Occidente barbaris, in Oriente hæreticis, plantata fuerit; quanta in progressu, Sanctitatis incrementa fecerit; quales ex eâ, Ecclesiarum Episcopi prodierint; quot viri Apostolici, ad gentium conuersionem fuerint, quam multi victores, ob suscepta pro religione grandia certamina, Martyrij coronam adepti sint, nemo ignorat, qui aliquam Ecclesiasticæ Historiæ cognitionem habet. Hæc tamen omnia, cumulatissimæ beneuoli Numinis benedictioni accepta referimus, ab illo supernè data concessaq; nobis munera submissè confitemur.

Enimuero, non tulit tantam Illustrissimi Ordinis gloriam humanæ salutis hostis; nondum sopitum est eius contra Diuum Bene-

Benedictum eiusq; sequaces inexpiabile odium; mille machinas, mille insidias olim struebat, vt salutaris consilij initia impediret, nec modo quiescit, quin turbas excitare, Monasteria infestare, concordiam dissoluere, disciplinæ rigorem eneruare & pessundare satagit. Sed frustra supernæ benedictionis virtutem euacuare connititur; nebulam coruscanti lumini obijcere potest, non ipsum extinguere: parietes spiritualis ædificij decolorare, non demoliri, nedum euertere; quia quos DEVS vocauit in ædificationem Corporis Christi, hos iuuat, ac dissipat consilia dicentium *exinanite exinanite vsq; ad fundamentum in ea.*

Quare licet Ordo S. BENEDICTI, quibusdam in locis multùm de primæuo splendore amiserit, compluribus sub oppressionum & tentationum mole succumbentibus, alijs quoq; à seuero illo & arduo vitæ genere in delicias prolabentibus, nunquam tamen defecit sincera & generosa posteritas, semper inuenti sunt Viri Sancti, zelo ac scientiâ Regulæ præditi, eiusq; acerrimi propugnatores, qui domitis cupiditatibus, superatisq; omnibus difficultatibus, ad vitæ arctioris æmulationem, suo exemplo plures traxerunt, *adhibitisq; bonorum operum instrumentis* (vt cum D. Benedicto loquamur) totam Monastici instituti fabricam, sartam, tectam, conseruauerunt. Semper quoq; per DEI gratiam, extiterunt aliqua in Ordine asceteria, deuotioni & regularibus exercitijs addicta, in quibus postquam discipulorum probè instructorum creuisset numerus, deinceps in alia Monasteria, ac in diuersas regiones, ex ijs, tanquam ex alueario excrescentia apum examina, ad tuendam & ampliandam Benedictinæ familiæ dignitatem, importabantur. Quin etiam Ecclesia Catholica, haud dubiè Diuino afflata Spiritu, veluti pia mater, sollicita pro tam decoro & nobili suo membro, Ordine Benedictino conseruando & exornando, prouidè & sapienter sanciuit, quatenùs Ordinis Monasteria sese in Congregationes redigerent, atq; ita coniunctis viribus communi bono pro-

nō prouiderent. Quæ Monasteriorum per Prouincias Vnio, singulare est Ordinis languescentis adiutorium, lapsi erectiuum, extincti restauratiuum; quâ, ad detegendas diabolicæ fraudis versutias, nil conuenientius, ad corrigendos deuiantium errores, nil efficacius; ad excitandos tepidos nil fortius, ad inserendas virtutes nil opportunius: quod vt manifestum omnibus fiat, clareq; intelligant, Ordinis nostri Cænobia, per hanc vnionem in alijs Regnis emersisse; & in hoc amplissimo Poloniarum Regno, ex obscuro descensu in apertam lucem, ex infirmitate ad vires pristinas, ex contemptu vulgi ad famam excellentem debitamq; formam afflicta Monasteria nostra peruenire posse, ex Pontificum litteris, Concilijs, Patrumq; testimonijs, demonstrabo.

Et ipsa quidem amplitudo Ordinis, per diuersa Regna propagati; eiusq; Cænobiorum absolutus sine dependentiâ vnius ab alio status; ac Monachorum penes Abbates solos regimen; præcipuæ causæ fuisse videntur, quæ sacræ obseruantiæ, & primæuo vigori, vim intulerê maximam. Ac inprimis illa Cænobiorum independentia & disgregatio, plurimum obfuit Ordini, præsertim dum sub iniquis Monasteria posita Abbatibus, non modò à regulari viuendi ratione longè recederent, sed insuper, timore DEI abiecto, exuto cucullo Monastico, & protrito habitu venerando, ab ipso Ordine, Regulaq; Diui Benedicti, & ipsi Monachi resilirent, & Monasteria religiosa, in Præposituras sæculares, vel Episcopatus conuerterent: non aliquâ necessitate publicâ, vel bono Ecclesiæ promouendo id facientes, (quod tamen falsò obtendebant) sed licentiosæ & absq; freno irregularis vitæ desiderio prouocati, talem iniuriam parenti Diuo Benedicto, eiusq; Ordini præiudicium, ingrati scelestiq; clientes inferre præsumebant. Dum autem ob ausum temeritatis tantæ, execrandæq; apostasiæ crimen corriperentur per alios Abbates; nullius se subesse correptioni, præterquam Pontificiæ & regali, quibus solis ius in suum Monasterium

sterium esse, præfractè respondebant: aliorum verò Abbatum imperia & ius, sibi non competere, nihil illis ad sui Monasterij curam interesse, Generalis vel Prouincialis, aut Præsidentis cuiusquam Abbatis iurisdictionem, se nunquam agnouisse, nec quidquam in hoc genere Monachalem regulam disposuisse; totalem potestatem in suum claustrum & sibi subditos, se Prælatum domûs habere, licere proin factitare id, quod melius collibuisset sibi. Non ferendis his dismembrationibus & illicitis Summi Pontifices insolentium ausibus, (de quibus sæpè apud Sedem, grauissimæ querelæ exponebantur) permoti vehementiùs, diuersas Constitutiones ad bonum pacis seruandum in Ordine, prouidè decreuerunt, per quas rebellium consilijs occurreretur, & Ordo Monasticus ad pristinum disciplinæ candorem reduceretur; quas inter, illa potissima Ordinatio semper visa est, *vt deinceps de triennio in triennium, per singulas Prouincias, Prælati Ordinis S. Bened. conuenirent, atq; de Monasterijs, & obseruantia regulari in ijs conseruandâ, de zelo disciplinæ instaurando, de regimine Cœnobiorum meliùs exercendo, in his Regularibus Comitijs mutuò pertractarent.*

Ita Innocentius III. in solio Apostolico consìdens, & oculos ad prosperum Ordinis Benedictini regimen paternè dirigens, in magno illo Lateranensi 1300. Patrum, Romæ, anno Christi 1215. habito Concilio, decreuit sapientissimè lib. 3. Decretal. tit. de Statu. Monast. cap. 7. *In singulis Regnis siue Prouincijs, fiat de triennio in triennium, saluo iure Diœcesanorum Pontificum* (per Capitula Monach. iurisdictio Episcop. in nullo eneruatur, Hostien. & Ioan. Andr. in hoc loco doc.) *commune Capitulum Abbatum atq; Priorum Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt tale Capitulum celebrare: ad quod vniuersi conueniant, præpeditionem Canonicam non habentes, apud vnum de Monasterijs, ad hoc aptum: hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum plus quàm sex euectiones & octo personas adducat. Aduocent autem charitatiuè in huius nouitatis primordijs, duos Cisterciensis Ordinis Abbates*

*bates vicinos, ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum; cùm sint in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longâ consuetudine pleniùs informati, qui absq; contradictione, duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire, ac ipsi quatuor præsint Capitulo vniuerso, ita quòd ex hoc, nullus eorum sibi authoritatem prælationis assumat; vnde cùm expedierit, prouidâ possit deliberatione mutari. Huiusmodi verò Capitulum, aliquot certis diebus continuè iuxta morem Cisterc. Ord. celebretur; in quo diligens habeatur tractatus, de reformatione Ordinis & obseruantiâ regulari. Et quod statutum fuerit, illis quatuor approbantibus, inuiolabiliter obseruetur, omni excusatione, & contradictione, & appellatione remotis: prouiso nihilominùs, vbi sequenti termino debeat Capitulum celebrari. Et qui conuenerint, vitam ducant communem, & faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas, ita, quod si non omnes poterunt in eisdem, saltem plures simul in diuersis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem Capitulo, religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas Abbatias eiusdem Regni seu prouinciæ, non solùm Monachorum sed etiam Monialium, secundum formam sibi præfixam, vice nostrâ studeant visitare, corrigentes & reformantes, quæ correctionis & reformationis officio, viderint indigere: ita quod si, rectorem loci cognouerint ab administratione penitus amouendum, denuntient Episcopo proprio, vt illum amouere procuret, quod si non fecerit, Visitatores hoc referant ad Apostolicæ Sedis examen. Hoc ipsum, &c.* quæ ibi vtiliter præscribuntur.

Similiter Clemens V. in Concilio Viennensi, maturè sollicitèq; præuertens, *Ne in agro Dominico, sacrâ videlicet Monachorum nigrorum religione, indecorum aliquid obrepat, aut vitiosum quidquam perniciosè in segetem coalescat, sed vt in illâ potiùs flores honoris & fructus honestatis in vbertate succrescant.* Innocentij III. Constit. prædictam, in toto approbat, Capitulorumq; singulis triennijs celebrandorum necessitatem confirmat, vsumq; horum Conuentuum omninò seruandum decernit, & alia ad meliorem Ordinis gubernationem, de nouo constituit, & vt firmiter obseruentur, authoritate supremâ indixit. Sed

Sed & Benedictus XII. ex Ordine Cistercienſium noſtrorum ad Apoſtolici Magiſterij Cathedram aſſumptus, euolutis viginti octo annis à Clementis V. temporibus, anno ſcilicet Incarnationis Dominicæ 1336. ad proſequendam per anteceſſores ſuos auſpicatò cæptam Monachorum D. Benedicti reformationem, pro ijſdem ſpecialem edidit Bullam, vulgò *Benedictinam* dictam, in cuius Prologo ſic præloquitur. *Inter cæteros Ordines Religioneſq; ſacras, in triformi conflictu militantis Eccleſiæ ſtrenuè dimicantes, ad Sacram Religionem Monachorum nigrorum noſtræ dirigentes attentæ conſiderationis intuitum, optamus in Domino* IESV *Chriſto, vt ſicut ipſa Religio à mari vſq; ad mare per incrementa temporum ſuos palmites dilatauit; ſic per vniuerſa Orbis climata, virtutum radijs luminoſis, iugiter illuſtretur. Et quanquam circa illius ſalubrem & felicem ſtatum, eiuſq; attinentias, tam per regulares inſtitutiones Almorum Patrum qui de hoc ſæculo feliciter tranſiuerunt, quàm etiam per iuridicas ſanctiones prouiſum exiſtere dignoſcatur; Nos tamen ob zelū amplioris ſalutis & maioris proſperitatis eiuſdem, intra noſtra præcordia, & cum nonnullis ex fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus & dilectis filijs Petro Cluniacenſi, Ioanne Caſæ Dei; Gilberto Maſſilienſi, Raymundo Salmodienſi. Guilelmo Montis ſoluti, & Gregorio Iſiodorenſi Monaſteriorum Abbatibus, eiuſdem Religionis, Decretorum Doctoribus, diligenti tractatu præhabito, & ſuper eo digeſtâ deliberatione ſecutâ, vt eadem Religio in Diuini cultus obſequio floreat, honeſtatis candore fulgeat, diſciplinâ regulari præemineat, ſapientiæ ac ſcientiæ Diuinæ pariter & humanæ (ſine quibus mortalium vita non regitur) fulgoribus rutilet, nec decreſcat in profectu ſubſtantiæ temporalis ſed potiùs augeatur, vigeatq; inter Cænobitas ſuos charitatis ſoliditas, & perſiſtat Sanctimoniæ fortitudo, in virtute Dominicâ confidentes, vt præmiſſa valeant cooperante ſupernâ omnipotentiâ efficaciter prouenire, authoritate Apoſtolicâ Statuta edimus, quæ vbiq; terrarum & locorum infra & per ipſam Religionem, eadem authoritate volumus perpetuis futuriſq; temporibus firmiter obſeruari.* Vbi Capite primo, Bullæ prædictæ, de celebrandis Prouincialibus Congregationibus tractans, omnes ſuperiores debere venire

 obligat,

obligat, malitiosè se subtrahentes summâ mulctat, & si correctionem eâ arte effugere velint, officijs priuat; insuper vniuersa Ordinis Monasteria in 36. Prouincias distinxit, earumq; limites, ne de ipsis in posterùm hæsitetur, præfixit, vbi inter alias, Gnesnensem quoq; Prouinciam definiuit, ad quam omnia Benedictina Monasteria per Poloniam counìri & conscribi voluit, in eaq; commune & Prouinciale Capitulum celebrari, visitationes peragi, disciplinam regularem instaurari, & cætera ad conseruandum Ordinem spectantia fieri imperauit. Dignissima omnino Bulla, quæ à nostris legatur & sciatur, & in praxim contenta eius reducantur, sicq; res Ordinis meliùs starent. Cuius vtilitatem insigniter Calixt. III. PP. in Bullâ ad Turonen. & Andegauen. Monast. Abbates, anno 1455. sub hoc verbor. tenore datâ deprædicat.

*Calixtus Episcopus, Seruus Seruuorū Dei. Ad futuram rei memoriā. Romani Pontificis circumspecta prouidentia, circa quarumcunq; Ecclesiarum & Monasteriorum, ac aliorum locorum Altissimo in eis famulantium, ac præsidentium personarum statum, & regularem disciplinā intendit, & vt in illis, zelus Religionis ferueseat, vestigijs Prædecessorum inhærendo statuit & ordinat prout in Domino, sa ubriùs conspicit expedire. Dudum siquidem fel. rec. Benedictus PP. XII. Prædecessor noster, nonnulla statuta & ordinationes, salubrem statum Monachorum Ord. S. Benedicti concernentia, per quasdam suas literas edidit, ac voluit; inter cætera, iuxtà prædictorum statutorum & Ordinationum tenorem, Capitula Prouincialia de triennio in triennium (singulis Prouincijs per ipsum tunc distinctis) perpetuis futuris temporibus, saluo iure Diæcesanorum celebrari &c.* & infra ibidem. *Cùm autem, sicut accepimus, prædicta Capitula, à plurimis annis non fuerint celebrata: Nos attendentes, celebrationem dictorum Capitu'orum, pro eiusdem Ordinis felici statu, & Diuini cultus augmento, plurimùm necessariam fore; ac cupientes, vt dicta Capitula, in quibus plurima salubria dicti Ordinis tractari concludi, & ordinari consueuerunt, perpetuis futuris temporibus celebrentur, auctoritate Apostolicâ, hâc irrefraga-*

*fragabili Constitutione tenore præsentium statuimus & decernimus; quod Maioris Monasterij Turon. & S. Florentij Abbates, quibus plenam sup*e*r hoc potestatem concedimus, quod auctoritate nostrâ &c. Exemptos & non exemptos pro dicti Capituli primâ celebratione conuocare, diem & locum intimare, ipso die Capitulari Missam Celebrari, sermonemq; conuenientem facere vel fieri iubere possint, &c.*

Gregorius quoq; IX. Ordinis nostri decus, pro vitæ meritis, ad summa primum Ecclesiæ negotia expetitus, summam deniq; Cathedram conscendere meruit, & Ordinem nostrum in quo nutritus fuerat singulari vigilantiâ & beneuolentiâ demeruit. Hic ad Cluniacensem Abbatem Conuentumque eius super reformatione Ordinis torpentis, specialem Bullam dedit. *Behemoth,* inquit *non contentus, quasi bos comedere paleas, sed escas electas auidè concupiscens, venatur instanter animas delicatas: non solùm simpliciter gradientibus ponendo pedicas & laqueos in capturas; sed etiã, contemplationis gratiâ in solitudinem aduolantibus, prætendendo decipulas, & retia extendendo. Sanè dolore confodimur in occulto, & rubore perfundimur in apertò, quia cùm Ordo Cluniacensis in Ecclesia paradiso dexterâ Diuinâ plantatus, à mari vsq; ad mare protensis palmitibus, gratos flores & vberes fructus producere soleret honestatis; nunc in amaritudinem alienæ vitis auersus, producit labruscas, stuporem dentibus facientes; factus in laqueum & ruinam, in lapidem offensionis & petram scandali, duabus domibus Israel; Contemplatiuis videlicet & Actiuis. Domus quoq; vestræ in multis locis desolatæ sunt sicut in vastitate hostili, & multæ derelictæ sunt, sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & velut ciuitas quæ vastatur. Quare cupientes deformatum Ordinem reformare, & instaurare collapsum, inprimis Statuimus, vt Generale Capitulum Abbatum & Priorum, tam Conuentualium quàm minorum, apud Cluniacum annis singulis celebretur. Vbi sine personarum acceptione, secundum DEVM, & B. Benedicti Regulam, & Cluniacensis Ordinis instituta, delinquentium corrigantur excessus, & de salute animarum, & conseruatione Ordinis, ac domorum indemnitate tractetur, & statuatur*

*quod fuerit regulariter statuendum, nec in hoc Priores vel camerarij inuicem sibi parcant, sed vnusquisq; quod viderit in alio corrigendum, timorem DEI habens præ oculis, in Capitulo, publicè vel priuatim, (prout viderit melius expedire) in charitate proponat, & correctus hoc molestè non ferat, sed correctionem fratris patienter accipiat &c.* in quâ Bullâ omnia ad viuidam instituti Monastici reparationem, quàm aliter fieri non posse, nisi erigerentur Congregationes, ac Capitula & visitationes crebræ haberentur, sapientissimè scripsit.

His adiungo Nicolaum IV. qui in Bullâ suâ ad eosdem Cluniacenses, præcedentis Constitutionis Gregorij IX Statuta quædam repetijt & confirmauit, quædam etiam moderatus est, & nonnulla de nouo addidit; vbi inter cætera, dicit, se *Regis pacifici vices in terris gerentem, pacis bonum & concordiæ stabilis vnitatem, cunctis fidei Orthodoxæ cultoribus, sed potissimè regularis obseruantiæ vinculo alligatis, feruentibus votis appetere, & solicitis studijs procurare vt Diuinorum cultui, cui salubris illos dedicauit intentio, liberiùs & commodiùs immorentur. Proinde vt inter Cluniacenses Diuinis obsequijs regulariter deputatos, tranquilla pax vigeat, fraterna charitas ferueat, animorum identitas perseueret, &c.* omnes Abbates & Priores Cluniacensis Ordinis, ad Capitulum si sint in Francia constituti annis singulis, si autem in Anglia, Hispania, Alemania vel alibi existant, de biennio in biennium conuenire, in eoq; de corrigendis delinquentium excessibus, Ordinis conseruatione & domorum indemnitate, tractare debere, statuit.

Omitto alios Apostolicos Præsules, Honorium III. Martinum V. & complures præter hos, qui Ordinem nostrum ad Congregationes in singulis regnis erigendas, Capitula frequentanda, Visitationes instituendas, vrgebant, vt scilicet Regiminis Superiores, ad singula Cænobia inspectionem haberent, & ne Monachi vel eorum Prælati, à tramite Regulæ sacræ aliquo exorbitarent modo, ipsi in speculâ Prouinciæ constituti peruigilanter cauerent.

Irre-

Intepscerat cum tempore torpor, & pristinus feruor remiserat non modicè, in Ordine nostro: siue id factum fuerat, vitio inconstantiæ, rerum humanarum dominæ, quæ cunctas res in orbem voluit, nihilq; expers motûs, nihil planum & æquabile in finem vsq; permittit, quæ in eodem statu humanas mentes iugiter permanere, quin mutationi subsint, non patitur: ac ipsas Intelligentias puras, secundum Iobi scita peruertit, *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, quantò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea*: in quæ verba D. Greg. *Quasi enim quadam suâ tineâ vestis nostra consumitur, cum caro corruptibilis, tentationem gignit, & per hanc ad interitum peruenit.* Siue ex vetustate & antiquitate ordinis nostri quinto sæculo à Christo, instituti, in tepidis decoloratio hæc processerit, quam Monarchiæ quoq; passæ sunt: cum & ipsa senectus humani corporis, morbos inducat, & interitum causet; ipsæquoq; multiplices cæli solisq; conuersiones, quibus hominum metimur ætates, deliquia & alterationes, subeant: sic quoq; in omni, quâ Ecclesiasticæ quâ ciuilis Reipublicæ corpore, varij status, diuersæ alterationes, atq; morum vicissitudines, quotidiè conspiciuntur. Siue hunc defectum in obseruantiâ regulari & inopiam spiritûs, rerum temporalium copia fecerit, iuxta illud Deuteron. 32. *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, impinguatus & dilatatus*; cùm scilicet deuota religio, diuitias peperisset, quæ filiæ sic natæ, matrem suffocare sunt ausæ: teste Apostolo 1. Tim. 3. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes diaboli.* ditauerat namq; Ordinem nostrum, cultus Dei, sincera deuotio, excellens doctrina; quem cæca postmodum Monachorum ambitio & segnities his bonis denudabat: mox enim vt cæperant terrena sapere, & commoda temporalia amare, deficiebat color Sanctæ Religionis optimus, deuotio tota expirabat: spiritualibus autem neglectis, iusto Dei iudicio, etiam temporalia minuebantur. Seu potius remissionem hanc, in Ordine nostro,

disso-

dissolutio ipsorum Prælatorum & negligentia causauerit; eorũ maximè, qui ex liberiori genere nobilium nati, sed malè educati, ne professione Monasticâ quam indeliberatè assumpserant, illustribus cognatis viderentur iniuriam irrogare, si humiliter agerent, omni vilitate & extremitate, quâ suos S. Bened. voluit esse contentos, proscriptâ, despectisq; statutis regularibus; Diuina postponebant, pompam sectabantur, mundoq; non Deo, vt suis placerent, militabant. Alij post desideria carnis ambulantes, in vanitatibus euanescebant suis; nonnulli rudes, sine scripturarum scientiâ cùm non haberent, vbi cor suum delectabiliter figerent, ad amorem sæculi conuersi, disciplinam Ordinis impiè negligebant. Hanc ruinam & cladem spiritualem, deuastantem Ordinem nostrum, cum præfati summi Pontifices benè expenderent, magnoq; compassionis afficerentur mærore, cogitârunt sæpiùs, de succursu pereunti Ordini dando; expensisq; seriò causis, tale excidium obseruantiæ regulari inferentibus, nulla commodior ratio iuuandi omnibus visa fuit, quã vt Monasteria in id ipsum vinculum Congregationis venirent, sicq; reformarentur, cùm sola sibi relicta suisq; domesticis pastoribus, in præcipitium abusuum ruerent, & interitum vniuersæ Religioni accelerarent.

Eadem consideratio in æcumenicis Concilijs habita crebrò fuit, vt in Aquisgranensi, Lateranensi, Viennensi, Constantiensi, Basiliensi, & in alijs Patrum Ecclesiæ Conuentibus, in quibus sensu vnanimi omnes decreuerant, nihil posse fieri ad Ordinis Monastici reparationem meliùs, quàm si vniantur Cænobia, sicq; reformationis votiuæ capiant incrementa. Sed potissimùm, Tridenti cæptum & perfectum Æcumenicum & generale Concilium ad maiorem Dei gloriam & incrementum fidei Catholicæ, ad extirpandas perniciosissimas hæreses, & pacem Ecclesiæ conciliandam, ad reformationem Cleri & populi Christiani, ad Religionis splendorem in personis Deo dicatis retinendum, indictum congregatumq;: cum plurima sanctè & vtiliter

vtiliter ordinasset definissetq; tum non ignorans, neque ambigens, quantum ex Monasterijs piè institutis & rectè administratis in Ecclesia Dei commodi succresceret & prouenirer; & quo facilius ac maturius vbi collapsa erat vetus & regularis disciplina instauraretur, & constantius vbi seruata erat, perseueraret in posterum, de Regularibus omnibus in genere sumptis, Sess. 25. per viginti duo Capitula prolixius tractauit, in quibus, quæ ad regularem perfectionem respectiuè & substantialiter seruirent assequendam, nec non ad debitum viuendi modum religiosis proprium conducerent, prudentissimè sunt ordinata. Post multas autem & varias de Capitulis Generalibus & Prouincialibus, de visitationibus & reformatione Monasteriorum, factas constitutiones, sessionis eiusdem Capite IIX. statuitur. *Monasteria omnia quæ generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt nec suos habent ordinarios Regulares Visitatores, sed sub immediatâ Sedis Apostolicæ protectione ac directione regi consueuerunt, teneantur infra annum á fine præsentis Concilij, & deinde quolibet triennio sese in Congregationes redigere, iuxta formam Constitutionis Innocentij III. in Concilio generali, quæ incipit. In singulis. ibiq; certas personas regulares deputare, quæ de modo & ordine, de prædictis Congregationibus erigendis ac statutis in eis exequendis, deliberent & statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano in cuius Prouinciâ prædicta Monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis conuocare. Quod si infra limites vnius Prouinciæ non sit sufficiens talium Monasteriorum numerus ad erigendam Congregationem, possint duarum vel trium Prouinciarum Monasteria, vnam facere Congregationem. Ipsis autem Congregationibus constitutis, illarum generalia Capitula, & ab illis electi Præsides vel Visitatores, eandem habeant auctoritatem in suæ Congregationis Monasteria ac Regulares in eis commorantes, quam alij Præsides ac Visitatores in cæteris habent Ordinibus: teneanturq; suæ Congregationis Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obseruare, quæ in Sacris Canonibus & in hoc Sacro Concilio sunt de-*

 *creta.*

*creta. Quod si etiam Metropolitano instante, prædicta exequi non curauerint, Episcopis in quorum Diœcesibus loca prædicta sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis subdantur.* quod statutum vti à Spiritu Sancto dictatum, sic Ordini nostro, per multiplices ærumnas vsque ad senium & senectam perducto, & ex vetustate intorpenti, proficuum & salutare censeri debet; quoniam ad depellenda ex Monastico hemisphærio deliquia, auertendasque eclipses, Congregationibus sic erectis & præceptis à Concilio, nihil melius, nihil commodius; nihil Vnione desideratâ felicius, poterat institui.

Agnouerunt profectò id, & re ipsâ experti sunt, aliarum Prouinciarum Benedictini, qui post finitum Tridenti Concilium, laudabiliter Diuini Spiritus ordinationibus morem gerentes, factis vltro Conuentibus & præmissis tractatibus, quo Vnitatem Spiritus in vinculo pacis, Diuo Paulo exhortante, solicitius custodirent, cum essent in vna spe vocationis suæ, sub vnius professionis Voto, sub vnâ eadem Regulâ B. Benedicti, vni Domino militantes, & vocationem suam certam facere cupientes, Constitutiones & leges quasdam in suis Monasterijs perpetuo seruandas, & vniformiter tenendas conscripserunt: quatenus illam vnitatem spiritus, interius, id est in cordibus conseruandam, foueret & repræsentaret Vniformitas exterius seruata in moribus. Quanquam enim certam à Sanctissimo Benedicto Patre Nostro conscriptam teneamus viuendi Regulam, non quidem *initium Conuersionis* duntaxat, quemadmodum illius humilis insinuare videtur Confessio, sed totius etiam perfectionis summam vt credimus, suis professoribus demonstrantem; constat tamen professores eosdem sub dictâ videlicet Regulâ militantes, pro diuersitate locorum seu Nouarum Institutionum, in suis ritibus & consuetudinibus, plurimum esse dissimiles, in his præcipuè, quæ explicitè non continentur in Regulâ memoratâ. Insuper etiam, contentorum in eadem Regulâ, quædam non eodem sensu vel intellectu ab omnibus, sed à diuersis diuersimodè

modè accipi & obſeruari notorium eſt. Quapropter diuerſitatem ſeu diſsimilitudinem huiuſcemodi, quæ nouerca pacis eſt, repudiare, & eiuſdem pacis amicam conformitatem, ſtrictius Monaſteria Benedictina in aliis Regnis & Prouincijs vnita, & in Congregationes diuerſis titulis nuncupatas redacta, amplecti cupiendo: ritus quoſdam & Conſtitutiones decreuerunt, quas ex diuerſis, diuerſorum Cænobiorum ſub Regulâ noſtrâ militantium, vſibus & inſtitutis collectas; non quidem veterum traditiones contemnendo, ſed ex ijs, quæ temporibus & locis potius conuenirent, veluti ex diuerſis floribus, apum more mel ad vnum aluearium comportantium, ea quæ viciniora Regulæ, ac religioſis & diſciplinatis inſtituendis moribus, nec non tam animabus quam corporibus curandis, locorum, temporum, & perſonarum qualitatibus, cæteriſque circum ſtantijs debitè penſatis, vtiliora eſſe videbantur, ſtudiosè colligentes in vnum congeſſerunt.

Singularis vero benedictio Omnipotentis DEI, in tantum adeſt pijs illorum Monachorum votis, eorumq; ſanctam æmulationem, chariſmatum meliorum eo ſucceſſu remunerat, vt qui erant in triſtitia & anguſtijs olim diſuniti, nunc redacti in Congregationes replentur ab vbere conſolationis Diuinæ, lætantur in profectu ſuo pariter & Conuentus faciunt, in quibus obliqua dirigunt & aſpera in vias planas dolant. De quibus illud Cantici decantari poteſt, *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum*, Benedictinæ ſcilicet Congregationes in alijs regnis nuper ordinatæ, bonorum operum exempla in Eccleſia militante gratiſſimè ſpargunt; dum confœderatæ & legibus counitæ in idipſum tendunt, dum vno deſiderio Chriſti ſe inuicem nutriunt, dum habentes cor vnum & animam vnam in charitate mutuâ Monaſteria ſua iuuant, & ſpeciem alicuius reipublicæ benè ordinatæ repræſentant, iuxta illud *Frater qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma;* dum ex multis, Præſide ceu capite, Viſitatoribus, ceu brachijs, alijſq; omnibus counitis, v-

num corpus Congregationis efficiunt, vnam vineam efformant, illam nimirum, de quâ scribitur, *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.* dum ea etiam propria existimant quæ omnibus sunt communia, sicut & propria, communia faciunt: dum in commune vigilant, mutuo se subleuant, iunctis dextris DEI agunt opus, vicissim cælestibus cumulantur fauoribus abundantissimè, quando in spiritualibus & temporalibus rebus notabiliter iam profecerunt, & per bonam famam, gloriosifacti, apud omnes insonuerunt. Amænior rerum facies apud eos nunc, quam olim fuit, etiam illi quondam, per diuersas calamitates, cum essent heterogenei, insigniter exercebantur, carpebantur, obliquo modo per nasum trahebantur, spoliabantur hæreditate suâ, fuere magnum peripsema; at talibus expoliti malis, sapere didicerunt, cum ad huiusmodi arcenda incommoda, quæ & spiritualem animæ profectū impediebant, & temporalem exterminabant substantiam, præsentissimum remedium, potentissimum adhibuerunt robur, Regimen commune creando, & Superiores eligendo vniuersaliores, qui ista grauamina ab omnibus submouerent, repellerent, auerruncarent. in quo experti sunt benignissimi Numinis gratiam singularem, vt iam & aream Monasticam vrticis, spinis, & paliuro, feliciter purgatam fecerint, & opimis Claustrorum bonis insidiantes harpias fortiter repressserint. Factumque est, quod aurei oris Chrisologus de Pace. Homil. 53. prædixerat. *Profunda pacis nexibus colligata fraternitas, & salutari vinculo charitatis mutuâ se dilectione constringens, & peccatorum multitudinem profligauit, & aduersarÿs robur fraternum opposuit; vt Propheta futuri præscius, rectè clamauerit Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Quia DEO non singularitas (Cænobiorum) est accepta, sed vnitas; nam & Spiritus Sanctus in vnum congregatis, vbertate totâ sui fontis, illabitur, de cuius plenitudine qui accipere satagunt, in vno spiritu mentis suæ maneant, vnius moris in domo DEI sint, vnitatem congrega-
tionis

tionis; congregationemq; sanctæ vnionis singuli cupiant, atq; vno & eodem zelo iuuandi Ordinem cuncti inardescant.

Sed cum iam, necessitatem, vtilitatemq; Congregationum huiusmodi, ex Decretis Pontificum, Canonibus Synodorum, praxi externorum, contemplati simus; vt eo auidius sacræ Vnionis forma desideretur, quo plures ex ea vtilitates prouenire Ordini, demonstrantur, reliqua adhuc emolumenta, persequar. Iulius II. Pontifex Maximus in Bullâ quæ incipit *Super Cathedram* A. C. 1503. decimo Kal. Septemb. data, in qua Cassinense Archi-Cænobium Congregationi S. Iustinæ vniuit, vnionis dignitatem his extollit verbis. *Monasteria per vnionem salubriter diriguntur, in eis disciplina regularis norma seruatur, cultus Diuinus augetur, charitas viget, humilitas perseuerat, & omnis benè viuendi modus constans inter Monachos in Christi seruitute concordia custoditur.* tum Sanctam & Regulæ conformem Congregationis præfatæ laudans consuetudinem, ita prosequitur. *Ad dilectos filios Monachos Congregationis Sanctæ Iustinæ sub regulari obseruantiâ viuentes, direximus oculos mentis nostræ, sperantes, quod sicut Congregatio ipsa per vniuersam Italiam per incrementa temporum suos palmites dilatauit, sic vbiq; virtutum radijs iugiter crescat, si Monasterium Cassinense eidem Congregationi perpetuo vniretur, annecteretur, incorporaretur, vigeretq; in eo regularis obseruantiâ supradicti Ordinis, Monasterium ipsum regulari obseruantiâ hactenus destitutum (cum tamen caput omnium Monasteriorum supradicti Ordinis existat, & in eo corpus Sanctissimi Benedicti multâ cum veneratione conseruetur) exinde votiuæ reformationis susciperet incrementum: & eorundem Monachorum exemplari vitâ, (nobis tunc in minoribus constitutis, eorum Protectore existentibus, notâ & acceptâ) in temporalibus & spiritualibus, speratæ prosperitatis successibus gratularetur, succederetq; in eo Diuini cultus augmentum, cum incolarum & habitatorum ac omnium animarum salute.* tandem modum & rationem ostendens quâ debeat Cassinum reformari, sic habet. *Illos vero Monasterij Cassinensis Monachos, qui sub dictâ obseruantia viuere nollent,*

*leat, inde amouere: ac ipsi, ad alia Monasteria dicti Ordinis, vbi beneuolos inuenerint receptores, sese transferendi licentiam habeant: qui tamen beneficia Ecclesiastica vel alia vnde viuere possint non habuerint, quoad vixerint, aut donec dictos beneuolos inuenerint receptores, Monachalem portionem ex fructibus dicti Monasterij accipiant, &c.* Hîc parenthesim facere cogor, & illud ex Benedictinâ ad Benedictinos omnes in genere, per Benedictum XII. PP. datâ Bullâ, hûc confero, quæ 34. Capitulo, illius Constitutionis habentur. *Statuimus quoq; & ordinamus* (loquitur Pont.) *quod si aliquod Monasterium ipsius Ordinis seu religionis, lapsum in religione vel obseruantiâ regulari patiatur, qui per Abbatem seu alium Administratorem vel Monachos eiusdem Monasterij verosimiliter reparari non possit; per Præsidentes Prouinciali Capitulo, vel quemlibet eorundem, ad requisitionem seu relationem Visitatorum, prout eidem Capitulo super hoc consulendo videbitur expedire, vel sine consultatione huiusmodi, si ex dilatione consulendi dictum Capitulum periculum immineret, Auctoritate Apostolicâ assumantur de alio Monasterio, in cultu eiusdem religionis vigente, Monachi idonei, & ad dictum Monasterium lapsum patiens transmittantur, inibi, quamdiu expediens fuerit moraturi, per quos lapsus huiusmodi reparetur. Illi autem Monachi ob quorum culpam alij transmittentur ad locum seu Monasterium sic collapsum, in dicto Monasterio de quo alij vt præfertur assumpti fuerint, vel in diuersis alijs Monasterijs religione vigentibus, vbi eorum conditio valeat reformari, per Præsidentes eosdem prout expedientius fuerit, eadem Auctoritate Apostolicâ collocentur.* Hunc modum Reformationis instituendæ in claustris Benedictinorum præscripserat Benedictus XII. A quo non multum dissidere videtur, Vrbanus VIII. in suis literis sub plumbo datis, Romæ, Anno 1627. ad Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri in Gallia, vbi inter alia egregie decreta, hoc quoq; sanciuit. *Vt omnis via Religiosos non reformatos perpetuandi in Monasterijs, in quibus reformati ipsi introducti fuerint, præcludatur, illi cum Abbatibus & perpetuis Commendatarijs ac officialibus*

claustra-

*claustralibus, Monachis, Capellanis seu beneficiatis regularibus non reformatis Monasteriorum dicti Ordinis, seu Prioratuum Conuentualium & non Conuentualium, ac Capellaniarum & beneficiorum regularium ab illis dependentium, super titulorum & functionum, Officiorum claustralium, ac tam illorum, quam temporalium redituum, mensarum conuentualium huiusmodi, nec non iurisdictionis eorundem, dimissione in fauorem dictorum reformatorum, sub concessione & reseruatione præstationis certæ annuæ summæ pecuniarum, & quantitatis vini, frumenti, & aliarum rerum ipsis, pro eorum portionibus Monachalibus, siue alijs debitis reditibus per dictos reformatos dandâ, cum qua dicti non reformati, de speciali nostrâ licentiâ, in particularibus ædibus separatim & seorsim à communitate dictorum reformatorum & extra loca regularia eis vt dictum relicta, intra tamen septa eorundem seu aliorum eiusdem Ordinis Monasteriorum, quousque diem suum claudant extremum, seu quousque bonis dictorum reformatorum vitæ ac morum exemplis inducti, reformationem Congregationis S. Mauri huiusmodi amplecti velint, & vice versâ ipsi Monachi non reformati desuper cum eisdem reformatis valeant conuenire, ita quod ex tunc dicti Officiales claustrales, Capellani & beneficiati regulares non reformati, reditus mensarum ac Officia & Capellanias & beneficia Monasteriorum seu Prioratuum & aliorum regularium locorum ab ipsis Monasterijs dependentium, huiusmodi reditus quidem mensarum & officiorum in fauorem mensarum conuentualium dictorum reformatorum, Capellaniarum vero, beneficiorum, & Prioratuum huiusmodi, in fauorem particularium dictæ Congregationis S. Mauri Monachorum cedere, & de non resignandis Officijs, Capellanijs, & beneficijs per eos obtentis; in aliorum quam reformatorum eorundem fauorem, promittere & ad id sese obligare; dicti vero reformati Officialibus claustralibus, capellanis & beneficiatis huiusmodi, partem aliquam etiamsi maiorem vel fortè totalitatem fructuum, redituum, & prouentuum, officiorum capellaniarum & beneficiorum regularium præfatorum, vitâ dictorum non reformatorum durante duntaxat, reseruare & assignare possint.* Hæc Vrban. VIII. in sua Bullâ, quâ Congregationem S. Mauri tunc

primum

primum natam, Apostolico munimine solidauit & confirmauit plurimaq; ad eius prosperum & felicem statum, personarumq; sub illâ Altissimo famulantium quietem, nec non Ordinis Benedictini propagationem, decorem, & venustatem, cultusq; Diuini in eo augmentum prouidè ac religiosê ordinauit. Quæ à me recensita sunt, per modum parenthesis, occasione scilicet Bullæ Iulij II. in quâ Congregationis S. Iustinæ encomia celebrauit, modumq; reformandi Cassinensis Archisterij præscripsit; vt scilicet Monachi qui nollent reformationi subdi, neq; obseruantiam Regulæ S. Benedicti recipere, de Claustris amoueantur, ne eorum prauis exemplis iuniores corrupti laxitatem affectent; cum veritate dictante, vna ouis morbida totum gregem inficere, & modicum fermenti totam massam cui inijcitur, possit corrumpere. Quam felix vero & benedicta à Domino sit, illa Italica nostrorum Congregatio, Iubet adhuc paucula ex Arnoldi Wion. 2. parte. ligni vitæ lib. 5. cap. 6. apponere. *Hæc*, *est* inquit, *Congregatio quæ considerata charitate DEI, voluntatem propriam in manus aliorum relinquit, pro vanitate & superbiâ mundi assumit paupertatem & abiectionem, pro intemperantiâ continentiam diligit & puritatem. Hæc est illa pax projecta, quæ de rogo Sancti Spiritus iterum accensa, pro frigiditate calorem, pro tenebris lucem assumpsit. Hæc Diuinum officium in Cænobijs diu neglectum ex integro restituit, & insipientes illuminat, mores sanctos instruit, pacem amat, concordiam diligit, conseruat charitatem: & breuiter vnumquemq; iuxta dispositionem & capacitatem sensus sui in viam salutis & æternæ felicitatis dirigit. Cuius famâ sanctitatis, multi Summi Pontifices alijq; quam plures tam Ecclesiastici quam Sæculares Principes & non infimæ dignitatis viri, allecti & permoti, diuersa Monasteria reformanda & ad puritatem sacræ regulæ reducenda, ac Monasticis disciplinis instruenda, eidem obtulerunt, & sub iugum obseruantiæ submiserunt.*

His conformiter Trithemius noster, Abbas insignis, libro 1. de Viris Illustribus Ord: S. Ben. cap: 12. Religionis Benedictinæ,

ctinæ, per Germaniam sub Bursfeldensi Congregatione reflorescentis laudes celebrans & magnas eius vtilitates deprædicans; de obseruantiâ illius prolixiorem sermonem his verbis prosequitur. Hanc Vnionem & obseruantiam pro viribus nostris amplectamur Patres, vt Sanctam, vt Veram, vt Regulæ S. P. Benedicti consonam; quam veraciter nemo diligit nisi bonus, nemo persequitur, nisi deceptus. in quâ ad puritatem Regulæ securè viuitur, quam Deus plantauit & rigat, quam diabolus cum suis satellitibus vt valet persequitur. Hæc est quæ diuinum officium in Cænobijs diu neglectum recuperat, obedientiam docet, abdicationem proprietatis suis cultoribus indicit, diligit & amplectitur castitatem: hæc est Schola humilitatis, doctrix sapientiæ, virtutis exemplum, norma disciplinæ. Hæc est, quæ Vitam Monasticam diuinitus illustratam commendat, mores sanctos instituit, amat pacem, concordiam diligit, conseruat charitatem. hæc est quæ carnem castigat, vitia fugat, ieiunium seruat, abstinentiam colit, pauperes pro posse largiter sustentat. O Sancta Monachorum Vnio, in quâ charitas imperat, humilis subiectio obtemperat, obedientia militat, castitas sancta triumphat, oratio vigilat, perseuerantia bonorum operum fructificat: felix qui tui cultor verus existit, qui primæ institutionis tuæ præcepta custodit, qui carnem macerat, qui vitia domat, virtutibus redolet, discretione nitet, ordinat charitatem. Hæc itaque sancta reformatio, post Concilium Constantiense mox sumpsit exordium, & in tantum largiente Deo creuit, vt sub eius vnione, multa iam Cænobia habeantur. Multi enim Principes, multi Ecclesiarum in diuersis locis Pontifices, hanc sinceram in Domino Vnionem contuentes, cum magno charitatis desiderio, Cænobia nostri Ordinis in suis terminis posita, reformationi submiserunt. Sunt autem plura Monasteria quæ ad vltimam paupertatem per Monachorum insolentiam detrusa, in temporalis defectûs remedium, reformationi concedunt ingressum. & quidem satis iustè; nam qui spiritualia bona negligit, temporalia bona meritò amit-

tit; & quem prospera in superbiam erigunt, dignum est, vt contrariorum ictu ad humilitatem reducatur. Ad oculum videmus, quæ dicimus, quamuis interdum parabola fallat. ecce Monachi regulari obseruantiæ rebelles & contrarij, in multâ sæpè angustiâ viuunt, & destruentes Cænobia in egestate continuâ conuersantur; sed cum, causa Martyrem faciat non pæna, quidquid istî patiuntur aduersi, virtutis decore priuabitur; non enim propter DEVM aduersa sustinent, sed propter voluntatis insolentissimæ libertatem. Sed transeant hæc nostris iam importuna sermonibus; tuas denuo si liceat laudes Sacra Vnio canam! Tu DEVM famulatu continuo colis, tu spiritualia præfers caducis, tu ad puritatem regulæ sacræ (quantum hoc tempore infirmitas debilium patitur) gressus tuorum dirigis: tu vanas mundi pompas deuota contemnis, iustitiam diligis, fraternitatis vnitatem custodis. & quia Domino DEO tuo in sinceritate conscientiæ famularis, idcirco benedixit te in miserationibus suis; vt quanto in obseruantiâ regulari ferues amplius, tanto in necessarijs corporis abundantius eius pietate cumularis. Sed caue ne tibi saturitas panis & otium, materiem præbeant delinquendi. Intuere pristinas reformationes, feruoris antiquorum exordia metire, & te quoq; periculis, si negligas, pertimescas obnoxiam. Te lucernis comparandam existimo, quibus si oleum desit, cito extinguuntur. Multæ olim vt diximus reformationes diuersis temporibus in Ordine viguerunt, de quibus hodie in vitâ Monachorum nullum inuenitur vestigium; feruor deuotionis ex tempore consumitur, nisi prouidentiæ fomentis quotidie renouetur. De tuâ perseuerantiâ quid dicam ô mater fructifera! peribisne cum tempore more cæterarum? quamdiu credam subsistes? non sum Propheta & nulla mihi de futuris euentibus relucet cognitio. Sed cum præteritorum notitiâ, plerumq; futura metiamur, liceat mihi paululum spei mei anchoram in altum eleuare. Annis iam fermè quinquaginta reformatio nostra viguit,

guit adeo fortis in pluribus, ficut ab initio feruebat in paucis; quanqnam infirmos femper nobifcum habeamas, quibus fortiorum induftria comprobetur: non enim omnia volumus omnes, nec eft dilectio fingulorum communis: fed paucorum infirmitas, multorum virtutes non poteft minuere. Duo funt quæ mihi fpem magnam de perfeuerantia noftræ vnionis polliceri videntur, Annale videlicet Capitulum & Vifitatio Monachorum, vnum eorum fi tollas, cito reformatio peribit. Quod fi opponens dicas, veteres quoq; cum vifitationibus celebraffe capitula, & nihilominus defeciffe? magnum nobis labyrinthum ne putes apertum; benè quidem incæperunt, ad tempus capitula celebrarunt, fed defuit perfeuerantia. de noftris autem, præterita rememorari poffumus, nequaquam futura prædicare. Si inquam tollatur annale capitulum, fi vifitationes Monafteriorum fuerint intermiffæ, reformatio Burfeldenfis vt cæteræ expirabit. Ad vos nunc Patres venerandi conuertor, vos qui nobis ex tempore Rectores Monachorum fucceditis, conteftor, feruate Ordinem in difciplina, mores veftros ad normam fanctæ reformationis corrigite, mundum fugite, feruate charitatem, annale capitulum & confuetæ vifitationis officium in robore fuo excolite: quia quod duo oculi in capite faciunt, hoc agunt hæc duo in reformatione: nam fi oculos de capite videntis eruas, hominem cæcum reddis atq; deformem; Capitulum & Vifitationes fi intermiferis, reformationem in nihilum redegifti. Igitur ô Patres! veterum inftituta feruate, & hæc duo quæ diximus nolite deponere, fi reformationem fanctiffimam cupitis inuiolabilem perdurare. Sed vereor, ne poft deceffum Reuerendiffimorum Patrum qui zelum habent difciplinæ, & reformationem magnificè dilatârunt, iuuentus noua fibi quærat confilia, ftatuta negligat reformationem contemnat. Scio enim quia exurgent multi, quales & nunc in Ordine furrexerunt, qui reformationem fanctam habebunt exofam, nomen originale deteftabun-

tur, confundent vnitatem. Hi sunt quos ex humilibus & abiectis, reformatio fecit excelsos, leuansq; de stercore, posuit in sublimi, ditauitq; pauperes, ex miseris fecit gloriosos. væ tibi qui tantorum beneficiorum immemor, Matrem Sanctam te glorificantem temeratè contemnis. Nos autem Patres, in adiutorio Altissimi confidentes, sedulis eum precibus exoremus, vt ad laudem nominis sui, hanc de quâ loquimur venerandam vineam Religionis nouiter instauratam, solitâ benignitate suâ conseruet, & ab omnibus tueatur aduersis. *Hæc Trithemius* generosus Abbas & Ordinis Benedictini decus, qui vnionis illius Bursfeldensis pars magna fuit, & aduersus obtrectatores eius propugnator, promotorq; apud bonos, qui fratres & Patres crebriùs ad Capitula congregatos, patheticis & ardentibus declamationibus ad solidum virtutis studium excitauit, & Abbatum licentiosam vitam, petulantesq; mores Monachorum, exhortando & fulminando ad saniora reduxit; quam ob rem â peruersis quibusdam & irreligiosis conuitia passus, multas calumnias & detractiones, vir eximius omniq; exceptione maior, erecto semper animo sustinuit: semper enim rectèfactis bonorum, prauitas æmulorum aduersari consueuit: reformationis vero, etiam ipsum nomen, non modo rigorem, dissoluti horrere consueuerunt: bonos mores odisse solet praua conditio, quæ suam innocentiam æstimat, si complures vitiosos habeat: petulans res est corruptio Religiosorum, qui si semel excusso fræno, vetitæ assuescant libertati, ad obsequia professionis debitæ, molestè reducuntur; vt faciliùs iudicatum sit, de nouò sanctum plantare collegium, quam corruptum vetus reparare. Sed iam si libet aduersantium Vnioni Sanctæ, argumenta pensemus, eisq; prouidè occurramus.

Nihil, inquiunt, Regulam B. Benedicti de Visitatoribus, vel Præside Prouinciæ meminisse & disposuisse, sed regimen Monasterij, Abbati soli absolutum commissum esse? huic respondendum censuerim, non esse verum quod opponitur, quoniam

niam Regulæ cap. 64. *de ordinando Abbate:* Sanctissimus Pater sanciuit, *quod si etiam omnis Congregatio vitijs suis, quod quidem absit, consentientem personam, pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi ad cuius Diœcesim pertinet ille locus, vel Abbatibus vicinis claruerint, prohibeant prauorum praualere consensum, & domui DEI dignum constituant dispensatorem &c.* en ex his Sancti Patris verbis, clarè colligitur, alijs Abbatibus ius permissum ab eo esse, in vicina claustra, præsertim si exorbitent à recto. Sed de Congregationis modo & Prælatis eius, nihil planè Regula definiuisset; ipsa tamen Necessitas Regiminis huiusmodi, ante septingentos in Ordine nostro, vsu ipso approbata, annos, institutaeq; complures Cluniacensis, Fuldensis, Floriacensis & aliæ in Ordine Bened. Congregationes & reformationes, demonstrant & docent euidentissimè, nihil posse fingi vtilius, & ad Ordinis reparationem decerni efficacius, quam vt Cænobia per suas Prouincias vniantur, superioresq; Prouinciæ tales deligantur, qui Claustrales Prælatos Fratresq; eorundem, vtrosq; legibus DEI & Regulæ sancitis, per visitationis examen rebelles inuentos, seuerius coërceant, studeantq; vt domus DEI sapienter à Sapientibus & probatis Viris administrentur. Vt huic Diuinæ institutioni, eos solos infensos infestosq; esse compererimus, quos vitijs immersos, regulæ publicos præuaricatores & contemptores, Ordinis maculas, esse scimus; neq; tamen de eluendis prioris vitæ sordibus solicitos, neq; de acquirendis necessarijs Monacho virtutibus intentos esse & sedulos, sed in veteri sterquilinio velle semper tales stertere, cum dolore videmus.

Classicum rursus contra nos canet, instabitq; amarus impugnator, qui Benedictinorum per Poloniam Cænobia, in vnam hanc prætensam conuenire posse Congregationem, omnino rem esse impossibilem vociferabitur; vel ex eâ causâ maximè quod pleraq; Commendata sint Cænobia, illorumq; Administratoribus à Sede Apostolicâ in spiritualibus & temporalibus sit

commiſſa poteſtas, quam illi concedere alicui nequaquam dignarentur! ſed & hoc robur ſuo cuneo findi poteſt. Multò plura Ordinis noſtri per Galliam, Lotaringiam, Burgundiam Monaſteria, ſcimus eſſe Clericis Sæcularibus & Epiſcopis commendata, quorum aliqua nuperis temporibus in Congregationem SS. Vitoni & Hidulphi, cætera in Congregationem S. Mauri feliciter coiuêre. Commendatarij enim cum aulas paſſim ſequantur Regum, in eorumq; negotijs & obſequio detineantur, libenter vacant à curâ Monachorum, reipublicæ ſtudijs impliciti, nec vnquam quærunt Monachos quos regant, ſed prouentus quos tollant: qui, importunis fratrum obſtrepentium querelis dare aures ſi quandoq; coguntur, grauatè id ſemper expedire ſolent, argumento euidenti, non eis placere regimen interius, ſed bonum extrinſecum pinguius. gratiſſimè proin animarum regimen per alios exerceri cuperent, ipſi interim conſuetâ menſæ Abbatialis prouentuum obuentione contenti: præſertim, cum reapſe iam plures ſint experti, acerbam eſſe religioſorum gubernationem, quibus regundis vix annoſum quempiam, benè doctum ac patientem poſſe ſufficere Monachum intelligunt, ſuas vero conſcientias non leuiter grauari perſentiunt in eo, quod fratres commendatos ſibi, exorbitare crebrius audiunt & vident, non tamen eis medicinam & correctionem opportunam adhibere norunt, vſu rerum Monaſticarum deſtituti. Sed vt DD. Commendatarjs hic ſcrupulus penitus euellatur, nullaq; ſuſpicionis nota ſiniſtræ, hoc in ſtudio noſtro appareat, neue quis ſolummodo ad auertendam iuriſdictionem eorum id nos ambire putet, vel cum aliquo loci ordinariorum præiudicio; ſed purè pro Dei gloriâ, pro ſalute animarum noſtrarum, ad conſeruandum pereuntem Ordinem, ad reſtaurandam collapſam diſciplinam, ad tuendum nomen Benedictinum, ſanctæ huiuſmodi reformationis ſtudioſos nos eſſe qui Societatem Cænobiorum inſtitui, & regimen in ea ordinari, cupiamus. Talis ineatur ratio, in erigendâ iſta Polono Benedictinâ Congrega-

gregatione, qualem Gregorius XV. in Congregatione S. Mauri seruandam decreuit, quam Anno Christi 1621. instante Ludouico Francorum Rege, & compluribus Monachis nostris perfectioris vitæ zelo ductis, per Bullam specialem instituit & approbauit, in quâ sic loquitur. *Congregationem per vnum Vicarium generalem regendam instituimus; ita tamen, vt ex huiusmodi erectione, nullum prorsus præiudicium censeatur illatum mensis Abbatialibus, sed Abbatiæ ipsæ in omnibus primæuam naturam & titulum collatiuum dignitatis Abbatialis ipsorum Monasteriorum retineant, perinde ac si erectio huiusmodi facta non esset. quodq; deinceps occurrente, quorumcunq; Monasteriorum, tam eorum, quorum Conuentus dictam reformationem iam amplexi sunt, quam eorum qui se deinceps illi submittent, vacatione, illorum collationes seu prouisiones aut commendæ, ad sedem Apostolicam, ad nominationem pro tempore existentis eorundem Francorum Regis, prout prius, perinde ac si illorum Conuentibus reformatio introducta, seu Congregatio ipsa erecta non fuisset, pertineant. ipsaq; Congregatio, vt infra erigenda, in Conuentibus & mensis Conuentualibus ac locis & portionibus Monachalibus, nec non officijs claustralibus ipsorum & pro tempore aggregandorum Monasteriorum duntaxat locum habeat, vt saluis & illæsis remanentibus titulis Prioratuum, & quorumcunq; aliorum beneficiorum collatiuorum à prædictis Monasterijs & eorum quorumlibet dependentia, ita vt illa deinceps prout antea conferri seu commendari debeant, absq; vlla prorsus differentia, Apostolicâ auctoritate, prædicto tenore præsentium, perpetuo erigimus & instituimus. Cæterum quia dignitates Abbatiales Monasteriorum, quorum Conuentus sunt & erunt reformati, sub Congregatione per præsentes erectâ, non comprehendentur, sed ab illâ exempta, & extra illam remanebunt; quodq; ipsorum Monasteriorum Abbates titulares seu Commendatarij cum Conuentibus & Monachis reformatis nihil commune, nihilq; agendum habeant, sed illi, à Prioribus claustralibus iuxta reformationis seu Congregationis Cassinensis aut Sanctorum Vitoni & Hidulphi huiusmodi ritus, statuta, & consuetudines, eligendis regantur & gubernentur, etiam perpetuo statuimus & ordinamus.* Quid potest esse clarius, hac recenti Con-

ti Constitutione, per quam Pontifex & Ordini in spirituali profectu collapso subuenit, & Regias prouisiones integras conseruauit: eodem modo in Regno nostro fieri, non modo possibile, sed par & iustum est, vt & beneficiarij aulici indultis fruantur commendis, & Ordo ad pristini regularis sui instituti normam reducatur. quod multi religiosæ vitæ studiosi desiderant optantq; vt quam Sanctissimus Pater Benedictus, auctor Ordinis, Regulam instituit, eius obseruantiam, ipsi commodius possint amplecti, & Deo quietè feruideq; seruire, quod sine Congregationis adminiculo, se consequi posse non sperant. Proinde dolendum est, non paucos inueniri, qui cum sibi, Sacroq; Ordini vouere hanc felicitatem gratulariq; deberent, clamare tamen & alios accendere præsumunt, antiquæ Monasticæ disciplinæ instaurationem & societatem Monasteriorum receptis illorum consuetudinibus, paci publicæ, cænobiorum tranquillitati, Commendatariorum iurisdictioni repugnare. Vt sic aduersus pietatis zelatores exacerbatis plurimis, omnes boni conatus & cogitationes, immò & Diuinæ inspirationes penitus supprimantur. Verum non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israel, qui potens est omnem gratiam abundare facere in nobis, qui facit noctem splendescere, qui post tenebras producit lucem, qui suscitat de puluere egenum & de stercore eleuat pauperem, is ipse splendorem Ordini nostro in hoc Regno conciliabit, in quo suppressus esse putabatur. Frustra itaque ex his causis prætenditur impossibilitas, vbi in ipsis Religiosis correctionem suorum morum fugientibus, difficultas sola inuenitur. Obiectiones tales obtentui habentur, sed reuera vitæ emendatio contemnitur, licentia inolita omni studio mentis amatur. Misereri Ordinis ô si vellent huiusmodi, suiq; exitus rationes perpenderent, fortè sanctum reformationis & Congregationis consilium non abnuerent; cum Ordinis nostri in hoc Regno iacentis non alia causa verior sit, quam quod Monasteria valido Congregationis nexu non sint adstricta, & colligata.

Iam

Iam autem in eodem Regno, aliorum Ordinum amplissimas florentissimasq; videmus cohortes? ecquid causæ putandum est, quod adeo feliciter currant, quod doctis, clarisq; abundent viris, quod passim honorentur ab omnibus, præcipuè cum Mendicantes & pauperes sint, & Gaudentibus (qui annuis fruuntur reditibus) plura de facto possint, gratiâq; apud Deum & homines præponderent? non alia causa est; nisi quia prudentissimo regimini subordinantur, nisi quia suos Generales, Prouinciales, Visitatores, sua Capitula habent: nihil enim coniunctius aut conuenientius ad detegendas diabolicæ fraudis versutias, quibus religiosum genus hominum claustralium continuo exagitatur, nihil efficacius ad corrigendos Monachales si qui emergant errores, ad vitia eradicanda, ad inserendas virtutes cogitari vel decerni potest, quam vt visitationes frequenter & grauiter fiant, per quas & corruptelæ morum religiosorum proscribantur, & fæcunda conuersionis factæq; professionis germina reflorescant. Nihil deniq; ad statum Monasteriorum benè ordinandum sapientius, nihil ad eum sic constitutum & ordinatum in suo vigore conseruandum fortius fingi potest, quam vt ipsa sese Monasteria dictante Tridentino in Congregationes redigant, atq; ita coniunctis viribus, bono communi Religionis prouideant prospiciantq;. Quodq; in his Mendicantium Ordinibus maximè mirandum & sapienter imitandum videtur, est, id, quod ij non satis firmum esse ducentes, si Instituti vnius siue Ordinis cuiusq; distinctæ Prouinciæ per Regna constituerentur definirenturq; quæ Monasteria sui Ordinis brachijs fraternæ charitatis, & mutuæ subuentionis nexu complecterentur; nisi diuersorum etiam Ordinum vna congregatio & societas, vnus quasi institueretur ordo, quo ordines diuersi ad idem ordinarentur & vnum in Christo, sublatis differentijs constituerentur. In Concilio itaque Basileensi, Generales quatuor Ordinum Mendicantium, videlicet, Prædicatorum, Conuentualium S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, & Carmeli-

tarum antiquæ obſeruantiæ, præmiſſo tractatu de ſubueniendo ſuis ordinibus conſtitutiſq; & conſcriptis nonnullis Articulis, Confraternitatẽ & Societatem mutuam, perpetuis temporibus, vbiq; terrarum, ipſos inter Ordines, ſeruandam erexerunt, quam Societatem ante annos triginta, per Poloniam Priores Prouinciales Ordinum præfatorum Cracouiæ congregati, renouandam & reſtaurandam è re ſuâ fore cenſentes, Conſtitutiones & Articulos peculiares ſub titulo *Philadelphia Religioſorum* conſcribi imprimiuè fecerunt, quorum etiam confirmationẽ quo robur maius & perennitatem haberent, à Sede Apoſtolicâ facilè obtinuerunt. Non alio verò fine hanc vnionem coegiſſe eos perſpicimus, niſi vt Religiones prædictæ, ad omnes ingruentes difficultates ſubmouendas & auertendas, paratiores fortioreſuè fierent, [cum moles magni corporis difficiliùs moueatur;] & ne per odioſos aliquos concurſus mutuò exhauſtæ, penuriâ ſacri humoris areſcerent, aut ſuis inuicem fluctibus obruerentur. Inſinuare id ipſum videtur, Philadelphiæ Articulus 29. qui ita ſonat. *Pro maiori autem defenſione mutuâ, ſciendũ eſt quod ſi aliquem ex Ordinibus contingat contra libertatem & Priuilegia Apoſtolica, ab aliquo Ordinario ſiue eius Vicario grauari, vel in forum ſuum aut ius contentioſum euocari, ſtatim tenebitur ſignificare Præſidenti Philadelphiæ totum id, qui Patres à Conſilio Congregationis huius conuocabit, ſeſſionem inſtituet, vt vnitis conſilijs imminenti malo occurratur, & libertas Ordinum, Priuilegiaq; in ſuâ integritate conſeruentur. In hoc vero facto iſte ſeruetur ordo, vt ſi alicui ex noſtris Ordinibus æqualis coram quouis Ordinario ſiue Extraordinario iudice, etiam Nuntio Apoſtolico intentata fuerit, duo ex quolibet Conuentu Ordinum grauiores Patres mittantur, qui coram prædictis iudicibus ſe præſentent, & vnanimi conſenſu ex charitate & vinculo Societatis cauſam defendant & promoueant.* Articulo vero 18. ſic habetur. *Quod ſi aliquam Synodum Prouincialem celebrari contigerit, pro mutuâ defenſione tenebitur Præſidens loci, præſens, nomine omnium Ordinum Mendicantium adeſſe, vt ſi quid contra immunitates noſtras occurrat,*

*occurrat, se opponat & denuntiet Prouincialibus, qui mutuo consilio facto, eiusmodi inimicorum linguis curabunt obuiare. In Romanâ quoq; curiâ solidam pacem tanquam indiuiduam rerum ac periculorum omnium seruari conuenit Societatem vt quoties necessitas & æqualis periculi metus impendat, Procuratores Ordinum qui in ipsa curia fuerint, cuiusq; alterius Ordinis negotia non aliter quam sui curent atq; sustineant, collatis insuper æquali sorte sumptibus, vbi & causæ magnitudo & communis rei discrimen ita exigere videatur.* hæc ibi. Neq; vero in periculis tantum & litibus, mutuam fieri debere operam decreuerunt, in disputationibus etiam publicis assistentiã, in Concionibus Sacris studium, in Processionibus & in sepulturis Fratrum frequentiam, preces vicarias, labores, & opera pietatis sanctè & religiosè præscripserunt Insuper vt & temporalibus non destituantur auxilijs & spiritualibus semper proficiant incrementis, multa alia statuta, Ordines prædicti ibidem ordinârunt, quibus, modò, prosperè regulantur & conseruantur, eo successu rerum, vt pacis abundantiâ domus illorum repleantur, & cultus diuinus per incrementa virtutum quotidie augmentetur. Iam verò nostra per Poloniam cænobia tametsi antiquitate præcipua, Regum fundatione nobilissima & opulentissima si intueri velimus, videbimus acephala, coronis & capitibus suis truncata, templa stillicidijs peruia, Sacrorum neglectum, monasteriorum detecta tecta, tristem ruinam, squalidum vbique situm, insuper alienata & perdita bona, distractos census, Cænobiales nec verè paupertati addictos, nec omninò copiosos abundantesq; cum pleriq; in penuriâ agant & quotidianis calamitatibus exerceantur: & quod magis dolendum est, in multis deuotio tepuit, literarum studium perijt, curiositas subintrauit, quæ à Monachis depulit sinceritatem; etiam rudes, inexperti, nullo seuerioris disciplinæ magisterio, *sicut aurum fornacis* (quemadmodum à Sancto Patre Cap. 1. notantur) *probati, sed in plumbi naturam molliti, adhuc operibus seruantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur; quibus pro Re-*

*gula est desideriorum voluptas cum quidquid putauerint vel elegerint hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere.* aliqui ad amorem sæculi conuersi cum non habeant, vbi cor suum delectabiliter figant; post desideria carnis ambulantes in vanitatibus suis canescunt & euanescunt

*Qui præter annos, & capitis niues*
*Monstrare non possunt peracta*
*Vlla suæ monumenta vitæ.*

CAusæ autem originales tanti defectus plures sunt, quarum tamen principem esse puto, quod Monasteria non fuerint vnita, nec suos habuerint Visitatores, neq; Capitula communia celebrauerint; idcirco inexplicabiles hos labyrinthos incurrerunt, ingensq; disordinatio rerum est subsecuta.

Quocirca exorandum supremum Numen est, vt magnis quibusdam & zelosis Viris hanc mentem inserat, insertamq; confirmet, quatenus hoc saluberrimum consilium, authoritate suâ, & conatu, studeant promouere. agendumq; est nunc maximè, dum Regnum hostilibus & ciuicis armis diffidet, dum cuncta replentur tumultibus, & effrenata prauorum licentia improbè dominatur, vt propitium reddamus Deum, eiusq; flagella iracundiæ quæ pro peccatis nostris patimur, nobis proficiant ad medelã: hæc verò salutis præsidia quæ nobis Diuina bonitas suggerit, quæq; ab Ecclesiæ Pastorib⁹ ordinata, & quæ cæteri omnes aliorum Regnorum Monachi laudabiliter inuenta statuerunt, & statuta integrè seruarunt adhucq; constantissimè id ipsum Congregationum cæleste Vinculum prosequuntur, idem nos amplectamur. Studeamus itaq; sanctam & salutarem vnionem istam, non abhorrere, sed eius erectionem & institutionem promouere, velimus visitationes secundum ritus aliarum Congregationum & Sacri Tridentini decretum frequentare, bonas consuetudines renouare & ordinare, Capitula Prouinciæ celebrare, dispersa colligere, diffidentia componere, deformata reformare,

mare, praua exterminare, effrenes ad officium reducere, Deo ad hæc prosperante, & Diuo Benedicto pro vineâ suâ interpellante. Quod vt nulli arduum videatur, sed ab exemplo res melius fiant, Constitutiones diuersarum Ordinis nostri Congregationum exactè trutinemus, & quas Prouinciæ Polonæ genio & formæ, aeri item & personis, locis quoq; ac tempori, magis congruas deprehenderimus, eas vnanimiter omnibus seruandas tenendasq; statuamus; vt omnis in vitâ vel ceremonijs tam ad diuinum cultum quam ad disciplinam regularem pertinentibus difformitas, quæ plerumq; diffidium parit animorum euitetur, & penitissimis infixa medullis concordia stabiliatur, sine quâ nulla bona societas potest consistere. Ordinatis vero accommodis pro vsu Prouinciæ legibus, eligantur viri graues, docti, neq; in præfecturis positi sed priuati in Visitatores, qui (vti *Diuus Bernardus* Doctor mellifluus eorum formam *Libro 4. de Consider. Cap. 4.* expressit) quæstum non æstiment nec donum, sed tantum animam requirant: qui Regibus Ioannem Baptistam exhibeant, Ægyptijs Moysen, fornicatoribus Phineen, Eliam idololatris, Heliseum auaris & proprietarijs, Giezianos corripiendo: Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiatoribus Christum. qui confratres non spernant superdominandi ambitiosâ libidine, sed humilitatem rebus non verbis doceant, diuites non palpent sed terreant, pauperes non grauent sed foueant, qui non cum turba intrent Monasterium nec cum rixâ & irâ exeant, qui Ecclesias non spolient sed procurent, qui marsupia non impleant sed corda fidelium reficiant, peccata non publicent sed emendent, famæ bonæ prouideant suæ nec inuideant alienæ; quorum ingressus pacificus non molestus exitus sit; quorum sermo ædificatio; qui se auctoritate amabiles præbeant actu non fastu, opere non verbis, reuerendos se exhibeant. qui humiles cum humilib⁹, cum innocentib⁹ innocentes, duros dure redarguant, malignantes coerceant, reddant retributionē superbis, virtutem remune-

remunerent. Qui non, de dote Monafteriorũ & patrimonio pro nobis omnibus Crucifixi, fe vel fuos tantũ ditare feftinent; gratis feruientes qui gratis honoris & fuperioris officium acceperunt: qui multis impares paucis pares, plerifq; inferiores ob humilitatem animi effe velint: amoris ac propriæ excellentiæ & cupiditatis in femetipfis ofores, qui pacem bonæ voluntatis mentibus, legem fuperbis, quietem Monafterijs, ordinem clauftris, & difciplinam ex æquo omnibus foueant atq; tueantur: quorum præfentia, iuftitia & gratia; quorum memoria in benedictionibus perduret. Qui fi aliquid in moribus morborum, fi quid vulnerũ in læfione Monafticæ difciplinæ, inflictum aut infectum inuenerint, ad veram fanitatem reparent, inftaurent. parcendo puniant & corrigendo plectant, abolita laudabilia reuocent, deprauata aboleant, abufus tollant, vtilia doceant, dubia examinent, querelas audiant, fcrutentur, componant, iuftè definiant, his remedia procurent prouideant; vt per hæc & confcientiarum ferenitas, Apoftolicaq; Spiritu Sancto inflammata Charitas foueatur, gaudium & tranquillitas in domo DEI, in cordibus augeatur iugiterq; permaneat. His verbis characterem Correctorum mellifluus Doctor expreffit, qui religiiofforum debitæ reformationi incumbere & prodeffe valeant: quorum etfi fortè exiguus numerus haberi poffit, in quos elogia ifta prædicabilia ex toto rectè conueniant, plures tamen eiufmodi inueniri, quantum infirmitas finit, poffent, qui id muneris fi eis committatur, debitè exerceant. Peractâ verò Vifitatione ex more antiquorum Patrum, & recentium vfu laudabili, Capitulum generale fingulis annis, vel fecundo quoq; celebretur: vbi delinquentium corrigantur exceffus, tracteturq; de falute animarum, & conferuatione Ordinis, & indemnitate Monafteriorum & ftatuatur quod fuerit regulariter ftatuendum. Ita demum erimus veri Benedictini nominis hæredes, fi moribus non degeneres, ardenti rerum immortalium defiderio inflammati, paribus difciplinæ legibus, virtutumq; exercitijs infiften-

insistendo & cælestem Diuinæ promissionis mercedem præstolando. Quod nobis ille religionis perfectæ auctor, à quo bona cuncta descendunt, cuius Spiritu animi coalescunt, qui facit inter se differentia vnum, qui Ecclesiæ membra coadunat & seruat, qui mentes hominum solus flectere potest, largiri dignetur, largamq; suæ benedictionis affluentiam his Polono-Benedictinis Monasterijs impertiatur, ac in Monachico Ordine Spiritum cui Pater Noster BENEDICTVS seruiuit excitet, vt eodem, cuncti Monasticæ professioni accensi, studeant amare quod amauit, & opere exercere quod docuit. Per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM & eius *Benedictam* Sanctissimam Matrem, ac Sanctum *Benedictum* nostrum Patrem,

AMEN.

AQVI-

# A Q V I L Æ
## POLONO-BENEDICTINÆ,
## APPENSVM SYNTAGMA.

*Diuersas Congregationes in Ordine & sub Regulâ, S. P. BENEDICTI enumerans.*

## PROTHEOREMA SYNTAGMATIS.

È Lunæ Montibus, Africæ impoſitis, quibus hoc nomen inditum quod vertice Lunam tangere videantur, *Nilum* ſic effundi aiunt; è ſummis rupibus præcipitati fontes infiniti, conuerſis itineribus conueniunt, lacus longè profundiſſimos emoliuntur, vnde Rex fluuiorum *Nilus* immensâ vi aquarum euoluitur, quas per ingens Africæ ſpatium nobili errore & ſinu inæquali tumidus trahit, tandemq; in longiſſima brachia ſparſus, ore ſepteno in Mare Mediterraneum ingenti murmure ſemet exonerat. ſicut Poeta cecinit *Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.* Igitur fluuius hic è Lunæ iugis prorumpens, ſubiectos in campos ruit, Africam & Æthiopiam vago alueo diluit, lætas facit Ægypti ſegetes; tum vero in ſeptem liquidiſſima brachia ſeſe explicans, mare occupat: vnumquodq; vero illorum à Nilo nomen ducens, Nili brachium appellatur.

Originem Benedictini Ordinis, cum Nili incrementis conſimilem putauerim, qui à *Benedicto omnium iuſtorum Spiritu pleno* feliciter inſtitutus, amplitudine ſuâ vaſtiſſimum adimpleuit orbem. Nam poſteaquam fluuius iſte limpidiſſimus (almificus Dux & Pater Benedictus) cataracta Diuinorum influxuum, per Regularem ſuam inſtitutionem, aſcetis reſerauit, continuò diuerſi olim Prioratus, Abbatiæ, ac Monaſteria per orbem ſparſa, ceu

ſa, ceu fontes ad Magnum fluuium, vnum in Ordinem confluxerunt, priuatiſq; legibus valere iuſſis, in S. Benedicti Regulam conceſsêre. Et quemadmodum deſcenſus Nili varia in brachia diſtinctus eſt, quibus nomina diuerſa etiam impoſita veluti Canopico, Scuenitico, Peluſiaco, diuerſiſq; oſtijs fugiens inclytus amnis in mare euadit; nihilominus nemo mortalium, niſi albæ mentis fuerit, hæc brachia multos Nilos dixerit, ſed eundem Nilum in alios atq; alios alueos diffuſum. Ita diuerſæ in Ordine D. P. N. Benedicti Congregationes poſtmodum inſtitutæ etſi colore, ritibus, cæremonijs, nominibuſq; differant (neq; enim Camaldulenſes miſcebis Ciſtercienſibus, neq; Ciſtercienſes appellabis Cæleſtinos vel Oliuetanos) hi tamen omnes, Monachi Benedictini ſunt; quod in Regulam S. Benedicti iurare ſoleant, tum quod ad liquidiſſimum hunc fluuium ingenti mole vndas agentem, tantoq; ſæculorum tractu Eccleſiam irrigantem, ſuam originem referant.

Quanquam enim ſingula Monaſteria à ſe ſolis primum pependiſſe non ignoremus, cum S. P. Benedictus non politicam ſed æconomicam regulam condiderit, ſeu non multa Monaſteria inter ſe quodam fœdere connexa, ſed ſingularia ac libera inſtituerit; nihilominus ſucceſſu temporis, in Ordine Benedictino Monaſteriorum Congregationes enatas habemus, ex his præſertim cauſis: quod cum tot tantoq; terrarum ſpatio diffuſa eſſent Ordinis Monaſteria, quæ non pariter officio fungebantur, nec ijdem omnibus fuêre mores ac ritus; quædam enim à linea ſibi ductâ nec minimum quidem diuertebant, ſed vitam ad ſummi rigoris normam exigebant, cuiuſmodi Monaſteria nunquam defuere Ordini noſtro; alia nonnihil ſibi indulgebant, chordaq; remiſsâ nonnullas Regulæ leges liberiori pede præteribant: hoc cum Sancti quidam ac illuſtres Ordinis viri aduertiſſent, ac rem eo paulatim prolabi viderent, vt Monaſterijs ſic diſiunctis ac communi vinculo ſolutis, nec Monachi eundem inducerent habitum nec eandem haberent rationem

in peragundis sacris, nec amplius inter se noscerent, à tenuibus præsertim Cænobijs quæ paucorum hominum esse solent, vt plurimum abesse disciplinæ neruum; consilium pro se quisq; ceperunt, quo pacto aliquot membra malè distracta vnum in corpus iungerent, corpori caput vnum imponerent, quod cæteris membris ius diceret, nec amplius priuatis legibus relinqueretur locus, sed moribus ac institutis ijsdem viuerent vniuersi, seq; ad leges componerent communes in Capitulis generalibus ferendas. Profundiora itaq; vestigia egregio facinori pressit, (vt priores Congregationes non tanti faciam, quæ in paucis Monasterijs consistebant, & vel à Prouincijs & regionibus in quibus extabant, vel ab aliquo celebriori Monasterio aut à sui Institutoris nomine dicebantur) & Reformationem magis vniuersalem ad Monasteria plusquam bis millena introduxit, Monasterium Cluniacense in Gallia, vnde Cluniacensis Congregatio notior prioribus, suâq; amplitudine illustrissima duxit initium; quam deinde secutæ sunt Camaldulensis, Vallisumbrosæ, Cisterciensis, Siluestrina, Oliuetana &c. prono adeò cælo, vt tempore non longo, primus Ordini Benedictino splendor ac honos fuerit restitutus: quarum Congregationum & familiarum Beati auctores in id præcipuè incubuerunt, vt Regula S. Benedicti ad literam quod aiunt obseruaretur, dispensationes exularent, priuatæ consuetudines abolerentur, collapsus vetustate rigor instauraretur; nihil interim referre ducentes, nigrone vel albo, cinereo aut rufescente, ceruleo vel berethino colore habitus Monasticus tinctus sit: cum etiam ipse gloriosus Patriarcha Benedictus non tantum momenti posuerit in habitu, quin Monachis suis faceret copiam quouis colore vtendi constitueritq; Regulæ cap. 55. *Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem vbi habitant vel aerum temperiem dentur; quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus; hæc ergo consideratio penes Abbatem sit &c.* & inferius: *de quarum rerum omnium Colore aut grossitudine non causentur Monachi sed*

*chi sed quales inueniri possunt in Prouincia in qua habitant aut quod vilius comparari potest.* Hinc Romualdus, Gualbertus, Stephanus Cælestinus & alij Diuinissimi Ordinis Monastici Reformatores diuersos assumpserunt colores, authoritate eâ quâ donati sunt per sanctum Benedictum, non animo nouos instituendi Ordines, sed veterem languescentem erigendi & Monasteria à tramite nonnihil deflectentia antiquum sub iugum mittendi.

Sicut etiam in Seraphico Ordine factum videmus. quā enimuero Regula S. Francisci ceremonijs, asperitatibus, nomenclaturâ varietur, neminem præterit: sub quâ militant Conuentuales, Obseruantes, Cæsareni, Clareni ( vti refert Pater Franciscus Gonzaga Obseruantium Generalis in Chronico S. Francisci) Collectani, Amadei, Capucini, Recollecti, Caperolani, Reformati, Discalceati, Fratres de Euangelio, insuper Moniales S. Claræ, Collectæ, Recollectæ, Tertiariæ, de Conceptione, Discalceatæ ac aliæ innumeræ, quas familias nemini hucusq; in mentem venit appellare diuersas, sed quod in vna familia seu Ordine hi magis quam illi ad rigorem sese componant; quamuis enim in multas Congregationes sit Ordo sparsus, quarum aliquæ diuersos habent Generales, omnibus tamen imponitur idem Originis nomen *Ordinis S. Francisci.* Neq; talium cohortium discrimina & diuersæ appellationes, nouam viuendi normam condunt, sed potius antiqua repetunt vestigia maioribus trita, ideo in vnum vnius Ordinis sinum recipiuntur. Nam si viri innocentiâ præstantes huius Familiæ, toties diuersos instituissent Ordines & ex suo alueo fluuium omnino demouissent, quoties eundem ad amussim primam reuocarunt, vel quædam magis accisa esse voluerunt, veluti paupertatem ac nonnulla alia; tot profecto Ordines diuersos ex hoc solo deduxissent, vt propemodum reliquos in Ecclesia Dei numero æquassent.

Idem de Canonicis Regularibus & Eremitis Augustinianis, quorum diuersæ Congregationes numerantur, iudicandum est.

Quanquam Regula S. Augustini cum sit nimium vniuersalis & ad particularia parum descendens, diuersos complectitur Ordines vti Dominicanos, S. Hieronymi, SS. Trinitatis, &c. qui in diuersas feruntur metas, scopumq; petunt non eundem: *Dominicani* videlicet Conciones à suis haberi, & per Orbem Euangelium circumferri procurant: *Hieronymiani* solitariè viuendi, & terrenis rebus nudi, in cultum Numinis summâ pietate incumbendi, rationes ineunt: *Trinitariorum* vero opus peculiare est, è seruitute Maurorum, Christianos etiam cum sui periculo capitis, in libertatem asserere; hi Ordines proposito fine differunt, exinde Morali specie distinguuntur.

Iam vero Gloriosi diuersarum Congregationum in Ordine S. Benedicti Auctores, cum eas instituerent id vnicè agebant, vt ne à legibus à S. Bened. latis, vel latum vnguem discederent, secundum quas viuere spopondissent: proinde actionum suarum metam eandem præfigebant, ac in vnum remum omnes incumbebant. qua de re locuples est testimonium S. Antonini Tit. 15. cap. 14. p. 2. vbi sic de Ordine S. Bened. & eius propaginibus ait. *Quemadmodum arbor vna est in radice & trunco, multiplex autem in ramis & fructibus, qui tamen humorem & vigorem habent à radice & trunco: ita status Monachalis in Occidente vnus est ab vno Patre deriuans, à radice Regulæ Benedicti habens vigorem.* Quocirca cuncti, qui edito Sacramento in Regulam S. Benedicti iurare consueuerunt, Cistercienses, Camaldulenses, Valumbrosani, Cælestini, &c. pro vna Religione habentur, eo quod ex vnâ radice truncoq; communi, nimirum ex eadem Regula S. BENEDICTI, humorem trahant omnes atq; communicent.

Hæc itaq; Vinea Monachalis, â Sanctissimo Patre BENEDICTO in partibus Occidentis plantata, adeo amæna est & frondibus referta diuersis, vt & erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines baiulas repant & viteas porticus frondea tecta effecerint. ita maturescit in fructus, vt velut indulgente

dulgente vindemia solutus animus in quietem, Vineam istam respiciens, solennes ac statas anni fatigantis inducias sortiatur. Vnde non solum animæ sensus ad leues auras blandientis autumni ex hortorum facie amænâ mulcentur, sed in arbores & in vites intra vineæ terminos satas, oculos si quis intenderit, videbit eas, ex tenui veluti surculo natas ingentes syluas per se effecisse quæ vniuersam Occidentalem Ecclesiam fæcundo germine repleuerunt. Cuius amplitudinem & latifundia vel inde colligere licet, quia intra hanc vineam, Romualdus *Eremû* silentij castrum fundauit; *Vallem Vmbrosam* Gualbertus procurauit, & ex opaca lucidiorem fecit; *Grandes montes* Stephanus, *Virginis montes* Guilielmus Vercellensis inuenerunt, & per sui sequaces possederunt. *Cisternas* Robertus Molismensis fodit, alter Robertus *Fontes Ebraldi* eduxit. Syluester in *cultura* eius ne syluesceret operas posuit. Cælestinus summi honoris fastigio illustrem reddidit. Bernardus Senensis *Montis Oliueti* arbores inseruit, & perfectionis fructum in tempore reportauit. In eiusdem vineæ latitudine *Militares cohortes* castra metatæ sunt, quæ victricia Magni Ducis Benedicti signa secutæ, triumphales palmas superno inferunt Capitolio. De quibus in præsenti Syntagmare copiosius pertractare animus est.

 ORDI-

# ORDINES

*Siue*

# *CONGREGATIONES,*
# MONASTICÆ CLAVSTRALES,

## Sub Ordine Sanctiſsimi Patris BENEDICTI & eius *REGVLA* militantes.

§. I.

### *Specuenſis ſiue Caſſinenſis aut Benedictina Congregatio.*

SPecuenſis congregatio prima ſacri Ordinis Sanctiſſimi Patriarchæ BENEDICTI Monachorũ Patris, Legiſlatoris & Ducis optimi; ab eodem inſtituta fuit Anno Salutis 520. in Sacrâ ſpecu *Sublacenſi*, quo in loco Sanctiſſimus Pater BENEDICTVS primis ſuis diſcipulis, Mauro, Placido, Fauſto, & alijs viua Regula ipſe extitit, & poſtmodum Anno 528. in Montem Caſſinum (Diuina diſponente gratiâ) eadem Congregatio tranſlata fuit: ideo *Specuenſis*, & aliquando *Caſſinenſis*: nec non *Benedictina* ab Hiſtoricis appellatur: *Specuenſis* quidem à primâ Sanctiſſimi BENEDICTI conuerſionis habitatione: *Caſſinenſis* verò à traditione Regularis legis, quæ in Monte Caſſino, (diuinitus eidem Sanctiſſimo Legiſlatori) data eſt: *Benedictina* à nomine eiuſdem Sanctiſſimi Viri, poſteriores appellationes *Caſſinenſis* & *Benedictina* frequentiores ſunt, cum addito, *alias Sancta Iuſtina de Padua*, de qua ſuo loco, ordine temporis obſeruato agendum erit. Primæ huic Congregationi Specuenſi vel Caſſinenſi ſiue Benedictinæ conſonant infraſcripta carmina.

*VT prior Ordinibus cunctis præstantior iste*
*Sic erit in fine cunctis præclarior ipse.*
*Sacer Ordo Benedicti*
*Vtitur amictu miti*
*Pro suo velamine.*
*Albo, nigro, camelino,*
*Lana texta sine lino,*
*Prout est Religio.*
*Hic Monarcha Monachorum,*
*Patriarcha est cunctorum*
*Qui ad se confugiunt.*
*Cœnobitis præbet normam,*
*Et Anachoretis formam,*
*Vias rectas ingredi.*
*Cuius regularis vsus*
*Nunc vbiq; est diffusus,*
*Inter Orbis climata.*
*Nam specus cultus Diuini,*
*Locusq; montis Cassini,*
*Redolent virtutibus &c.*

DE hac Congregatione agunt Ioannes Trithemius Spanheimensis *de Vir. Illust. Ordinis S. Benedicti lib.* 1. *Cap.* 3. Arnold. Vion. *par.* 2. *ligni vitæ Cap.* 11. *Et par.* 1. *eiusdem ligni vit.* tract. de nobili Aniciorum familia §. 10. Elogium Sanctissimi Benedicti eidem Congregationi *Specuensi, Cassinensi, siue Benedictinæ* alludens his verbis recenset. *Sanctus Anicius Benedictus Probus, Eupropij Probi, Comitis Nursiæ filius, ex Abundantia Riguardata Matre, vno partu editus cum sorore Scholastica Anno Domini* 480. *in Ciuitate Vmbriæ Nursia: cum iam adoleuisset à Parentibus vt bonis literis informaretur Romam missus est: sed cum ei mundana pompa vilesceret: Parentibus, amicis, & amplis facultatibus relictis, Anno ætatis* 14. *Christi* 494. *Eremum petijt, in qua ita omnis Monasticæ perfectionis*

*fectionis viam arripuit, vt prodentibus miraculis, Abbas mox electus fuerit, quod officium gessit primum in quodam apud Sublacum Cœnobio Sublaci. Vbi à parentibus suis SS. Maurum & Placidum in lege Domini & Monastica Disciplina instituendos suscepit. Postremo Cassini Tertulli Fratruelis sui Castro, in quo Monachorum Regulam spiritu dictante Diuino, composuit suisque seruandam tradidit, ex qua Vniuersalis Occidentalium Monachorum Pater & Patriarcha nominari & esse meruit. Eius vitam composuit S. Gregorius Papa Dialogorum libro 2. obijt sanctitate & miraculis clarus die 21. Mensis Martij vel Anno 542. die Veneris Sancto, Indictione 5. vel 543. Sabbato Sancto Paschæ, Indict. 6. ætatis suæ Anno 62. vel 63. Et sepultus est Cassini in Oratorio S. Ioannis Baptistæ, vna cum S. Scholastica sorore, in tumulo, sibi ante mortem, præparato.* Nouissimè autem emanauit Decretum S. Rituum Congregationis, de celebrando sub præcepto festum, huius almi Patriarchæ in regnis Hispaniarum sequentis tenoris.

Supplicarunt Sanctissimo, Comitissa de Monterrei Regni Neapolitani Vice-Regina, Marchio Castri Rodrichi apud Sedem Apostolicam Regis Catholici Orator, & Reuer. Pater Fr. Augustinus de Castro Monachus Benedictinus, olim Comes de Lemos, instante etiam Reu. P. Fr. Mauro de Villa Roel Generali Ordinis S. Benedicti, præcipi, de præcepto, diem Festum S. Benedicti in omnibus locis, in quibus existunt Ecclesiæ Ordinis S. Benedicti Congregationum Hispaniarum. Et supplicatione, per Sanctissimum ad hanc Sacram Rituum Congregationem remissâ, Eadem S. Congregatio censuit, posse concedi, vt dies festus S. Benedicti celebretur de præcepto in omnibus locis, in quibus ad præsens existunt Ecclesiæ Ordinis S. Benedicti Congregationum Hispaniarum, si Sanctissimo placuerit; Sanctissimus annuit die 15. Decembris 1632.

*C. Episc. Portuen. Card. Pius*
*Iulius Rospigliosius Secr.*

Quo

QVO stante Decreto, Sanctissimus *D. N. Vrbanus VIII.* sua constitutione præcepit, in prædictis locis, diem festum S. P. BENEDICTI inuiolabiliter obseruari, cuius constitutionis tenor est.

VRBANVS Episcopus Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sancta Mater Ecclesia, quæ salutaribus nos semper instruit documentis, annuas orthodoxæ fidei filijs, venerandas proponit Sanctorum celebritates, qui in terris non solum exempla ad salutem reliquerunt, sed in cælo Beati, Christi fidelium patrocinium suscipere, eorumq; orationes & vota suis precibus adiuuare non cessant, Quam omnibus opem apud misericordem Deum credentes Beatum BENEDICTVM Monachorum Principem & Patriarcham assiduò impendere, dignum quin é Pastoralis officij nostris humeris ex alto commissi debitum reputamus, vt felicis eius transitus dies, quâ ipsius anima beatifica fruitione digna, ad æternas illas Diuinæ claritatis sedes, humanis exuta spolijs, translata fuit, iucundissima recordatione vndiq; celebretur. Cum itaq; sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris modernæ Comitissæ de Monterrey Regni Neapolitani Proreginæ, & nobilis Viri moderni Marchionis Castri Rodrigchi apud Nos & Sedem Apostolicam pro charissimo in Christo filio Nostro Philippo, Hispaniarum Rege Catholico Oratoris, nec non Mauri de Villa Röel Ordinis eiusdem S. Benedicti Abbatis Generalis, ac Augustini de Castro, olim Comitis de Lemos, Ordinem ipsum expresse professi, dilectorum filiorum petitio continebat, quod cum eiusdem gloriosi Monachorum Patriarchæ S. Benedicti, inter mortales degentis vita, iam inde ab eius pueritia, adeò virtutum trophæis admiranda fuerit, vt Beato Gregorio Magno, dum in humanis sanctam vitam ageret, Romano Pontifice Prædecessore nostro teste, Diuina interius luce splendens, sublatus in mentis lumine, superior mundo, & expansus in Deo mentis laxato sinu, beatifico lumine humani

imbecillitatem intellectus eleuante, Deum ipsum, & in ipso Deo, adhuc mortalis, omne quod infra Deum est, videre meruerit, ac demum post vitam sanctissimè exactam, purissimamq; pompa mirabili per viam pallijs stratam, & innumeris coruscam lampadibus, summo rerum auctori coniungenda, in cælum migrauit, efflauerit animam; Propterea; Comitissa & Marchio, ac Maurus, & Augustinus præfati, pro eximio eorum, quem in tanti Viri Sanctitatem deuotionis affectu plurimum cupiant, felicis eius animæ transitus diem, ad maiorem præpotentis Dei gloriam, ac fidelium deuotionis incrementum solennius celebrari. Quare pro parte dictorum Comitissæ, & Marchionis ac Mauri & Augustini Nobis fuit humiliter supplicatũ, quatenus pijs eorum votis, hac in parte fauorabiliter annuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui fidelium quorumlibet deuotionem erga beatos illos sempiternæ beatitudinis ciues non solum promoueri, sed etiam conseruari sinceris exoptamus affectibus, eosdem Comitissam & Marchionem ac Maurum, nec non Augustinum, & eorum quemlibet, à quibusuis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum seriè absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus ex voto venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus, & cæremonijs præpositorum inclinati, vt deinceps perpetuis futuris temporibus, eiusdem S. Benedicti transitus dies præfatus, 12. Calend. Aprilis, videlicet quolibet Anno in omnibus & singulis Ciuitatibus, oppidis, terris, & locis, in quibus ad præsens existunt Ecclesiæ Ordinis ipsius Sancti Benedicti Congregationum Hispaniarum ad instar aliarum de præcepto Ecclesiæ celebrandarum festiuitatum recolatur & celebretur, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium præcipimus, mandantes propterea omnibus

omnibus & singulis, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisq; Ecclesiarum Prælatis, sub quorum Iurisdictione spirituali, Ciuitates, Oppida, terræ, & loca huiusmodi extiterint, vt præsentes nostras, in eisdem ciuitatibus, oppidis, terris, & locis suæ iurisdictioni huiusmodi subiectis, solenniter publicari, ac omnibus & singulis personis cuiuscunq; status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, faciant inuiolabiliter obseruari. Non obstantibus Apostolicis etiam in Prouincialibus & Synodalibus, etiam Vniuersalibus Concilijs editis, & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Volumus autem vt earundem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbiq; adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1632. 12. Calend. Aprilis Pontificatus nostri Anno 10. Loco ✠ Plumbi C. Colinus.

Ex hac Congregatione tanquam ex Gymnasio, vbi Diuina lex Regularis lecta, & edocta, à Sanctissimo Magistro BENEDICTO fuerat, exierunt inde discipuli, qui diuersis Orbis terrarum locis, eandem doctrinam propagantes, diuersas & varias Congregationes constituêre, vt inferius ostendam. Hæc Congregatio Benedictina, vbiq; celeberrima ab initio suæ fundationis, confirmata fuit à Sacris Concilijs, & Summis Pontificibus, ac varijs Priuilegijs, & gratijs decorata, vt probat Trithemius loc. cit. cap. 14. Prima tamen Sedes, & præcipua huius Congregationis, est sacer *Mons Cassinus*, qui inter omnes Sedes

Abbatiales omnium Congregationum Ordinis S. BENEDICTI primatum tenet, (& merito) quia Abbas Montis Cassini, his titulis (magnæ quidem admirationis) potitur inter vniuersos Ecclesiæ DEI Regulares, nominatur enim *Patriarcha sacræ Religionis, Dux, & Princeps omnium Abbatum & Religiosorum, Vice-Cancellarius sacri Imperij per Italiam, Cancellarius Regnorum vtriusq; Siciliæ, Hierusalem, & Hungariæ, Comes & Rector Campaniæ, Terræ laboris, Maritimæq; Prouinciæ, Vice Imperator, & Princeps pacis;* Qui postremus titulus, ideo illi datus, quod nullus, nisi consentiente Abbate Cassinensi, cum Imperio reconciliari aut pacificari poterat, & à Summo Pontifice benedicebatur, & sæpe sæpius Cardinalitia dignitate decoratus erat.

Maxima erat eius potentia, omnibus admirabilis & tremenda; subijciebantur enim ei Episcopatus quatuor, Principatus duo, Ducatus duo, Comitatus viginti, ciuitates triginta sex, Castella 250. Villæ 440. Curtes 336. Portus maritimi 23. Insulæ 33. Molendina 200. Territoria 100. Ecclesiæ 1662. Et cum tantus esset in temporalibus, spiritualia etiam minime neglexit, vt ex eius alumnis videre est.

Protulit enim hoc Monasterium, Pontifices Summos quatuor, S. R. Ecclesiæ Cardinales plures, Archiepiscopos & Episcopus quam plurimos, & in Ecclesia huius Almi Cænobij requiescunt, quinq; millia quingenta quinquaginta quinq; corpora Sanctorum Monachorum, qui fuerunt Alumni eiusdem Monasterij.

Hac nostra tempestate, magnam adhuc potestatem & præeminentiam retinet prædictus Abbas, præter enim *Sancti Germani* ciuitatem, in duo & triginta oppida, quæ moderatur Abbas Cassinensis, omnimodâ pollet Episcopali iurisdictione, quam libere in dictâ ciuitate *Sancti Germani*, & prædictis oppidis, alijsq; locis, vt in suâ Diæcesi exercet, & administrat, nullum habens Episcopum finitimum, cui ea demandentur, quæ ex Concilio Tridentino viciniori Episcopo committenda sunt: Nam

Sixtus

Sixtus V. Pontifex Max. statuit ea omnia, quæ ad Iuris æquitatem, & indulgentiam siue arbitrium Iudicis referuntur, ad Cassinatem Abbatem, in sua Diœcesi spectare, & sic vsq; in hodiernum diem, causæ ad matrimonia & sacerdotia spectantes, ab eodem Abbate cognoscuntur. Ipse Synodum propriam celebrat, & in prædicta sua ciuitate S. Germani Seminarium habet, Examinatores Synodales eligit, idoneos excipiendis Confessionibus; & sacris initiandos examini subijcit. Tonsuram & minores Ordines suis subditis etiam sæcularibus administrat, literas dimissoriales concedit, concursum indicit, sacræ Confirmationis Sacramentum administrat, & alia plura, quæ alijs Prælatis Episcopo inferioribus non conceduntur.

Hæc Specuensis seu Cassinensis Congregatio, à quam plurimis Summis Pontificibus approbata; & sub Sedis Apostolicæ tutela accepta fuit.

§. 24

## *Sicula Congregatio.*

SIcula Congregatio à S. Placido Abbate, & Martyre, è primis Sanctissimi Patriarchæ BENEDICTI Discipulis, instituta fuit, circa Annum Domini 526. Is enim cum Siciliam applicuisset, vt paternas curtes à Patre Tertullo Monasterio Cassinensi delegatas, contra iniustos occupatores tueretur; apud *Messanam* primum suæ nouæ Congregationis Monasterium instituit, in honorem Sancti Joannis Baptistæ, quæ proinde Congregatio post eius mortem Messanæ florido Martyrio cum socijs affectatam, Anno salutis 541. Religionis 19. ætatis vero 26. Sicula appellari cæpit, & per quadringentos ferè Annos stetit & floruit. Hæc Congregatio Instituta, à prædicto S. P. Placido, cuius corpus in ciuitate Messanâ requiescit cum simili Epitaphio.

*Reliquias Placidi celebres Messana perennes*
*Hic tenet, hic sauam pertulit ille necem.*

Quam plurima de nobilissima huius S. Martyris progenie congerit Illustrissimus Petrus Villa Marchio Messanensis, videlicet, & quod fuerit de Aniciorum & Annæorum familia ex parte auita, ex materna Flauiorum, & Octauiorum, ex quibus Summi Pontifices, Imperatores, Consules processêre, vbi demq; Originem traxerunt nobilissimæ familiæ, Austriaca Haspurgica, Leonia, Signia, Frangipania, prout his Carminibus concluditur.

*Consulibus Summis, sic Regibus, atq; Papali*
*Stemmate descendens Placidus simul Imperiali.*

Plura apud prædictum videas Authorem: Non præter mittendum tamen nobis est eiusdem S. Placidi Elogium à D. Arnoldo Wione relatum sequentis tenoris. Sanctus Anicius Placidus Probus Tertulli Patricij filius septennis S. P. BENEDICTO patris sui fratrueli oblatus, vt Monasticis imbueretur disciplinis, post tertium decimum in Monasticâ perfectione exactum Annum, ab eodem S. P. Benedicto in Siciliam ad ciuitatem Messanam missus cum aliquot fratribus Anno Dñi 536. Sexennio post, vna cum fratribus suis & sorore, ac triginta tribus Monachis, quibus Abbas præerat, à Manucâ barbaro tyranno, Martyrio coronatus est, die 5. Octob. A. C. 541. Cuius corpus postquam mille & amplius Annis latuisset, his nostris temporibus, Anno Christi 1588 sub felicissimo Sixti V. Pontificatu, Diuinâ operante clementia inuentum est, die 4. Augusti. Post huius S. Martyris & Sociorum eius gloriosum Martyrium, Cœnobia in oris Siculis ab ipso erecta, sed barbarorum rabie dissipata, vt facilius restaurarentur à *Vitaliano* PP. sub Protectionem Sedis Apostolicæ recepta sunt, & confirmata Congregatio.

Agunt de hoc S. Institutore D. Stephanus Aniciensis Episcopus, Petrus Diaconus. Arnold Wion. *2 part. lig. vitæ libro 3.*

§. 3. *Gal-*

§. 3.

## *Gallica Congregatio.*

GAllica Congregatio, à S. Mauro Abbate, ex nobilissima Aniciorum familia, S. Placidi condiscipulo, circa Annum Domini 541. exordium sumpsit, in Monasterio Glanofoliano in Gallijs, vnde & Congregatio *Glanofoliana*, è particulari primo loco, & *Mauriana*, ab institutore appellari aliquando consueuit, licet communiori & vsitatiori vocabulo Gallica sit dicta à Regione. Hæc Congregatio sub Sanctissimo Institutore ita dilatata est, vt spatio quadraginta duorum ferè annorum, quibus Gallias rexit, Monasteriorum sub ipso constructorum redditus annui, decies centenorum millium aureorum summam attigerint. Hinc Ludouicus X. Galliæ Rex, persæpe repetebat, S. Maurum plures, Monasterijs à se constructis solo Breuiario suo, in Gallia diuitias peperisse, quàm Reges ipsi gladio, & potentiâ acquirere potuerint. Obijt tantus Pater, Anno ætatis suæ septuagesimo quarto, Andegaui, apud Monasterium Glanofoliense Anno Dñi 583. die 15. Januarij, ibique sepultus est, cum in Gallijs, Annis 41. & in Religione 62. sanctissimè vixisset. Quæ omnia in eiusdem Patris elogio mox subscribendo colligere poteris. Sanctus Anicius Maurus Anicij Equitis filius duodennis, S. P. BENEDICTO in Monasticâ disciplinâ imbuendus, à Patre traditus est, ita breui, omnem Monasticæ perfectionis vitam arripuit, vt ipsi etiam S. P. BENEDICTO admirabilis inde haberetur. Ab eodem deinde in Gallias missus, Anno 541. Ordinem Monasticum, in illam Prouinciam, sub Regulâ S. Patris sui militaturum, fundauit: & Anno ingressus sui in Galliam 42. Christi Domini 583 ætatis suæ 74. plenus sanctitate, & miraculis clarus, apud Monasterium Glanofoliense, in ciuitate Andegauensi, ab ipso constructum, migrauit ad Christum die 15. Januarij.

Agunt de huius Gallicanæ Congregationis institutore Sancto, Leo

cto, Leo Ostien. *in Chron. Cassin. lib.* 1. *cap.* 1. Vincentius Belluacen. *in Spec. Histor. lib.* 21. *Cap.* 67. Trithem. Arnold. Wion. 2. *parte ligni vit. lib.* 3. *sub die* 15. *Julij.*

§. 4.

## *Benchorensis Congregatio in Hybernia.*

BEnchorensis Congregatio in Hybernia, à Sancto Comógello Abbate fundata fuit, circa annum Domini 570. & Benchorensis à primi Monasterij nomine dicta, tot Monachos genuit, quod, si ex vno solo illius Sacræ Congregationis, alumno, *Luano* nomine, centum Monasteria prodiêre, innumerabiles dixerim Monachos totius Congregationis; & in ipso Monasterio Benchorensi, tanta erat Monachorum frequentia, vt non valentibus præ multitudine Diuina celebrare Mysteria, succedentibus sibi inuicem numerosis choris, continuarent Diuinorum solemnia, ita vt ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à Diuinis laudibus persoluendis. Huius Congregationis Alumnus fuit Sanctus ille *Columbanus* qui postmodum Luxouiensem Congregationem, de qua infra, erexit, agunt de hoc Institutore & eius Congregatione, Vuion. 2. *par. lig. vit. lib.* 5. *Cap.* 11. Mombricius *tom.* 2. *de Episc. German.* Carol. Sigon. *de Reg. Ital. lib.* 2. *sub Anno* 613. *&* 614. & Petr. Recordat. Histor. Mon. giornat *lib.* de Ord. S Benedict. vbi ait. *Congregationem hanc centum Abbatias gubernasse, in quibus multi Sancti Patres floruerunt, & præcipue nongenti Martyres, qui vna die pro Christi nomine ab immanibus piratis lapidati fuerunt.*

§. 5.

## *S. Augustini Cantuariensis Congregatio in Anglia.*

SAncti Augustini Cantuariensis Congregatio in Anglia sub Anno 596. inchoata fuit, à prædicto S. Augustino Cantuariensi

riensi Episcopo, eo tempore, quo communis & selecta Monachorum multitudo, sub ipso Institutore Regulam Benedictinam cum magno rigore obseruabat, & tunc ferè totus illius Magnæ Britanniæ Regni Clerus, ex Monachis duntaxat Benedictinis consistebat. Prædictus S. Augustinus fuit Italus, Romanus Monachus & Præpositus S. Andreæ Romæ ad Cliuum Scauri Ordinis S. Benedicti, missus fuit in Angliam, ad illius gentis Conuersionem, à S. Gregorio Papa 1. cum aliquot socijs Monachis, circa annum Domini 596. cum sextum post annum prædicationis suæ, Edilbertum Cantiæ Regem ad Christũ adduxisset, Arelatum profectus, ab illius Sedis Archiepiscopo Etherico, Dorouernienſis siue Cantuariensis Archiepiscopus consecratus fuit, Anno Domini 602. cui Ecclesiæ annos circiter octo præfuit, ibiq; Monasticam Religionem instituit.

Agunt de hac Congregatione & Sancto eius Institutore, Beda *in Histor. Angliæ lib. 1. à Cap 21. & lib. 2. Cap. 2. & 3.* Trithemius *lib. 4. Cap 48.* Arnold. Wion. *2. par. lig. vit lib. 2. Cap. 20.* & fusè Clemens Reynerus de Apost. Benedictin. in Anglia *tract. 1. sect. 2.* & alij quamplures.

§. 6.

## *Valclarensis, seu Sirbitana Congregatio.*

VAlclarensis seu Sirbitana Congregatio, cæpit Anno Domini 620. ope Sanctorum Virorum, Donati Sirbitani, & Ioannis Gothi Monasteriorum Vallis claræ fundatorum; extenso enim Ordine Benedictino per Hispanicas Prouincias, ex sanctitatis fama S. Mauri, qui in Gallijs Monasticã disciplinam iam erexerat, Monasteria quæ sine certâ Congregatione, aliquandiu vixerant, prædicti Sancti in vnius Congregationis formam redegerunt, quæ vt supra vel à loco Valclarensi, vel à S. Sirbitano, qui fuit vnus ex Institutoribus, Sirbitana nuncupata fuit.

Agunt de hac Congregatione & eius institutoribus, Carolus Sigon *de Reg. Ital. lib. 2.* & Arnold. Wion *2. p. lig. vit. lib. 5. Cap. 11.*

§. 7.

## *Lyrinensis Congregatio in Gallia.*

LYrinensis Congregatio in Gallia, à celeberrimo Lyrinensi Cænobio, in Insulà Lyrini propè mare Prouinciæ condito à S. Honorato Nicomediæ Regis filio, ac primo illius loci Abbate, & deinde Arelatensi Archiepiscopo, erecta est, circa Annum 470. Cuius Instituta & constitutiones retinuit, vsq; ad Annum Domini 641. tempore S. Amandi Abbatis, qui relictis constitutionibus primi huius Congregationis institutoris, Regulam Sanctissimi P. Benedicti, summâ obseruantiâ in Lyrinensi monasterio cum suis Monachis obseruauit. Hæc Congregatio magno in numero per totam Galliam Abbatias sibi vnitas longo tempore rexit, in quibus Monachi vsq; ad numerũ viginti quatuor millium ascendebant. De particulari Regulâ à S. Cæsario Lyrinen. Monacho, Arelatensi deinde Episcopo, pro hac Congregatione conscripta, apud Tambur. lege.

Agunt de hac Congregatione antiqua Chronica Cassinen. Petrus Recordatus giorn de Congreg. S. Benedict. & Arnold. Wion *2. par. lig. vitæ, lib. 3. sub die 29. Maij.* Vbi recenset laudes Lyrinensium, & texit Catalogum Sanctorum Monachorum, Martyrum & Confessorum, qui in eo Monasterio floruerunt.

§. 8.

## *Floriacensis Congregatio.*

FLoriacensis Congregatio, Flori cuiusdam Comitis, Theoberto Francorum Regi inter charos facile Principis, ope extructa, & ab ipso fundatoris nomine Floriacensis appellata, sicut & principale Monasterium Floriacense ab eodem, in vno è proprijs prædijs ædificatum, maximisq; opibus ac honoribus tum ab ipso, tum à Rege prosequutum, sub Anno Domini 651. surrexit. Receptumq; Monasterium sub protectionem Sedis Aposto-

Apoſtolicæ, & Priuilegijs ornatũ eſt, an. 1063. ab Alexandro II. Decorauit hoc Monaſterium idem Florus Fundator, cum Bertoldo filio, quem vnicum cum haberet, & obſequijs Monaſticis mancipaſſet, oblatis eidem ſuo Monaſterio omnibus fortunis & poſſeſſionibus, amore ipſe quoq; Chriſti ſuccenſus, volens ac lubens, Monaſticæ ſeſe diſciplinæ addixit, & præſente Theoberto Rege, S. Maurus Abbas capillum ei totondit, præ gaudio & religione manantibus vndiq; vbertim riuulis lachrimarum. Floriacenſis hæc Congregatio, nedum in Gallia, verũ etiam vbiq; celeberrima, Monachos protulit, qui ſanctitate & doctrinâ excelluerunt, quorum præconia, virtutes, & nobiliſſima acta, in vnum collegit Ioannes à Boſco Cæleſtinus, & ſub nomine Floriacenſis Bibliothecæ, typis demandauit.

Redditur hæc Congregatio celebrior, à Monaſterio Floriacenſi, in quo aliquando conditæ fuerunt Reliquiæ Sanctiſſimi Patris Benedicti, & Sanctæ Sororis eius Scholaſticæ, furtim ab Eccleſia Caſſinen. ablatæ, & poſtea per Carolum Magnum diuinitus admonitum, ad eandem Eccleſiam Caſſinenſem reportatæ. De quâ re vide Anaſtaſium Bibliothecarium totius rei geſtæ oculatum teſtem, qui quomodo hæc Translatio facta fuerit, quoue tempore, & qua ratione, veraci & perpolito ſtylo, narrat in libro conſcripto *De tranſlatione Corporis Sanctiſſimi Patris Benedicti.* Cuius fragmenta hanc Tranſlationem denotantia, vide apud Arnold. Wion. *2. par. lig vitæ lib. 3.* ſub die 4. Decemb. Agunt de hac Congregatione Floriacenſi & eius Inſtitutore, S. Oddo Abbas & Aymo eiuſdem Monaſterij alumni, in Bibliotheca Floriacenſi Ioan. à Boſco. Arnold. Wion. *2. par. lig. vitæ Cap. 11.* Marcus Antonius Scipio in lib. *Elog. Abbatum Montis Caſſini, in Elogio S. Mauri Abbatis.*

§. 9.

## *Ingiruienſis Congregatio in Anglia.*

INgiruienſis ſeu Giribenna Congregatio, circa Annum Domini 700. excitata eſt, huius authores fuerunt S. Wilfridus,

& S. Benedictus Biscopius, à quo aliquando, *Biscopiensis Congregatio* nominata est, licet communius, *Giribenna* vocetur. Huius Congregationis fundationi ansam præbuit, quod deferuescente obseruantiâ, & quasi ob defectum culturæ, & paganorum irruptiones, syluescente, susceptis varijs Romam peregrinationibus S. Benedictus Biscopius, vnâ cum Sancto Wilfrido prædicto, ex ijs quæ in celeberrimis Italiæ & Galliæ Monasterijs viderat, restituere & instaurare satégit; idq; ita feliciter præstitit, vt ab eius Monasterio profluxerint maximi illi viri, quorum laboribus & Martyrijs Germania fere tota, Ecclesiæ Catholicæ adiecta fuit. Huius Congregationis Alumnus fuit *Venerabilis* Beda qui cum esset puer septem Annorum, prædicto Sancto Benedicto à parentibus imbuendus traditus est, vbi sub Regula S. P. Benedicti & institutis fundatoris præfati, vitam egit: Obijt S. Benedictus postquam Monachos ad concordiam & Regulæ obseruationem adhortatus est, Anno Domini 703. Cuius Elogium scripsit Baronius in hanc formam quæ sequitur. *Porro ab eiusmodi fundatore, propagatus est in Anglia mirifice Monachismus, vt plane insula illa Diuinis imbribus irrigata, DEI esset Paradisus effecta, apud quam, dum Monastica viguit integritas in nullo aliquando nulla ad eam hæresis accessum habere potuit, illa vero laxata atq; soluta, redacta est terra fructifera in salsuginem auaritia inhabitantium in ea.*

De hac Congregatione & eius Institutoribus agunt Raynerus *lib. de Apost. Bened. in Angl. sess. 2. §. 2.* Joan. Trithem. *de vir. Illustr. Ordinis S. Benedicti lib. 2. Cap. 19.* & Arnold. Wion. *2. par lig. vitæ lib. 5. Cap. 11. & lib. 3. sub die 12. Januarij.* Molan. *in addit. ad Vsuard.* Sigibertus Monachus *de Illustr. Ecclesi. script. Cap. 61. & alij.*

§. 10.

## Fuldensis Congregatio in Germania.

FVldensis Congregatio à S. Bonifacio natione Anglo, Regij stemmatis, primum Monacho, deinde Archiepiscopo Moguntino,

guntino, erecta fuit in Germania, circa Annum Domini 750. & à Monasterio Fuldensi in Buchonia Sylua constructo, Fuldensis Congregatio vocata est. Qua Instituta sub Regula S. P. Benedicti, primum Abbatem eidem præfecit S. Sturmum, qui sui Præceptoris doctrinâ eruditus, Monasticam disciplinam mirifice propagauit, eiusque Monachos summæ obseruantiæ professores, indicat rythmica illa compositio.

*Hinc Fuldenses cum feruore*
*Claustra multa cum decore*
*Regunt in Alemania.*

Ex qua etiam, colligere licet multitudinem Monasteriorum huius Congregationis in Germania, licet Fuldense celeberrimum ob deplorandas nostrorum temporum calamitates iniurijs Hæreticorum affectum etiamnum langueat, Monachiq; illius Cænobij dispersi huc illuc vagentur.

Agunt de hac Congregatione & S. eius institutore, S. Willibaldus Aichstadensis Episcopus, eius discipulus vt refert Wion. 2. *p. lig. vitæ lib. 3 sub die 5. Iunij.* Rotardus Hirsaugiæ Monachus. ex eodem Trithem. in Chronic. Hirsaugiæ, & *Vir. Illustr. Ordinis S. Benedicti lib. 1. Cap 6. lib. 2. Cap. 24. & lib. 3. Cap. 171.*

§. II.

## *Dunstanensis Congregatio in Anglia.*

DVnstanensis Congregatio in Anglia, à Sanctissimo viro Dunstano, quem de Abbate Glastonensi Eadgarus Angliæ Rex, Præsulem Vigorniensem fecit, circa Annum Dñi 900. initium sumpsit. Cum enim Ordo B. Benedicti in Anglia pene extinctus fuisset incursionibus Danorum, S. Dunstanus cum Oswaldo, & Ethelwildo, Regem Eadgarum suis suasionibus impulit, ad pietatis sanctuaria ædificanda, & vltra quadraginta Monasterijs restitutis, idem Sanctus cum socijs, acceptis è Monasterijs

nasterijs Floriaçensi & Gandauensi Monachis maximæ obseruantiæ peritis, vniformem per omnia Monasteria rituum, sanctarum cæremoniarum, disciplinæque regularis introduxit.

Constitutiones huius Congregationis, iuxta Regulam S. BENEDICTI, idem S. Dunstanus composuit, quas per duodecim capita distribuit, vt videre est apud Chrysostomum Raynerum *de Apost. Benedict. in Angl. 3. part. append. pag. 77.*

Agunt de hac Congregatione idem Chrysostom. *Sect. 2. §. 2. pag. 208.* & de eius Institutore Osbertus Monachus Cantuariensis relatus à Surio in Tom. 3. Trithemius *de vir. illustr. Ord. S. Bened. lib. 3. Cap. 221. & lib. 4. Cap. 100.* Vincent. in Specul. *lib. 24. à Cap. 72. vsq; ad 89.* Wion. *2. part. lig. vitæ lib. 3. sub die 19. Maij & alij.*

§. 12.

## *Cluniacensis Congregatio in Burgundia.*

OPerâ Guilielmi Pij Aquitaniæ Ducis incæpit Anno Dñi 910. in Burgundia apud ciuitatem Matisconensem, vbi Dux in valle *Cluniaca* egregium Cænobium extruxit.

1. Primus huius Monasterij Abbas *S. Berno* qui annorum sedecim spatio, Monasticam disciplinam exemplo suo quamplurimos edocuit: & locuples meritis annisq; grauis Anno Domini 926. migrâuit è vitâ.

2. Cui defuncto successit *S. Odo* Atlas Ordinis & decus eximium, qui cum Ordinem S. BENEDICTI in plerisq; Monasterijs arescere cerneret, ad eius erectionem omnino se contulit, tantumq; effecit exemplo, doctrinâ, autoritate, quam apud summos Pontifices & Principes habuit, *vt totius Ordinis S. Benedicti Generalis constitutus Reformator à Sede Apostolicâ fuerit.* ex cuius successu Reformationis, Congregatio Cluniacensis amplissimè dilatata est, passim exambientibus Principibus, Monachos sibi mitti Cluniaco, ad nouas erectiones Monasteriorum ponendas, & veteres collapsas reparandas; in tantumq; ampli-

ampliata hæc Congregatio scribitur fuisse, vt etiam vltra mare in *Terra Sancta* sua iecerit fundamenta, subseq; habuerit Abbatias, Prioratus, & Præposituras, tam mediatè, quam immediatè sibi subiectas duo millia & amplius. Qui præassertus S. Odo Abbas Anno Christi 944. apud Turones in languorem incidens, hebdomodâ Octauarum S. Martini 14. Kal. Decemb. obijt, ibiq; sepultus fuit: cuius etiam memoria, Romani Martyrologij tabulis eodem die recolitur.

3. Odoni defuncto, suffectus est *Aimardus* seu *Ademarus* qui annis decem religiose præsidens, Anno Ch. 954. lumine oculorum priuatus fuit ex morbo; quocirca loco sui, *Maiolum* virum Sanctum, cum consilio Fratrum suorum Abbatem fore decernens, ipse decennio post resignationem piè superuixit, mortuusq; est Anno 963.

4. *S. Maiolus* voluntate Aimardi & votis fratrum A. C 955. Cænobij Cluniacensis admotus gubernaculis, illud sanctè rexit vsq; ad Annum Chr. 993. quo *Siluiniacum* cum deuenisset, vltimâ ægritudine oppressus, euolauit ad superos.

5. Anno 993. Odilo Aruernæ oriundus, ex Clerico Briuatensi, Monachum Cluniaci professus, post Maiolum præficitur eidem Cænobio, quod per annos quinquaginta (ex miro religionis feruore rexit, & prouexit eximie. Hic præter cætera pietatis insignia facta, *Omnium fidelium defunctorum Commemorationem* primâ die post festum Omnium Sanctorum in suis Monasterijs solennem fieri præcepit; & B. Casimirum Regis Miecislai & Rixæ filium, Poloniæ Principem & Regni Hæredem, in Monachum ad Cluniacense archisterium paternè recepit, quem postmodum, Polonis petentibus, & Papa dispensante, ad paternum obtinendum Regnum submisit, eiq; demum roganti, Duodecim Monachos in Poloniam destinauit, qui Tynecense Monasterium sub Beato Aarone Abbate, primi omnium inhabitarunt. Et de Monasterij Tynecensis Origine, Don. Martinus Marrier, suæ Bibliothecæ Cluniacensis fol. 1646. id asse-

id asserit, *quod Casimirus à Papa tali conditione fuit dispensatus vt Milites Poloni & clientes illius Regni, perpetuo portarent tonsuram ad modum Cluniacensium, & in signum Diaconi stolam. Verum, quia satis aliena ab eorum moribus ista videbantur, obtinuerunt, vt habitu pristino vterentur, sed tali conditione, quod dictus Dux qui pro tunc Rexerat Monasterium construeret in honorem Domini N. I. C. & SS. Apostolorum Petri & Pauli, & istud Monasterium vocatum est Tyniec, in quo continuè residentes Monachi sunt LX. Jn quo Regula S. Benedicti tenetur & Carimonia Cluniacensis Ecclesia obseruantur.* & post pauca, de eodem Casimiro nostro subinfert. *Postmodum habitâ prole & relictâ ad regni successionum, ipse Casimirus in Monasterium Cluniacense redijt religiosus.* in qua relatione est lapsus, cum Casimirus vsq; ad extrema vitæ tempora sceptrum tenuerit, & Posnaniæ in Polonia mortuus sepultusq; sit. vti omnes Historici Polonorum & nostri Tynecensis Monasterij tabulæ attestantur. Cæterum S. Odilo Abbas Generalis Cluniacensium ab Incarnatione Domini anno 1049. Siluiniaci degens, Vigiliâ Circumcisionis Domini, mortalis vitæ adeptus est finem; quem locum præcessoris sui S. Maioli insignem corpore, ipse etiam nobilitat proprij corporis tumulatione. Et quia memoratum Tynecense Monasterium, à primâ Origine, fundationeq; subiectum fuit Cluniacensi Congregationi, mansitq; quingentis prope annis sub Visitatoribus & directione illius Obseruantiæ, eidem ceu Matri almæ honorem deferendo, reliquorum Abbatum Cluniacensium vti Generalium, Cathalogum breuiter apponere placuit.

6. Post S. Odilonem in regimine S. Hugo succenturiatus est, in quo, 61. annis exactis, ætatis suæ 86.. beato fine migrauit è sæculo, Anno reparatæ salutis 1109. Romanoq; Martyrologio ad diem 29. Aprilis insertus. Vsus eo fuisse familiarissimè *Gregorius VII. Papa* scribitur.

7. Successit in Abbatia eodem Anno 1109. *Pontius* sub quo Gelasius PP. apud Cluniacum obijt, & ibidem Cluniaci *Vido* Archi-

Archiepiſcopus Viennenſis in Romanum Papam eſt electus qui *Calixtus II.* dictus fuit. Verum Pontius Abbas, anno 1122. in quibuſdam negotijs Apoſtolicam Sedem conueniens, quadam animi ſui indeliberatione in manu Papæ Abbatiæ Cluniacenſi abrenuntiauit, fuitq; profectus Hieroſolimam: vnde breui reuerſus Cluniacum, magna diſpendia Cænobio, rebuſq, eius, intulit, propter quæ Romam ab Honorio Papa euocatus, & ibi condemnatus, ne maius malum faceret, à Papâ retentus, vitam finiuit Romæ.

8. In abſceſſu Pontij *Hugo II.* in Abbatem ſubſtitutus fuit, ſed eo poſt tres Menſes defuncto.

9. Eodem an. 1122. infra Octauam Aſſumptionis Virginis Glorioſiſſimæ *Venerabilis Petrus* cognomento Mauritius, ætate iuuenis, vt qui 28. annum agebat; ſed moribus maturus, electione communi Fratrum & D. Calixti Papæ aſſenſu, Paſtorale officium apud Cluniacenſes adeptus eſt: quod prudentiſſimè religioſiſſimeq; annis 34. cum inſigni Monaſteriorum quamplurium vtilitate geſſit; demum anno Chriſti 1157. in vigilia Natiuitatis Dominicæ, ſublimi inchoato ad Fratres, de præconijs Natalitiorum Seruatoris Noſtri, ſermone, ſubitò, in medio ardentiſſimæ ſuæ perorationis, lachrymarum flumine, quarum ſemper gratiam obtinebat ſingularem, inundante, morbo corripitur, & de ipſo Capitulo, manibus Fratrum delatus, illuceſcente aurorâ Dominicæ Natiuitatis, eâ videlicet horâ, quâ Chriſtus mundum ingreſſus eſſe creditur, mundo exiens, Solennitatem ortus Dominici, cum Angelicis ſpiritibus celebraturus, perrexit, ingenti ſui apud omnes relicto deſiderio.

Poſt hunc.

10. *Hugo III.* electus anno *1158.* præfuit annos *6.*
11. *Stephanus* electus anno *1164.* præfuit annos *10.*
12. *Rodulphus* electus anno *1174.* reſignauit anno *1176.*
13. *Gualterius* electus anno *1176.* eodem ipſo anno obijt.
14. *Villelmus* electus anno *1177.* præfuit annos *3.*

15. *Theobaldus* electus anno *1180* sed assumptus in Episcopũ Ostiensem, eodem anno resignauit.
16. *Hugo IV.* electus anno *1181.* obijt in Abbatia anno *1199.*
17. *Hugo V.* electus anno *1200.* obijt anno *1207.*
18. *Villelmus. II.* electus anno *1208.* resignauit *1215.*
19. *Giroldus* electus anno *1215.* resignauit anno *1220.* assumptusq; est in Episcopum Valentiniensem.
20. *Rolandus* electus anno *1220.* resignauit anno *1228.*
21. *Bartholomæus* electus anno *1228.* obijt anno *1230.*
22. *Stephanus II.* electus anno *1230.* resignauit anno *1236.*
23. *Hugo VI.* electus anno *1236.* resignauit anno *1244.* factusq; Episcopus Lingonensis.
24. *Guillelmus I.* electus anno *1244.* resignauit Abbatiam anno *1250.* Episcopus Oliuensis factus.
25. *Iuo I.* electus anno *1250.* obijt anno *1275.*
26. *Iuo II.* electus anno *1275.* obijt anno *1289.*
27. *Guillelmus II. de Igniaco* electus anno *1289.* obijt vero anno *1295.*
28. *Bertrandus* electus anno *1295.* obijt anno *1308.*
29. *Henricus I.* electus anno *1308.* resignauit Abbat. anno *1318.* assumptus in Episcop. S. Flori.
30. *Raymundus I.* electus anno *1318.* Auenione in Curia Papali agens obijt anno *1322.*
31. *Petrus de Castro Lucij* electus anno *1322.* præfuit annos *22.* & tandem factus Epis. Valentinien. resignauit.
32. *Iterius Canonum Doctor insignis* electus anno *1344.* præfuit annos *4.* obijt anno *1348.*
33. *Hugo VII.* electus anno *1348.* præfuit annos *3.* & postea in manu Dom. Papæ resignauit, factusq; Carthusiensis.
34. *Andruinus* electus anno *1351.* & factus Cardinalis obijt anno *1361.*
35. *Simon* electus anno *1361.* obijt Abbas anno *1369*
36. *Ioannes de Pinn* electus anno *1369.* obijt anno *1374.*

37. *Iaco-*

37. *Iacobus I.* electus anno 1374. obijt vero anno 1383.
38. *Ioannes II. de Cosanno* electus anno 1383 obijt anno 1400.
39. *Raymundus II.* electus anno 1400. obijt Cluniaci 1416.
40. *Robertus I.* electus anno 1416. obijt anno 1424.
41. *Odo II* electus anno 1424. obijt Clun. 1456.
42. *Ioannes III. de Borbonio* electus 1456. obijt anno 1485.
43. *Iacobus II. de Ambasia* electus 1485. resignauit anno 1510. factus Episcopus Claromontensis.
44. *Gaufredus de Ambasia* electus anno 1510. obijt 1518.
45. *Aymardus* electus anno 1518. rexit annis 10. fuitq; simul Abbas Cluniacensis & Episcopus Albiensis; Anno vero Dom. 1528. mortuus. In cuius locum, à Conuentu electus fuit, per viam Inspirationis *Iacobus de Roy* Abbas S. Florentij & Decanus Cluniacensis, sed victus in Domino armatis precibus, cessit Denominationi Regiæ & Electioni coloratæ in fauorem Ioannis Cardinalis a Lotaringia. itaq;

*Joannes Cardin. à Lotaringia* titulo Commendæ accepit Cluniacum anno 1528. statimq; magna confusio in florentissimo Monasterio & amplissima illa Cluniacensi Congregatione subsecuta est, nam multa Monasteria in diuersis Prouincijs posita, vnita vero corpori Congregationis Cluniacensis, ab obedientiâ quam Cluniacensibus Professis Abbatibus vti Generalibus Præsidibus præstare solebant, actutùm recesserunt, neq; amplius Annalia frequentare Capitula, neq; Visitatores à Cluniacensibus missos admittere voluerunt. Eodem planè tempore & Nostrum Tynecense Monasterium, quod Cluniaco coloniam duxit, à Cluniacensi regimine defecit. Primus itaq; hic Cardinalis intrusus fuit, in quo libertas electionis suppressa est Obijt vero idem, anno 1550 cui successit, simili modo.

*Carolus Cardinalis Lotaringus* quoque, anno 1550. Hunc pari passu secutus est.

*Claudius à Guisia* an. 1575. qui triginta septē annis, prouentibus ditissimi Cænobij perfunctus, vitæ periodum sensit anno 1612.

*Ludouicus à Lotaringia* anno præfato 1612. in Commendatarium Abbatem apud Cluniacum institutus est. Huius deniq; Monasterij regimen & temporalium fructus deuenerant ad *Ioannem Principem de Contij* anno 1640.

Tanta vero amplitudo, maiestas, & iurisdictio Cluniacensis Monasterij Abbatisq; illius quondam fuit, vt duo millia Monasteriorum subiecta curæ suæ Prælationiq; Generalatûs, habuisse scribatur. Quæ Monasteria in Decem Prouincias distinxerat, suosq; Visitatores ad exercendum singulis annis munium delegabat. Prouinciæ autem, ita partitæ erant, scilicet in Prouinciam Lugdunensem, Franciæ, Prouinciæ, Pictauiensem, Aruerniæ, Vasconiæ, Alemaniæ, Lombardiæ, Hispaniæ, & Angliæ; vbi integra Regna & aliquando plura in vnius Prouinciæ appellationem veniebant. Abbatiarum autem, Prioratuum, Præpositurarum, & Decanatuum mediatè vel immediatè Cluniacensi Monasterio subditorum, Catalogum Don. Martinus Marrier Monachus S. Martini à Campis in sua Bibliothecâ Cluniacensi diffusius enumerat, vbi multa egregia, singulariaque de huius Congregationis laudibus ab eo recensentur.

§. 13.

## *Camaldulensis Congregatio.*

SVb anno 1000. à S. Romualdo Patritio Rauennate ortum habuit; Camaldulensisq; appellata est, à loco in quo primum sui noui instituti fundamenta habuit; cum enim habitum nigrum S. BENEDICTI, Classis apud Rauennam patriam suscepisset, ibiq; spatio trium annorum Monasticam probasset austeritatem, ad maiora vocatus, se ad eremum contulit, vbi crescente sanctitatis eius famà, antequam de habitus eius mutatione cogitaret, centum Cænobia extruxit sub norma eiusdem S. BENEDICTI, Propemodum in altissimâ specu in agro Aretino positâ, *Casam* cuiusdam *Maldi* incoluit, vnde suæ nouæ

nouæ Congregationi nomen à *Casa Maldi* deriuando & suis Monachis adaptando, breuiori vocabulo suos *Camaldulenses* appellari voluit, mutatis in albas vestibus nigris: Huius autem mutationis, visio ei facta, occasio fuit. Approbauit Religionē eorum, Alexander II. anno 1073.

Ex eadem Congregatione prodiêre Eremitani Montis Coronæ, & S. Michaelis de Muchno.

Agunt de hac Congregatione ex professo. Augustinus Camaldulen: *Emman. Rodriq. qq. reg. Tom. 1 p. 3. art 9. Suares & alij.*

§. 14.

## *Montis Coryli Congregatio.*

MOntis Coryli Congregatio, nuncupata à fonte *Corylo*, in monte *Apennino*, prope ciuitatem Calliensem, in statu Vrbinatensi. Instituta fuit, à Sanctissimo viro Landulpho Monacho Benedictino, circa annum Domini 1008. temporibus Joannis XVIII. & Henrici II. qui mutatis vestibus nigris, albo colore vtebatur. Hinc propter similitudinem colorum, scriptores sæpius decepti putârunt, esse eandem omnino Congregationem, cum Camaldulensi, cum vere diuersa sit, licet successu temporis, Cænobium *Coryli*, seu alias *de Auellana* cuius Venerabilis Petrus Damianus Commendatarius extiterat, vnitum fuerit Congregationi Camaldulensi, sicut etiam nunc vnitū remanet.

Agunt de hac Congregatione Nicandrus Carthus. *in 7. Tom. Surij, 22. Februarij.* Constantinus Caietanus *in Prologomenis de vita B. Petri Damiani.* Hieronymus Rubeus Rauen. *lib. 5. cap. 6. & seq.* Petrarcha *de vita solit. tract. 3. lib. 2. cap. 12.* Cardinal. Baron. *tom. 11. Annal. sub Anno 1072.*

§. 15.

## *Hirsfeldensis Congregatio in Germania.*

HIrsfeldensis Congregatio in Germania, initium sumpsit anno circiter 1030. sub D. Menghichero Abbate. De hac

Congregatione sis loquitur Joan. Trithemius lib 1. de vir. Il. Iustr. Ord. S. Benedicti cap. 9. *In Hirsfeldia etiam specialis reformatio pluribus annis viguit, quæ se ad multa Monasteria dilatauit. In alijs quoq; Monasterijs pluribus, magna olim reformatio iteratis vicibus incæpta est, quæ non paucis annis perdurauit. sed nullam vnquam reformationem generalem totius Ordinis factam inuenimus.* Ex quibus verbis manifestissimè constat hanc Congregationem aliquando, nequaquam distinctam fuisse à Cassinensi, & prædictum D. Menghicherum, aliqua Monasteria in Hirsfeldia sub strictiori Regulæ Benedictinæ obseruantiâ, reformasse.

De hac Congregatione agunt præter Trithemium *loco cit.* Chronica antiqua Cassinen. & Arnold. Wion. *2. par. lig. vitæ lib. 6: cap. 11.* Vbi fatetur de hac Congregatione, nihil amplius habere, nisi quod initium sumpserit, paulo ante vel post annum 1040. licet reuera incæperit anno supra dicto 1030. sicut testantur Chronica antiqua Cassinensia.

## §. 16.

## *Sanctimonialium Damianitarum Congregatio.*

SAnctimoniales fæminæ item, vulgò Damianitæ, Regulam S. P. BENEDICTI olim professæ sunt, vt videre est in multis Priuilegijs Ordini Damianitarum concessis, à diuersis Summis Pontificibus; & primò, Gregorio IX. suâ Constit. quæ incipit, *Religiosam.* sub Datum, Perusij, 3. Nonas Maij indicti. 8. Incarnatio: Dominicæ 1235. in qua hæc præcise verba habentur.

*Inprimis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus qui secundum DEVM, & S. Benedicti Regulam, atq; institutionem, Monialium inclusarum S. Damiani Assisinatis, in eodem loco institutus esse dignoscitur.*

Idem repetit in Constitutione, sub Datum Perusij, 10. Cal. Augusti; & in aliâ, sub Datum, Reate, 4. Calend. Augusti. Anno 1236. & in aliâ, sub Datum Viterbij, 18. Calend. Maij indicti 9. Incarnat. Dominicæ 1237. Innocentius IV. idem repetit

petit in suâ Constitutione, quâ quædam Priuilegia confirmat, Abbatissæ Monasterij S. Catharinæ Cæsar-Augustanæ, sub Datum Lugduni, 4. Nonas Octobris, anno 1246. Alexander IV. sub Datum Neapoli, 2. Calend. Maij, 1255. In quibus, & infinitis ferè alijs Constitutionibus, diuersis huius Instituti Monasterijs Sanctimonialium, varia priuilegia, gratiæ, & indulta, exemptiones, & libertates conceduntur; prout videre est in Annalibus Minorum duobus tomis digestis, per Fr. *Lucam Vadingum*, vbi in fine cuiusq; tomi, referuntur prædicta diplomata. Verum quidem est, quod nunc temporis, huiusmodi Moniales ferè omnes, Regulam Seraphici Patris Francisci acceperunt imitandam, prout sibi concessione Pontificum indultum est.

§. 17.

## *Congregatio Sanctimonialium Camaldulensium.*

SAnctimonialium Camaldulensium Congregatio frequentissima, in Italiâ præcipuè, Regulam S. BENEDICTI, & instituta Monachorum Camaldulensium sequitur. Quid de hac Congregatione sicut & de alijs Monialibus, quæ respectiuè secundum ritum Congregationum Monachorum, quæ modo extant erectæ fuerunt, & in maximâ obseruantiâ florent, particulariter referam, non habeo, nisi quod instituta Congregationis, sub qua militant, obseruant; Instituta verò particularia locorum, ex quocunq; particulari Monasterio, petenda sunt.

§. 18.

## *Congregatio Vallisumbrosæ.*

IN Hetruria extra Florentiam ad sedecim circiter milliaria, à S. Joanne Gualberto, circa annum Domini 1012. fundata est. Hic Sanctus in Monasterio S. Miniatis Ordinis S. BENEDICTI primùm Monachus Professus postmodum ad S. Romual-

mualdum conuolans, cæleste vaticinium ab eodem accepit, nouæ à se Congregationis instituendæ, quam Vallesumbrosæ dictam voluit, ex primario sui instituti Cænobio, in regione *Vallis - Pesa* inter Florentiam & Senas erecto. Congregatio hæc sub Protectione Sedis Apostolicæ ab Vrbano II. anno Dñi 1090. recepta est, & priuilegijs munita, confirmataque. Ex hac Vallumbrosana Congregatione originem traxit, alia Congregatio, *Syluestrina*, circa annum Dñi 1232. Et Congregatio *Vallumbrosella in Gallia*, cuius præcipuum Monasterium extructum fuit, à S. Ludouico Rege Galliæ. Et Congregatio *S. Arialdi & Sociorum Martyrum*. Agit de hac Congregatione Vallisumbrosæ diserte & copiose Don. Ascanius Tamburinus, Monachus eiusdem Instituti Vallumbrosani *lib. 2. de Jure Abbatum*.

§. 19.

## *Congregatio Sanctimonialium Vallisumbrosæ.*

SVB hac eadem Regula S. BENEDICTI & instituto S. Joannis Gualberti, quam plurima Monialium Monasteria in Italiâ & etiam in Gallijs erecta sunt. Quorum tres Principales fuere institutrices, S. Verdiana, S. Humilitas Fauentina, & B. Berta.

§. 20.

## *Congregatio Cauensis.*

CIrca annum Dñi 1050. à Monasterio S. TRINITATIS *Cauæ*, dicta & dilatata hæc Congregatio viguit. Eius Institutor fuit *S. Alferius* Abbas eiusdem Monasterij S. TRINITATIS *Cauæ*. Agit de hac Congregatione Wion. *lig. vitæ 2. par. lib. 5. cap. 11.* & Chronica antiqua Cassineñ. Hoc tamen Monasterium admodum venerandum, ac multis Priuilegijs Summorum Pontificum insignitum, cum omnibus suis Monasterijs & Ecclesijs, vnitum Congregationi Cassinensi.

§. 21. Con

§. 21.

## *Congregatio Viuariensis.*

EXcitata fuit sub Anno 1064. à quibusdam Monachis Abbatiæ *Castellensis*, & ideo à quibusdam Congregatio Castellensis nuncupabatur. Multa habuit Monasteria & præclara, & per 300. ferè Annos, cum magno Regularis obseruantiæ rigore, durauit. Agit de hac Congreg. Arnold. Wion. *2. par. lig. vitæ libr. 5. Cap. 11.* & Franciscus Pesan. Chronic Longobard: sub Anno D. 1064.

§. 22.

## *Sancti Lanfranci Congregatio in Anglia.*

CIrca annum Dñi 1077. sub Gulielmo Northmanno erecta est, ope Sancti Lanfranci, ascito sibi socio Nepote suo, Paulo S. Albani Abbate, adeó, quod Sancta obseruantia ijsdẽ cooperatoribus per omnia Angliæ Cænobia fuerit mirificè propagata. Hæc tamen Congregatio, sicut & aliæ, D. Benedicti Biscopij & S. Dunstani, superius recensitæ, in latiori quodam significato, nomen Congregationis sortitæ sunt. Non enim statis temporibus congregabantur in Capitulo Prælati, vt Regularis vitæ obseruantiam certis decretis præscriberent, quod ad propriam veræ Congregationis rationem, vt experientiâ satis compertum est, pertinere videtur. Congregationes ergo appellabantur, quia illis temporibus, Episcopi Diæcesani, Monasteria, tanquam Abbates, regebant, eratq; inter ipsos magis spontaneus piarum voluntatum consensus & conspiratio, quam legum inter se initarum necessitas vniformitatis ab ipsis tunc obseruatæ.

Agunt de hac Congregatione Clemens Raynerus *de Apostolatu Benedictinorũ in Anglia sect. 2. §. 2. & 3.* & monumenta diuersa in Archiuis Angliæ reperta simul cum Constitutionibus eius-

dem S. Lanfranci, pro Monachis sub hac Congregatione militantibus, quæ habentur in appendice eiusdem lib. *de Apostol. Benedictino.*

§. 23.

## *Sancti Arialdi Congregatio.*

SAncti Arialdi Congregatio ab eodem S. Martyre cum Socijs suis, ferè anno 1080. in ciuitate Mediolanensi excitata, & sub Instituto S. Ioannis Gualberti diu floruit in Gallia Cisalpina, & post Martyrium S. Arialdi & sociorum, à Beato Andrea Abbate Strumiensi, & discipulo S. Ioannis Gualberti moderata fuit, & postmodùm Congregationi Vallumbrosanæ vnita est, & Cænobia, tunc Congregationi S. Arialdi vnita, vt plurimùm Abbati Generali Vallis Vmbrosæ subiecta fuerunt.

Agunt de hac Congregatione Eudoxius Locatellus *in addit. M. S. ad vit. S. Ioannis Gualberti & Generalium eiusdem Ordinis* in addit. ad vitam B. Rodulphi II. Generalis Vallis Vmbrosæ; & item B. Andreas scriptor, & verbi Dei proclamator eximius, in suis Epist. quæ M. S. asseruantur in Bibliotheca Ecclesiæ nouæ, Romæ, & præcipuè, ex Epist. 18. quæ sic inscribitur *Arialdo alijsq; fratribus meis semper in Christo dilectis.*

§. 24.

## *Hirsaugiensis Congregatio.*

HIrsaugiensis Congregatio, à S. Guillelmo S. Aurelij Abbate, eodem omnino tempore nempe anno D. 1080 instituta est. De hoc S. Institutore loquitur Trithemius *libro 2. de Vir. illustr. Ordinis S Benedicti Cap. 102.* vbi ait. *Guillelmus Abbas Hirsaugiensis Cænobij in confinibus Sueuorum, Spirensis Diœcesis, B. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi specialis amicus, Vir in Diuinis Scripturis eruditus, & secularibus literis nobiliter instructus, non minus virtutibus, quam scientiâ venerandus; ita vt viuens adhuc in car-*

*ne lega-*

*ne legatur coruscasse miraculis, dum in ponte versus S. Aurelium de Maiori Cænobio transiens, claudum obuiantem sibi, precibus ad Deum fusis sanauerit. Scripsit non spernendæ lectionis opuscula, de quibus tantum vidi subiecta,* de Musica lib. vnum, de horologio lib. vnū, Constitutionum Monasticæ reformationis per eum in suo & alijs multis Cænobijs factarum, lib. duos *Correxit etiam* Psalterium, Epistolas ad diuersos plures edidit, quæ raro inueniuntur simul. *Monachus ante hac fuit S. Emeramni Ratisbonensis: inde ad Abbatiam Hirsaugiensem, omnium fratrum consensu, electus, præfuit ibidem annis 20. &c.* Hæc Congregatio postea ope S. Vdalrici Cluniacensis Monachi, in Germaniam à S. Hugone Abbate transmissi, mirificè propagata est, & multis Monasterijs aucta. Appellatur autē Hirsaugiensis quia in Monasterio apud Germanos valdè prospicuo, reformata fuit; aliquando etiam *Cluniacensis Congregatio Germaniæ* appellata est, ab Institutore, seu potius reformatore, Sancto Hugone Abbate Cluniacensi. De hac Congregatione agit Ioan. Trithem *lib. 1. de vir illustr. Ordinis S. Benedicti Cap. 9.* vbi præcisa huius Congregationis habet verba: *In Hirsauue sub Abbate Guillelmo Reuerendissimo valdè Viro Anno Dñi 1080. hæc reformatio in multa Cænobia diffusa fuit,* & Arnold. Wion. *2. par. lig. vit. lib. 5. Cap. 11.* & Chronica Cassinen. antiqua.

§. 25.

## *Grandimontensis Congregatio.*

GRandimontensis Congregatio, simul tempore & Anno 1080. instituta est, à S. Stephano Albanensi, sub Regula Sanctissimi P. Benedicti, Quæ Grandimontensis appellatur, cum à Monte pergrandi in Diæcesi Lemouicensi in Galliâ (vbi principale eiusdem Congregationis conditum est Monasterium) nomen acceperit. Non extenditur hæc Congregatio vltra terminos Galliæ, vbi Septemdecim habet Monasteria sub Regulâ Sanctissimi P. N. Benedicti, & quibusdam proprijs Con-

ſtitutiõnibus. Hanc Congreg. Grandim. Ioan. XXII PP. reformauit. De hac Congregatione agunt S. Antonin *par. 2. Hiſtor. tit. 15. Cap. 21.* Vincent: Lyrinen: *inſpec. lib. 25. Cap. 16.* Caſſaneus *in Catal. glor. mundi par. 4. conſid. 70.* Vitriacus etiam Cardinal. fusè de Grandimonten: *Hiſtor. Occid Cap. 19.*

§. 26.

## *Ciſtercienſis Congregatio.*

CIſtercienſis Congregatio ſic dicta à Valle Ciſtercij in Diœceſi Cabilonenſi in Burgundiâ apud Gallos. Condita eſt, à S. Roberto Abbate, ſub Anno 1098. Dicitur autem Ciſtercienſis à Ciſternis, in loco vbi primum Monaſterium extructum fuit, repertis, cùm præ nemoris, ſpinarumq; opacitate, locus ille acceſsu hominum inſolitus, à ſolis feris antea habitaretur, qui poſtea à S. Roberto & ſocijs, voce è cælo demiſsâ, eundem locum, ad Regularis obſeruantiæ, aptiſsimũ confirmante, cum illis quærentibus dictum fuerit; *Hic veſter locus eſt*, excultus fuit, & celeberrimum Monaſterium ibidem erectum eſt. Protulit hæc S. Congregatio Pontifices Summos 6. S. R. E. Cardinales 39. Archiepiſcopos 800. Epiſcopos 1400. Reges & Reginas eorumq; filios ac filias 36. Duces & Ducillas 28. Sanctos Canonizatos & Cleuatos, quorum ſolennitates, officio Eccleſiaſtico, varijs in locis recoluntur, ſupra quingentos. Dixi, *Sanctos Canonizatos & eleuatos*, non numerando SS. Martyres, quorum numerum vt ita dicam, innumerabilem nondum inueni. Scio quod in ſola Calatrauæ Religione Militari huius Congregationis Ciſtercienſis, bis mille Martyres huius Sancti Inſtituti recoluntur, qui ob fidem Chriſti varia tormenta paſſi ſunt, & eorum corpora ſummâ religione in Sacello quodam, quod, *S. Maria ad Martyres* appellatur, aſſeruantur. Dixi, *Quorum ſolennitates officio Eccleſiaſtico &c.* quia in ſola Abbatia Claræuallenſi ſunt pluſquam ſexcenti, quorum reliquiæ

reliquiæ Ecclesiastica auctoritate translatæ fuerant, & tanquam Beatorum pignora, summâ veneratione coluntur. Ita dilatata est Congregatio Cisterciensis, vt eius Monasteria numerarentur, tria Millia, & quinquaginta duo, excipiendo huius Instituti Militias, nempe Calatrauæ, Alcantaræ, Montesiæ, & Nominis Sanctissimi IESV, Sancti Michaelis siue de Ala, Milites templi, Sancti Iuliani de Pereyro, Milites Auisienses, & Milites Sancti Mauritij de Sabaudia, & alias quas infra referam.

Agunt de hac venerabili Congregatione, S. Antonin: *p. 2. tit. 18. Cap 12. §. 18.* Cassan. *in Catal. glor. mundi, à 4. consid. ad 58.* Christophor. Gonzales in vita S. Bernardi. Polyd. Virg. *de Inuent. libr. 7. Cap. 2.* Platus *de bono Status relig. lib. 2. Cap. 22.* Paulus Morig *de Orig. Relig. lib. 1. Cap. 28* Syluester. Marul *in Ocean. Relig* Angelus Manriquez *in specul. hist. lib. 23. Cap. 94.* Illescas. *in hist. Pont. par. 1. lib. 5. Cap. 15.* Hieronym. Rom: *de Repub. Christ. lib. 6. Cap. 12.* Azor. *Institut. Moral. par. 1. lib 12. quest. 2.* Renatus Choppin *lib. 2. tit. 1. n. 22.* Barnabas de Montalto *in suis Chronic. sæpe* Cardinal. Baron. *tom. 11 sub Anno Christi 1089.* & alij quam plurimi.

§. 27.

## *Fontanensis Congregatio Eremitarum.*

FOntanensis Congregatio Eremitarum, instituta fuit anno Dñi 1120. à Richardo Monacho Cisterciensi, qui Regulam Benedictinam à iuuentute professus, magno desiderio eam rigidius seruandi, inspiratione Diuinâ tactus, in asperâ solitudine Fontanensi, cum alijs Monachis, hanc Religionem, sub austera & rigidissima vita instituit, & se Beatissimi Patris Bernardi magisterio subiecit; ideo mellifluus Doctor prædictus, Beatum Richardum, & socios, Institutores sibi adhærentes, sub directione sua amplexus est, & piam hanc vitæ mutationem approbauit, data illis sequenti Epistola scilicet.

*Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & Fratres nostri vterq; Gaufridus*

*fridus annunciauerunt nobis, quemadmodum nouiter recaluiſtis igne DEI, conualuiſtis de infirmitate, refloruiſtis in nouitate Sancta; digitus DEI eſt iſte ſubtiliter operans, ſuauiter renouans ſalubriter mutans. non quidem de malis bonos, ſed de bonis faciens meliores; quis dabit mihi vt tranſeam, & videam viſionem hanc magnam, hæc enim minus mira, minusq; iucunda iſta promotio eſt, quam illa mutatio, niſi quod multo facilius reperias, multos ſæculares conuerti ad bonum, quam vnum quempiam de Religioſis, tranſire ad melius. Rariſſima auis in terris eſt, qui de gradu quem fortè in Religione ſemel attigerit, vel parum aſcendat, Veſtrum proinde dilectiſſimi tam inſigne, quam ſalubre factum, non ſolum nos, qui ſerui veſtræ ſanctitatis eſſe percupimus, ſed & vniuerſam merito lætificat ciuitatem DEI, quippe, quo rarius eo & charius. Erat autem, & neceſſarium ad cautelam proximam defectui, mediocritatem tranſcendere, & declinare teporem, qui DEO vomitum prouocat, ſed & ſi oportebat, propter conſcientiam, Profeſſis quidem Sanctam Regulam, an citra eius puritatem ſiſtere gradum, tutum ſit ipſi ſiſtenti.*

Hæc Religio Eremitarum Ciſtercienſium tam rigoroſa, mirum in modum propagata eſt, & diffuſa in Anglia, & præcipuè in Comitatu Richmendiæ. Agunt de hac Congregatione *Nicolaus Haſpeldius*, quem citat, & ſequitur *Chriſoſtomus Henri*, quez ſæpe in ſuo Menolog. præcipuè ſub die 15. Maij & *Petrus Loyes in tract. de progreſſ. Angliæ lib. 8. Anno 1120.*

§. 28.

## *Fontis Ebraldi Congregatio.*

FOntis Ebraldi Congregatio, in Diæceſi Pictauienſi in Galliâ, à S. Roberto Bleſio vel potius Bleſellio, Pariſienſi Monacho Benedictino initium, ſicut & à celebri Fonte iuxta quem primùm huius Congregationis Monaſterium extructum eſt, nomen accepit.

Statuerat vero prædictus Fundator, vt exemplo S. Joannis Euange-

Euangelistæ viri, Virginibus seu mulieribus parcerent, & hæ vicissim Beatissimæ Virginis MARIÆ exemplum sequentes, Religiosos tanquam filios amplecterentur, iuxta illa Saluatoris verba *Ecce filius tuus. Ecce Mater tua.* Proinde Abbatissa omnibus imperat. In ipso vero Fonte Ebraldi, intra vnius velut oppidi ambitum, sunt quatuor Monasteria, tria Monialium quæ sunt circiter Ducentæ, & vnum Monachorum qui sunt propè quadraginta & suum habent Priorem, subsuntq; Abbatissæ loci, quæ solet esse ex Regio sanguine vt plurimum. Habent præter Regulam S. P. BENEDICTI Constitutiones pro viris & fœminis separatas. Approbata hæc Congregatio à multis Pontificibus; temporibus vero Xisti IV. Pont. Max. ad normam Regulæ S. BENEDICTI reformata; duratq; adhuc hæc reformatio in sexaginta circiter Prioratibus; suntq; huius Congregationis Monasteria nonnulla in Hipsania potissimum tamen in Gallia reperiuntur; olimq: fuere etiam in Anglia.

Agunt de hac Congregatione Aubert. Miræus *Orig. Monast. lib 2. cap. 10.* Barbosa *de iure Eccl. lib. 1. cap. 41.* Tamburinus *de iure Abb. lib. 2.* Gulielm. Tyrus *lib. 14. cap. 20.*

§. 29.

## *Mellicensis Congregatio.*

A Celeberrimo Mellicensi Austriæ inferioris Monasterio, non longè Viennâ condito, & à Calixto II. consecrato, appellata. Instituta verò fuit, circa annum Dñi 1122. à Sigibeldo eiusdem loci Abbate; floruitq; in multis & præcipuis Germaniæ Monasterijs, habuit etiam proprium Breuiarium & Cæremoniale secundum Regulam S. BENEDICTI.

Agunt de hac Congregatione Arnold. Wion. *2. par. lig vitæ lib. 5. cap. 11.* Trithem. *de viris Illustr. Ord. S. Bened.* Tamburinus *de iure Abbatum.*

§. 30.

## *Sauigniacensis Congregatio.*

ANno Christi 1121. tempore D. Bernardi instituta fuit, in præclaro Cænobio Sauigniacensi, à quo & nomen fuit sortita. Quæ quidem Congregatio ex triginta Monasterijs counita, Vniuersali instituto Diui Bernardi, præsente Eugenio III. PP. à B. Serleone Sauigniacensi Abbate, cum prædictis 30. Cænobijs aggregata est, quæ prædictus Abbas Sauigniacensis huius Congregationis Generalis eo tempore gubernabat.

Agunt de hac Congregatione Chrisost. Henriq. *in suo Menologio*, & Paulus Longius *in Chronic. ad Annum* 1122. & Tambur.

§. 31.

## *Montis Virginis Congregatio.*

A S. Guilelmo Vercellensi Monacho Benedictino excitatur in Monte Virgiliano, (in quo olim Virgilius Poeta celeberrimus amænissimum hortum habuit,) sub anno Dñi 1121. In quo Monte, Venerabilis Ecclesia sub titulo Beatissimæ Virg. Constantinopolitanæ, à Balduino Imperatore constructa est, qui eandem Ecclesiã pretiosis Reliquijs, ornamentis, & Priuilegijs donauit. Fuit hæc Congregatio confirmata ab Alexandro III. & Lucio III. & Cælestino III. à iurisdictione quoq; Episcoporum exempta, & ab oneribus secularium Principum liberata, soliq; Rom. Eccl. censualis subiecta. Huius Congregationis sunt Monasteria circiter 40. quibus præest Generalis triennalis. Ab Vrbano IV. Abbas Montis Virginis vsum Pontificalium, benedictionem calicis, & ornamentorum Ecclesiasticorum, Mucetamq; accepit, & inter Vasallos cognoscit de Matrimonijs.

Agunt de hoc Ordine Carolus Zappia. Thomas Costus. Ouidius de Lucijs Monachus huius Congregat. Arnold. Wion. Tamburinus, &c.

§. 32. *Gil.*

§. 32.

## Gilbertana Congregatio.

A S. Gilberto de Sempingam, in Episcopatu Linconiensi Angliæ anno Dñi 1148. condita, & ab Eugenio III. approbata fuit. at penitus decursu temporis extincta, sicut nunc quoque in tota Anglia regnat hæresis, & Catholica fides proscripta, iam plus quam centum annis.

Meminere huius Congregat. Benedictinæ, Gulielmus Neubrigensis de rebus Angliæ *lib. 5. cap. 16.* Trithemius. Sigebertus Monachus Benedictinus eiusdem Congregationis.

§. 33.

## Guilielmitana Congregatio.

A S. Guilielmo Aquitaniæ ac Pictauiensium Duce, circa annũ Dñi 1156. sub Anastasio IV. initium sumpsit. Conuersionis eius occasio & modus, ex vitâ eiusdem internoscitur. Cæterum pænitens ipse, Socios huiusmodi vitæ, sub certis *Constitutionibus*, & *sub Regula S. Benedicti*, ordinauerat, eratq; hæc Congregatio sub Regula S. BENED. vsq; ad Alexandrum IV. sub quo, cum alijs Eremitis, Regulam S. Augustini assumpserunt. Eos tamen à principio institutionis seruasse *Benedictinam Regulam*, præter fidem Historicorum plurium, ex Bullâ Alexandri IV. colligitur, vbi hæc verba habentur. *Vt Ordo Monasticus qui secundum DEVM & B. Benedicti Regulam institutus esse dignoscitur*: verum nunc etiam in Monasterijs Franciæ & Belgicis, Guilielmitas, iuxta præscriptum Regulæ S. BENEDICTI viuere, & Canonicas Horas persoluere, argumento est; quod Festis diebus, & Dominicis, duodecim lectiones in Nocturnis Horis recitare soleant, cum tamen Augustiniani non nisi nouem lectiones legant. Insuper, S. BENEDICTVM vt Ordinis sui Patriarcham colunt, eiusq; imagines & sacras statuas, vti Pa-

tris & legislatoris sui, publicæ venerationi expositas, in templis proprijs habent, quod Aubertus Miræus Originum Monasticarum *lib. 1. cap 7.* testatur, apud Guilielmitas se vidisse & considerasse. Et quanquam *Volaterranus, Iacobus Bergomensis, Iosephus Pamphilus, Onuphrius,* Guilielmitas sub Sancti Augustini Regulâ semper & vbiq; vixisse contendant, contra illos tamen, *Sampson Haius* Guilielmita Parysiensis, libro de veritate vitæ & Ordinis Sancti Guilielmi, Parysijs anno 1588. edito, probat disertè, Ordinem Guilielmitarum Regulam Benedictinam sequi, & actus suos componere, Benedictino Breuiario vti, & cætera exercitia ad præscriptum Regulæ S. BENEDICTI facere &c. Quicquid tamen sit, non nego, multa olim Guilielmitarum Monasteria Eremitanis Augustinianis, præsertim in Italia, accessisse. de quo, legatur *Miræus* loco citato. & Tamburinus *de iure Abbatum lib. 2.*

§. 34.

## *Florensis Congregatio.*

IN Calabriâ â B. Joachimo, Monacho Histesiensi, & Abbate Corazij instituta est, propè Cosentiam anno 1196. sub Cælestino III. Qui Joachimus magnæ doctrinæ vir, & excellentissimæ vitæ, ingenij propè Diuini, apud Guilielmum Regem Italiæ & Calabros omnes clarus & inclytus habitus est; qui Prophetico Spiritu repletus, futura quasi præsentia differebat, quemadmodum de eo legitur, *Inscriptio publica* in Archiepiscopali Ecclesia Cosentina. Et quanquam in libro aduersus Petrum Lombardum Magistrum Sententiarum errauerit, circa Processionem S. Spiritus, & Distinctionem Personarum Diuinarum, hunc tamen Censuræ R. E. subiecerat, nec vnquam contumaciter contra sensum Ecclesiæ Vniuersalis iuit. Hæc Florensis Congregatio, Cassinensi nunc vnita manet. cuius recordationem faciunt *Siluester Marulus in Oceano Relig. Posseuin. Barbosa, Tamburinus.*

§. 35. *Humi-*

§. 35.

## *Humiliatorum Congregatio.*

HVmiliatorum Congregatio à quibusdam Nobilibus Mediolanensibus instituta est: cum enim post dirutam patriã ab Henrico I. Ænobarbo iussi fuissent in Germaniam abire exules, inde humilitate & precibus, regressum in Mediolanum iterum sunt adepti: quia vero vestes albas iam induebant, in ijsdem postea vestibus DEO inseruire secundum vsum Monachorum & normam S. BENEDICTI impetrarunt, anno 1196. sub Cælestino III. (*Fertur tamen à multis, Institutorem fuisse B. Joannem Sacerdotem Comensem, quia ipse inter Nobiles prædictos primus erat & præcipuus.* Hanc Congregationem satis amplam, & 94. Præposituras opimas, quarum annuus prouentus plusquam 30000. aureorum æstimabatur, possidentem, Pius PP. V. sui regiminis tempore extinxit, omnes vero illorum Abbatias, Præposituras, & bona, Sedi Apostolicæ reseruauit, vt ex Bullâ eiusdem, quæ incipit. *Quemadmodum solicitus Pater, &c. colligitur.*

Agunt de hac Congreg. *S. Antonin. 2. par. hist. tit. 25. cap. 22. Pol. Virgil. de inuent. rer. lib. 7. cap. 2. Barbosa. Tamburin.* Insignem vero illorum pietatem & merita quondam clarissima, iusto Elogio Jacob. Vitriacus Cardinalis, exornauerat, apud quem legi poterint.

§. 36.

## *S. Pauli Primi Eremitæ Congregatio.*

S. Pauli Primi Eremitæ, Congregatio ab Eusebio Strigoniensi in Monasterio S. Jacobi Patachij, in Regno Vngariæ, plantata est anno Dñi 1215. Huic Congregationi, quia Paulus Vesprinensis Episcopus, quædam Sancti Pauli primi Eremitæ præcepta indixit seruanda, & de facto talibus institu-

tis vtebantur, cum præscripta tamen Regulâ S. P. BENEDICTI; Congregatio appellata est, *Sancti Pauli primi Eremitæ.* Iam verò modo, post recognitionem ante nonnullos annos, Romæ, de hoc Ordine factam, huius Instituti Cœnobia, præscriptũ Regulæ S. Augustini sequuntur; quæ per Poloniam & Vngariam non pauca inueniuntur: Czestochouiense tamen in Polonia, ob cultum Imaginis Miraculosæ B. M. V. reliquis clarius deprædicatur.

Meminit huius Congregationis *Tritbem. Abbas libro de Viris Illustr. Ord. S. Bened. & Arnold. Wion 1. par. ligni vitæ lib. 1. cap. 71. & Tamburin.*

§. 37.

## *Siluestrina Congregatio.*

SIluestrina Congregatio incæpit Anno 1231. Institutore Sancto Siluestro Gozzolino nobili Auximanensi, qui dum esset Monachus Vallisumbrosæ, Diuino commotus Spiritu, in monte *Fano* propè Fabrianum huius Congregationis prima iecit fundamenta; fuitq; primùm subiecta Congregationi Vallisumbrosæ, at nunc separata manet, & auctoritate vnius Abbatis Generalis, qui per triennium durat, habetq; omnia Priuilegia, quibus gaudent alij Abbates, regitur & gubernatur. Confirmata fuit, ac Gratijs & Exemptionibus roborata per Innocentium IV. anno 1258. Exiêre ex hac Congregatione homines, tum Sanctitate, tum literis illustres, quorum Catalogum *Siluester Marulus* in Ocean. Relig. lib. 3. recenset.

Agunt de hac Congregat. *S. Antonin. Cassaneus. Azor. Tambur.*

§. 38.

## *Vallumbrosellæ Congregatio in Gallia.*

VAllumbrosellæ Congregatio excitata est in Gallia à S. Ludouico Francorum Rege, qui mirâ, erga S. Ioannem Gualbertum

tum Institutorem Congregationis Vallis-umbrosæ deuotione affectus, à B. Benigno tunc Abbate Generali Vallis-umbrosæ, manu dexterâ eiusdem S. Ioan. Gualberti obtentâ, in honorē tanti Viri, regium condidit Cœnobium propè Lutetiam Parisiorum, eidemq; alias vniuit Abbatias, in quibus Institutum Monachorum sub Regula Sanctissimi Legislatoris Benedicti, & Vallumbrosanis sanctionibus, collocauit, & postea successu temporis in Gallia, & præcipuè in Delphinatu propagata est; licet communiter appellentur *Monachi Benedictini*, non solum propter Regulam Benedictinam quam sequuntur, verumetiam, quod ab eisdem Monachis Benedictinis sæpè sæpius reformationem & moderationem acceperunt.

Agunt de hac Congregat. *Eudoxius Locatel lib. 2. vitæ S. Gualberti. Blasius Millanesius Generalis Vallis-umbrosæ in tract. de miraculis & reliquijs S. Gualberti. Choppinus, Tamburin.*

§. 39.

## *Vallis Caulium Congregatio.*

VAllis Caulium Congregatio propè Diuionem vrbem Galliæ in Ducatu Burgundiæ instituta est, à Viardo quodam Monacho Benedictino anno Dñi. 1240. sub Gregorio IX. à quo, fertur, confirmata fuisse. Vtitur prædicta Congregatio, Habitu & Constitutionibus Cisterciensium, & in paucis Monasterijs reperitur, neq; extra fines Galliæ, imò vt aliqui dicunt, Ducatum Burgundiæ non egreditur.

Agunt de hac Congreg. *Cassaneus in Catal. glor. mundi par. 4. Consideratione 58. Jacob Vitriacus in Hist. Occident. Cap. 17. Tamburinus.*

§. 40.

## *S. Nicolai de Arenis Congregatio.*

SAncti Nicolai Congregatio in Sicilia apud Catanam ciuitatem circa annum Dom. 1300. incæpit. Quando viguit, sem-

per Breuiario proprio vſa eſt; nunc vero vnita manet Congregationi Caſſinenſi, quæ vnio anno 1506. contigit.

Agunt de ea *Arnold. Wion. 2. par. ligni vitæ Cap u Tamburinus.*

§. 41.

## *Cæleſtina Congregatio.*

CÆleſtina Congregatio Duce & Authore S. Petro de Murone, Monacho Benedictino, poſtea ad Pontificatus apicē aſſumpto, S. Petro Cæleſtino nuncupato, fundatur anno 1274. & ab eius nomine, denominationem Cæleſtinorum ſortita eſt. Creuit Congregatio Cæleſtina in modum: per Germaniam, etiam, Galliam, Hungariam, viginti duo Monaſteria ſatis ampla poſſidet, quæ eidem Congregationi & Abbati Generali ſubduntur. Confirmata & approbata fuit, non ſolum à S. Petro Cæleſtino Summo Pontifice, ſuâ Conſtitut. prima, quæ incipit. *Etſi cunctos.* 5. Kal. Octob. 1294. vbi ordinat *Statuta Congregationis*, & multis gratijs, priuilegijs, ac indultis eandem ſuam Congregationem gaudere concedit: ſed etiam eandem confirmat & ſub protectionem Sedis Apoſtolicæ accipit Benedictus XI. Anno 1304. in ſuâ Conſtit. quæ incipit *Religioſam vitam eligentibus.*

Per ſolam Italiam hæc Congregatio, habet Monaſteria 96. & fæcunda Sanctorum & illuſtrium virorum Mater eſt.

§. 42.

## *Vallis Scholarium Congregatio.*

VAllis Scholarium Congregatio Galliæ in Campania, inſtituta eſt circa A. D. 1201. eius authores fuerunt quatuor Lutetiani Theologiæ Profeſſores, Guilelmus, Riccardus, Euerardus, & Manaſſes, qui cælitus inſpirato eorum diſceſſu, in abditam Vallem Campaniæ Belgicæ, Lingones verſus, ſuam

Con-

Congregationem instituerunt, quam Lingoniensium Præsul Anno 1203. & Honorius III. Summus Pontifex Non. Martij anno 1218. approbarunt & confirmarunt. Extat Diploma Ioannis XXII. sub die 1. Augusti anno 1319. vbi habetur Exemptio Vallis Scholarium ab Ordinarijs & Diæcesanis Episcopis.

De isto Ordine Vallis Scholarium asserit Arnold. Wion. 1. par. ligni Vitæ Cap. 71. Regulam S. Benedicti secutum fuisse; licet modo ex Renat. Chopp. *lib. 2. Monasticon. tit. 1. n. 6.* Regulam S. Augustini sequatur. Multas alias exemptiones huius Congregationis, Priuilegia & immunitates diuersorum Summorum Pontif. refert idem Choppinus loc. cit. & de Sacra Politia *libro 1.*

Agunt de hac Congreg *Arnol. Wion. Genebrardus Chronologiæ lib. 4. Siluest Marul. in Ocean. Religion. lib. 3. Tamburinus.*

## §. 43.

## *Oliuetana Congregatio.*

OLiuetana Congregatio sic dicta à Monte Oliuarum in Comitatu Ilcinensi Diæcesis Aretinæ non longè à Senis, & hodie dicitur *Mons Oliuetus maior.* Hæc Congregatio instituta est, à tribus Nobilibus Senensibus, B. Bernardo Ptolomæo Philosophiæ Professore, Ambrosio Picolomineo, & Patricio de Patricijs, anno 1319. sub Pontif. Ioan. XXII. qui eam approbauit anno 1324. vt habetur in eius Constitut. 1. sub Kal. Iun. in Appendice Bullarij Laertij Cherubini Oliuetani, à solutione Decimarum per Pium II. Pont. Max. anno 1462. exempti sunt: gaudentq; Priuilegijs Cassinensium: Regulam S. P. Benedicti profitentur, & habitum candidum deferunt, multiq; eorum Ecclesiasticas Dignitates obtinent, habent vero non pauca sui Instituti Monasteria per Italiam, Siciliam, &c.

Agunt de hac Congregatione *Arnold. Wion. Barbosa Tamburinus & alij.*

§. 44. *Be-*

§. 44.

## *Benedictina Congregatio Nigrorum Monachorum in Anglia.*

SVB anno 1335. veræ & propriæ Congregationis formam sumpsit, ac proinde ponimus ipsam ijsdem temporibus incæpisse, cum antea sub latiori quodam Instituto, quod nec Communitatem neq; certorum præceptorum præscriptionem sapiebat, vigeret. Huius Institutor, cum non vnus fuerit, designari indiuidualiter nequit, Tamburinus tamen Scriptor grauis & alij censent, per Episcopos illos Sanctos, Augustinum, Dunstanum, Lanfrancum, &c. introductam fuisse: postmodum vero illius instituti quasi reliquias quasdam, in vnum viuendi modum restrinxit, circa annum supradictum Concilium Lateranense, & postea Constituto Benedicti XII. confirmata & aucta hæc Congregatio, & in dies, optimis institutis Decretisq; Patrum in Capitulo congregatorum editis exornata & amplificata, vsq; ad Monasteriorum vltimam sub Henrico VIII. Angliæ Rege vastationem perseuerauit. Maxima quidem erat huiusmodi Congregatio, & quo ad numerum Monasteriorum in Regno Britanniæ, & quo ad Honores & Dignitates: nam Abbatijs vsq; ad numerum 24. præerant Abbates, qui locum & suffragium habebant in Comitijs Parlamentaribus Regni: Abbatiæ iterum sedecim regebantur à Prælatis computatis inter Barones Regni Spirituales: Prioratus nouem Cathedrales, quorum Abbates erant Episcopi, & Monachi erant loco Canonicorum: Prioratus Capitulares quatuordecim, & octo Monialium Monasteria insigniora, quæ tam ab Episcopis quam à Visitatoribus Capitularibus visitabantur. Hæc præcipua Monasteria, multos alios Prioratus & Monialium domos subditas habebant, quas videre poteris apud Raynerum, *libro de Apostolatu Benedictinorum in Anglia sect. 2. §. 3. pag. 211. & seq. & in Appendice ad proprium librum in fine.*

§. 45. S. Bur-

§. 45.

## *S. Burgæ Viduæ seu Brigittæ Congregatio.*

INstituta est A. D. 1340. in Anglia, à prædicta S. Burga, quæ Congregatio in paucis Monasterijs dilatata est, & tempore maioris ruinæ Anglorũ & vastationis Diuini cultus extincta est. De hac Congregat. *Tritbem. lib. 1. de vir. Illustr. Ord. S. Ben. Arnold. Wion. Tamburinus.*

§. 46.

## *Genuensis Congregatio.*

QVæ & Sancti Hieronymi de Siluaria à quibusdam nuncupatur, instituta fuit in Liguria extra quam non egrediebatur. eius author & institutor, secundum opinionem Tamburini, incertus, nunc Cassinensibus aggregata est.

§. 47.

## *Bursfeldensis Congregatio.*

QVO tempore Concilium Constanciense A. C. 1420. terminabatur, tunc instituta est, hæc Congregatio Bursfeldensis in Cænobio Saxoniæ, dicto Bursfeldia. Mirificè propagata est hæc Congregat. per Germaniam, multaq; sub se Monasteria continet, & viris Doctissimis grauissimisq; abundat, vt pote, in cuius gremio Illustrissimi Abbates S. R. I. Principes, Fuldensis, Campidonensis, San-Gallensis continentur.

Agit de ea copiosè Joan. Trithemius Abbas Spanhemensis, cuius quoq; Congreg. Præses fuit & sæpius Visitator

§. 48.

## *Cistercienfis Congregatio Regularis Obseruantiæ in Regnis, Castellæ, Legionis, Galliciæ, Asturiæ.*

INcæpit anno 1426. in Monte Sion, non procul ab vrbe Toletana, authore V. Patre Martino de Vargas, qui assumpto

Ciſtercienſium habitu in Monaſterio S. MARIÆ de Petra apud Celtiberos, atq; ibidem laureâ Doctoratus I. V. & S. T. inſignitus, deplorandum ſtatum Monaſticæ Profeſſionis, qui tunc ſub Abbatum Secularium Commendatariorum miſerâ ſeruitute gemebat, ſuo priſtino vigori reſtituit, obtentâ à Martino V. Sum. Pont. licentiâ huius S. Reformationis & confirmatione. Hæc reformata Congregatio, hodie 50. amplius Monaſteria Abbatialia complectitur, præter Prioratus Monachorum, & non pauca Virginum Cænobia. Porro huius Congregationis Abbates non ſunt perpetui, ſed triennales, qui ſingulis triennijs ad Comitia Ordinis veniunt, & lecto prius Præſide Generali, ſingulorum Monaſteriorum Abbates poſtmodum deſignantur. Habet hæc Congregatio varia Collegia Philoſophica & Theologica, in quibus Monachi Ciſtercienſes, optimis diſciplinis ac moribus imbuuntur. inter alia, èminet *Salmanticenſe* Collegium, titulo Beatæ Virginis Lauretanæ clarum, & *Complutenſe* quod eâ in vrbe pro Ciſtercienſibus Ludouicus Strada Abbas Hortenſis fundauit; ex quibus, plurimi Monachi Doctores, & facultatum publici profeſſores, quos *Cathedraticos* vocant, viri celeberrimi, plurimi item Concionatores facundiſſimi, velut ex Equo Troiano, quotidie prodeunt, magno fidelium & Eccleſiæ commodo, nec minore Ciſtercienſium gloria.

Agit de hac Congregatione *Chriſoſtomus Henriquez in Menologio Ciſterc. par. 1. Tamburin. Wion.*

§. 49.

## *S. Bernardi Congregatio Ciſtercienſis in Italia.*

INſtituta eſt anno Dñi. 1497. inſtante Mediolanenſium Duce Ludouico Maria Sforfia, prout clarè habetur in Bulla Erectionis per Alexandrum VI. edita, quæ incipit *Plantatus*. anno 1497. confirmarunt eandem Julius II. Sixtus V. Gregorius XIV.

rius XIV. & priuilegijs gaudet toti generaliter Cisterciensium familiæ concessis.

Agit de ea *Henriquez de Priuileg. Cistert.*

§. 50.

## *Sagiensis Congregatio Benedictina.*

INstituta fuit circa annum 1454. & Regulam S. BENEDICTI summo cum rigore tenuit. Vnitam nunc Vallisoletanis audiui. Videatur *Arnold. Wion.* & Carolus Fernandez in lib. de Obseruan. Regulæ S. BENEDICTI, ad Sagienses Monachos directo, in quo, eorum sacrum rigorem collaudat.

§. 51.

## *Casalis S. Benedicti Congregatio.*

HÆc circa annum Dñi 1494. reformata fuit in Gallia, vt habetur ex Constit. Leonis X. quæ incipit *Sacrosancta A 1516.* Alexander VI. alia Priuilegia eidem Congregationi concessit. In Gallia, hæc Congregatio habet Monasteria 15. virorum, & totidem, Monialium.

Agunt de ea *Barbosa lib. 1. de iure Eccl. Renat. Choppin. lib. 1. Monasticon. Tamburinus.*

§. 52.

## *S. Iustinæ de Padua, alias Cassinensis Congregatio.*

HÆc primò, circa A. D. 1410 efflorescere & ad pristinum Benedictinæ Obseruantiæ vigorem, Vniuersali Reformatione per Dñ. Ludouicum Barbo Patritium Venetum factâ, reduci cæpit. Cum enim in quibusdam Italiæ Prouincijs, si non vbique, arbor Diui Patris Benedicti, non modo incuruata, sed decrepita quodammodo facta, ariditate suâ periret, electus est à DEO pientissimus ac Nobilissimus vir prædictus, qui Ab-

bas S. Justinæ de Padua ex Canonico S. Georgij de Alga creatus, suam emisit Professionem secundum Regulam S. P. BENEDICTI; statimq; se totum Reformationi, adiuuantibus duobus Monachis, quorum alter multo ante, huiusmodi reformationem in Spiritu se præuidisse asserebat, conuertit, & exemplo ac exhortationibus negotium mente conceptum, ad opus tandem redegit.

Hæc autem reformata Congregatio, tunc sub denominatione *Congregationis siue Vnionis S. Justinæ de Padua* quam sibi à Monasterio, in quo inchoata fuerat, vsurpauerat; tandem ob reuerentiam Archi-Cænobij Sacri Montis Cassini, sub denominatione *Cassinensis Congregationis* anno Dñi 1503. authoritate Pontificiâ, vocari cœpit. Abbates huius almæ Congregationis Cassinensis, vtuntur Pontificalibus, benedicunt populum, & consecrant lapides pro altarium vsu; & licet non sint Episcopi, iura tamen Episcopalia & omnimodam iurisdictionē exercent; & alicubi Diæcesim habent, vt ex multis probat Rota in *Sorona. Beneficij. 8. Martij 1627. coram R. P. D. Merlino.*

§. 53.

## *Congregatio Camaldulensis S. Michaelis de Murano.*

SAncti Michaelis de Murano Congregatio Eremitarum instituta est ante tempora Leonis X. ac in multis Monasterijs, in quibus vita Eremitica, sub Regula Sanctissimi P. BENEDICTI, & Institutis S. Romualdi Abbatis propagata est, creuit: postea vero sub prædicto Leone X. redacta fuit hæc Congregatio & vnita Congregationi Eremi Camaldulensis, vt ex Bulla Leonis, sub Dat. Romæ 4. Non. Julij. 1513. colligitur. In qua Constitutione, licet etiam vniuerit Eremitas Montis Coronæ eidem Camaldulensi Congregationi, tamen Paulus III. in Constit. 1. quæ incipit *Rationi* 3. Non. Nouemb. 1533. illos separauit, & distinctam Congregationem à Camaldulensi declarauit, vt ait Barbosa, *lib. 1. de iure Eccl. cap. 41. n. 46. Tambur.*

§. 54. Mon-

§. 54.

## *Montis Coronæ Congregatio.*

MOntis Coronæ alias Grotana Congregatio à Paulo Justiniano Patritio Veneto & Eremita Camaldulensi instituta fuit, circa annum Dñi 1520. Is feruentiori desiderio DEO inseruiendi, eidemq; religiosum famulatum cumulandi accensus, ab Eremo Camaldulensi secedens, impetratis antea à Sede Apostolica literis, quibus liceret Congregationem extendi apud oppidum Mastucium, quia speluncarum habitator fuit, ibiq; Congregationis suæ prima fundamenta iecit, proinde Congregatio, quæ alias Montis coronæ appellatur, Grotana etiam dici cæpit. Obijt tantus institutor in Eremo S. Orestis, vbi & sepultus est anno Dñi. 1528. Mense Augusto.

*De origine & forma huius Congregationis Montis Coronæ, Dñi. Lucas Hispanus libros quinq; composuit. de ead. agit Wion. 1 par. ligni vitæ cap. 30. Augustinus Florent. in hist. Camald. Razzius. Barbosa. Tamburinus.*

§. 55.

## *Congregatio Eremitarum Camaldulensium.*

DE Congregatione Eremitarum Camaldulensium, vt pote prius eadem cum Congregatione Cænobitarum, nihil aliud adiungemus, præter ea, quæ supra in Congregatione Camaldulensi ab ipso S. Romualdo instituta diximus. Verum quidem est, quod modo distincta Congregatio sit, licet gaudeat ijsdem Priuilegijs & gratijs, quibus Camaldulensium Congregatio. Supponitur approbata hæc Congregatio, in approbatione Camaldulensium in communi: tamen pro specialiori approbatione, videnda est Constitutio Pauli III. quâ, vna Congregatio, ab alia Eremitarum separatur, & in qua Priuilegia in signum Confirmationis seu approbatæ Congregationis conce-

duntur: quæ incipit, *Rationi congruit* 3. *Non Nouemb* 1534. & Constitutio 2. Leonis X. quæ incipit *Etsi* 4. Non. Iulij 1513. vbi habentur Ordinationes pro electione & munere Prælatorum & regimine totius Congregationis, cum Indultorum & gratiarum concessione.

Agunt de supradictis tribus Congregationibus præter citatos auctores Ioan. Castagnizza in hist. S. Romualdi. Illescas in hist. Pontif. *lib.* 4. *Cap.* 75. Francisc. Petrarcha de vita solitaria *tract.* 3. *lib.* 2. *Cap.* 17.

§. 56.

## *Congregatio Vallisoletana S. Benedicti de Obseruantia.*

VAllisoletana Congregatio à Monasterio in Vrbe Vallisoleti constructo, totius Congregationis capite incæpit circa annum Domini 1520. Auctore Ioanne Monacho Benedictino sub regula & Institutis S. P. Benedicti, & Constitutionibus Cassinensium additis tamen aliquibus particularibus. Habet hæc Congregatio, communicationem omnium Priuilegiorum Congregat. Cassinen. quæ omnia tanquam sub epitome & breui Summario habentur in libello quodam Salmanticæ impresso anno 1599. & Reuerendissimo Domino Alphonso Zotilla Vallisoleti Generali inscripto, in quo, hæc Congregatio appellatur, *Ordinis S. Benedicti de Obseruantia.*

Agit de hac Congregatione *Barbosa de Iur. Eccl. lib.* 1. *Cap* 41. *num.* 42. vbi asserit hanc Congregationem habere plusquam 40. Monasteria Abbatialia quorum Abbates sunt Capitulares, præter alia minora, quorum Abbates non sunt Capitulares. Quam quidem Congregationem, vel eo maximè nomine deprædicat *Aubert. Miræus*, quod exemplo, veterum illorum Benedictinorum, post confectum in Academijs Sacrorum Studiorum cursum, suos ad Sacras Conciones in templis habendas, populi Confessiones excipiendas, aliaq; munia Ecclesiastica obeunda, serio impendat.

§. 57. Lusi-

§. 57.

## Lusitana Sancti Benedicti Congregatio.

LVsitana Congregatio S. Benedicti in Regno Portugalliæ in regione Interamnensi non longè à ciuitate Bracharâ erecta est, in Monasterio S. Martini de Tibaes circa annum Domini 1549. Refert August. Barbosa loco supra citato, huiusmodi Congregationem habere sub se vltra viginti Monasteria Virorum, Monialium plura, & ternis quibusq; annis, in Monasterio prædicto S. Martini de Tibaës Capitulum celebrare, in quo eliguntur Abbates & reliqui Officiales vocales ad triennium sequens vsq; duraturi non vltra.

Agit de hac Congregatione *Tamburinus lib. 2. de iure Abbatum.*

§. 58.

## Vlyssiponensis Congregatio S. Benedicti.

VLyssiponensis Congregatio Sancti Benedicti anno 1549. in Lusitania incæpit, auctore Don. Iacobo de Murtia, Ordinis S. Hieronymi, & S. Nicolai in Portugallia Abbate Commendatario, qui petita & obtenta licentia à Paulo PP. III. Ordinem Monasticum reformandi, suæ fundamenta reformationis in Ciuitate Conimbriæ iecit, in quâ ædificato nobili Monasterio, anno 1555. Duodecim egregios iuuenes sub Regula S. P. Benedicti alendos & instituendos, habitu Sanctæ Religionis induit, qui postmodum, & Virtute & Doctrinâ crescentes, se & Congregationem suam reddiderunt illustrem. Profuit huic operi perficiendo Serenissimus Portugalliæ Rex *Sebastianus* eiusq; Eminentissimus Infans Henricus S. R. E. Cardin. qui anno 1566. à Pio, V. facultatem impetrarunt omnes Abbatias Portugalliæ vacantes huic nouellæ Congregationi vniendi: & in Vlyssiponensi ciuitate egregium ac nobile Cænobiū extruxerunt, à quo hæc Congregatio *Vlyssiponensis S. Benedicti* nuncu-

nuncupata fuit, atq; modo, prædictam denominationem retinet. Ita de hac Congreg. scribit Arnold. Wion *2. par. ligni vitæ Cap. 11. & Tamburinus de iure Abbat. lib. 2.*

§. 59.

## *Melidensis Congregatio S. Benedicti.*

MElidensis Congregatio, sic dicta, *à Melide* insula, iuxta Ragusium in Dalmatia, saltem quoad nouam reformationē. Surrexit circa annum Dom. 1560. ope & industriâ D. Chrisostomi Cassinensis Monachi, Archiepiscopi postea Ragusini. Hæc Congregatio in paruo numero alumnos fecit, neque egreditur Dalmatiæ fines, vbi sita est. *Ita Arnold. Wion. & Taburin. de ea.*

§. 60.

## *Fulliensis B. Mariæ Virginis Congregatio.*

FVlliensis B. Mariæ Virg. Congregatio, nomen sortita est, á Monasterio suo principali in Regno Galliæ apud Tolosam in Prouincia Rhemensi, in quo Monasterio, B. Virginis Imago inter folia depicta cernitur. Incæpit hæc Congregatio anno Dñi. 1583. sub *Gregorio XIII.* sub Constitutionibus Cistercij, sed austerius obseruandis, prout Monachorum victus & vestitus indicat: quam viuendi formam vt pote asperiorem & ad Diuinum cultum satis promptam *Sixtus V.* suâ Constitutione 32. approbauit & confirmauit.

Institutor huius Congregat. Don. Ioannes Barerius, qui cum adolescens aliquot annos Fulliensis Abbatiæ Commendatari' Abbas fuisset, & annuos census ex ea sine residentia perciperet, tandem Diuini Numinis afflatu vehementissimo concitatus, ad eam se contulit habitumq; Religiosum Ordinis Cisterciensis suscepit, Monachos Regulæ S. Benedicti quam is Ordo profitetur, & disciplinæ regularis prauo more iamdiu inolito contemptores,

ptores, ad officium cohortatus est: post diuturni temporis patientiam, in susceptâ dissolutione pertinaces, cum pro potestate vellet in ordinem cogere, & ipsi mallent Monasterium, quam vitiosam consuetudinem deserere, à se, quanquam inuitus, dimisit, & alios permultos religiosioris vitæ percupidos, à sæculo asciuit. Eius vitam austeram varijs illustratam signis, recenset Chrisost. Henriquez in suo Menolog. Obijt vero Romæ, ad cuius monumentum, gratissimi in Christo Filij Epitaphium hoc posuêre.

*Reuerendissimo in Christo Patri. D. Joanni Barrerio Abbati Fulliensi, Nobili apud Cadurcenses genere in Gallijs oriundo, ac nobiliori Monasticæ disciplinæ Ordinis Cisterciensium diu collapsæ in suo Monasterio restitutori, & inde Congregationis B. Mariæ Fulliensis in aliquot Italiæ Galliæq; Prouincias, Apostolicæ Sedis auctoritate ab ipso propagatæ, Fundatori meritissimo, mortalium quamplurimorum saluti, tum vitæ planè cælestis exemp[illegible]um publicis concionibus ac cohortationibus priuatis vigilantissimo consultori, ab omni sancto corporis & animi labore semper inuicto, asperrimæq; viuendi rationis semel susceptæ vsq; ad extremum vitæ spiritum obseruatori tenacissimo, tandem sparso miræ sanctitatis, ac omnium virtutum per vrbem & orbem odore, Romæ, anno Iubilei 1600. in Domino feliciter obdormienti, Parenti optimo, & institutori præclarissimo, deuotissimi in Christo filij, posuêre. Vixit annos 56. Mens. 11. obijt 4. Kal. Maij.*

Multa Vir bonus [ testimonio Auberti Miræi Origin. Monast. *lib.* 2. ] à suis passus fuit, vt & olim S. Benedictus, & S. Robertus Abbas I. Cistercien. alijq; piarum familiarum Principes. Gestant autem Fullienses, vestem prorsus candidam, nudis incedunt pedibus vt Capucini & Carmelitæ Discalceati, abstinent ab esu carnium & piscium, non habent Abbates sed Priores tantummodo, Odeium siue chorum habent retro summam aram, vt à populo prorsus secreti Deo liberius vacare queant. Gaudet hæc Congregatio omnibus Priuilegijs Cisterciensium non reformatorum. Videatur *Henriquez, Tamburinus, Barbosa de iure Eccl. lib. 1. Cap. 41.* Qq §. 61. Ci-

§. 61.

## *Cistercienſis Congregatio in Aragonia.*

IN Aragoniæ, Nauarræ, Valentiæ Regnis, & in Principatu Catalauniæ, ac in Inſula Maiorica, erecta fuit circa annum Domin. 1616. promouente Philippo III Hiſpaniarum Rege Catholico, & *Paulo V. Pont. Max.* approbante in Conſtitut. *Paſtoralis* Dat. Romæ 1616. in qua Conſtitutione quædam ſpecialia pro hac Congregatione ſtatuit.

§. 62.

## *Cistercienſis Congregatio Romana.*

CIrca annum Dñi 1623. propriam formam, ab alijs Congregationibus Ciſtercienſium diſtinctam habere cæpit, prout Gregor. XV. Conſtitut. *Sacroſancti.* loquitur. Inſtituta porro ex ea occaſione. Cum Ciſtercij in Capitulo Generali decretum fuiſſet, omnia Monaſteria in Italia Ciſtercienſium nuncupata, in Congregationem redigi debere, Don. Veſpaſianus de Angelis, ope Eminentiſſimi Cardinalis Vbaldini Comprotectoris obtinuit, vt ſuæ Congregationis forma ab alijs diſtincta, gubernaretur ab vno capite: ad cuius munus obeundum ipſe Dñ. Veſpaſianus Præſidens Generalis electus fuit.

Confirmata per Gregorium XV. Pont. Max. & certas peculiares Conſtitutiones pro directione ſuorum Monaſteriorum conditas habet. *Tambur.*

§. 63.

## *Fullienſis Congregatio Reformatorum in Italia.*

FVllienſis Congregatio Reformatorum S. Bernardi in Italia, his temporibus, referente Aſcanio Tamburino, particulare ſortita eſt nomen, & ab illa Fullienſi Hiſpanica ſeparata. Approbata eſt ab Vrbano VIII. & Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus dotata ab eodem, vti colligitur ex eius Bulla quæ incipit *Ad vberes & ſuaues fructus.*

§. 64. *Con-*

§. 64.

## *Congregatio Cistercien. B. Mariæ Virginis, Calabriæ & Lucaniæ.*

EXcitata est anno Dñi 1633. vigore Bullæ D. Vrbani PP. VIII. in quâ inter cætera indulgetur, quod Monasteriorum Prælati, Abbatum nomine vocentur, & omnibus ac singulis gaudeant Priuilegijs quibus cæteri dicti Ordinis Abbates gaudent, licet huius Congregationis, maior pars Monasteriorum, commendata existat. Author huius nouæ Congregationis fuit R. P. D. Emanuel de Pelusio, postea Abbas Monasterij S. Joannis de Flore, cuius Monasterij quondam, Abbas B. Joachimus, Congregationem Florensem, de quâ supra, instituerat.

§. 65.

## *Scotorum S. Benedicti Congregatio.*

EX solis gente Scotis constabat primo, postmodum propaginem extendit & in terras Germaniæ, Franciæque, & habuit non pauca in illis locis Monasteria. Viennæ in Austria superest adhuc *Monasterium* ( vulgo dictum ) *Scotorum*, quod Germani Benedictini nunc inhabitant: fuit quoq; Scotorum Monasterium tituli S. Jacobi in suburbio Herbipolensi, cuius quondam insignis ille Trithemius, dimissâ Spanhemensi, quam triginta annis egregiè rexerat, Abbatiâ, vsq; ad vltima vitæ suæ tempora Abbas fuit, vbi etiam obijt & tumulatus est.

Agit de ea *Arnold. Wion. & Trithem crebrius meminit.*

§. 66.

## *Slauorum S. Benedicti Congregatio.*

PRO Monachis Benedictinis Slauis genere, instituta fuit, per SS. Cyrillum & Methodium Monachos & gentium

Slauinarum Apostolos; qui postquam corpus S. Clementis Romam detulissent, à Nicolao I. Pontifice impetrarant, vt gentibus à se baptisatis, linguâ vernaculâ obire sacra liceret. Quod Diuino responso, approbatum esse fertur, vt omnis Spiritus laudaret Dominum & omnis lingua confiteretur ei. Proinde in Slauonia, Vngaria, Böemia, Poloniâ quædam huiusmodi ritus hominum Monasteria erant, quæ demum ob studium vniformitatis in seruitio DEI, in ritum Latinum sunt conuersa. Pragæ in Böemiâ, vetustissimum Monasterium in loco Emaus Slauorum Benedictinorum, in præsentem diem existit, & suam denominationem à Slauis retinet, quanquam iam Slaui Monachi in eo desierint, cum Monasterium donatum sit à Ferdinando II. Imperatore Monachis Benedictinis Hispanis Congregationis Montis Serrati. Cracouiæ quoq; beatæ memoriæ Heduigis Regina Poloniæ, coniux Vladislai Jagellonis, excitare cæperat Monasterium & Ecclesiam, tituli S. Crucis, in ora Clepardiæ, pro huiusmodi Monachis Slauis Benedictinis, Pragâ accitis, sed morte præuenta opus perficere non poterat: & Slaui postmodum, defunctâ Principe, fundationem non habentes, regressi sunt Pragam. Quorum Dlugossius Noster, in gestis Jagellonis meminit, eosq; se vidisse Cracouiæ, dum in linguâ Slauonica Liturgias facerent, scribit

Trithemius agit de hac Congregat. quæ vtrum alicubi supersit, ignoro.

§. 67.

## *Austriaca Congregatio Monachorum Nigrorum Ord. Sancti Benedicti.*

VRbani VIII. Pontificis Maximi, authoritate erecta, à quo etiam Constitutiones, pro eadem Congregatione per Abbates diligenter conscriptæ, approbatæ sunt, quas Lincij in superiori Austriâ impressas, vidimus & legimus.

§. 68. *Sa-*

§. 68.

## *Salisburgensis Congregatio.*

IN quam, omnia Monasteria Benedictina, per Salisburgensem Archidiæcesim & Principatum existentia, ante annos circiter 40. conuenerunt; quo Vinculo Societatis & mutui adiutorij inter se facto, egregie in Spiritualibus Monasteria illorum profecerunt; auctaq; est res temporalis, quam prudens administratio, vsusq; temperatus fructuosè prouexit. Habet Salisburgi, Vniuersitatem florentissimam eadem Congregatio, in qua Diuinas Humanasq; scientias Artiumuè Liberalium facultates, Benedictini Monachi laudabiliter profitentur; quorum ego merita & labores, nunquam satis laudauerim, cum Sacro Ordini reparauerint decus, bonas literas in Claustris neglectas, ab interitu vendicarint.

§. 69.

## *Brzeunouiensis Congregatio in Böemia.*

MOnasteria Ordinis S. BENEDICTI Nigrorum Monachorum, per Böemiam & Morauiam posita ambit; In qua, Ordinarius Visitator est, Abbas Brzeunouiensis in Brauna & Politz Dominus, qui singulis annis visitat, & corrigenda, reformat.

§. 70.

## *Congregatio Monachorum Benedictinorum de propaganda Fide in Anglia.*

ANgli ex gentilismo, operâ Monachorum Benedictinorum, ad fidem Christi conuersi, plurima Monasteria ijsdem, grati animi argumenta erga suos Apostolos construxerant. At postquã à vera fide recesserunt Angli, Monachos stirpitus eradicare sunt

care sunt conati, multosq; diuerso mortis genere, qui ibi pro Catholica religione firmanda & conseruanda studebant, cruciarunt. Non remittunt attamen quidquam de studio, circa eos ad Ecclesiæ vnitatem reducendos Nostri; quod vt expeditius faciant, specialis Congregatio Anno Christi 1598. instituta est, quæ se post tria Religionis vota, ad acceptandas Missiones in Angliam vltro obstringit & offert. Eius author fuit V. P. Augustinus, qui cum alijs quinq; Anglis in Monasterio S. Martini Compostellano, vestem Monasticam Ord. S. BENEDICTI suscipiens, expletisq; sex annis in Monasterio, cum ijsdem Socijs in Angliam missus per tres ibi annos, inter aliquos occultos Catholicos, eos verbo & exemplo in fide Orthodoxâ confirmando, latuit. Postmodum idem Augustinus, relictis ibi Socijs, ipse in Belgium veniens, Monasterium Duaci & aliud *Mussiponti* in Lotharingia ædificanda curauit, eaq; solis Monachis Benedictinis Missionis Anglicanæ dicauit. ipseq; recentis Congregationis Vicarius Generalis, approbante Pontifice, per suos constitutus, insignes viros perplures aggregauit, qui nunc soli pænè insignem Vniuersitatem Duacenam regunt viriq; Doctissimi ab omnibus iurè habentur. In eadem Duacenâ vrbe anno 1604. à fundamentis extructũ est Monasterium Benedictinarum Reformatarũ gentis pariter Anglicæ, quod vulgo *Abbatia pacis* nuncupatur. iterumq; aliud Illustre Cænobium nobilium Virginũ Anglicarũ sub Regula S. P. Benedicti militantiũ, Bruxellis excitatum est, adiuuantibus Alberto & Isabella Belgarũ Principibus. Habent & alibi nuper erecta Monasteria hui⁹ Congreg. alumni, de quo legatur *P. Reyn. in suo Ben. Apostol. per Angliã.*

§. 71.

## *Congregatio & Societas quatuor Abbat. Belgicarũ, exemptarum, maximeq; Illust. quæ Rom. Pont. immediatè subsunt.*

IN Gallia Belgica quatuor sunt illustria admodum atq; opulenta Benedictinorum Cænobia, *Vedastinum, Blandiniense, Bertinia-*

*tinianum, & Lobiense*, quæ sacro societatis nexu inter se vincta, suum sibi Visitatorem, ex quatuor Abbatibus vnum constituunt, suntq; ab omni Ordinariorum imperio exempta. Vedastinum in Vrbe & Diæcesi Atrebatensi, Blandiniense in vrbe & Diæcesi Gandensi, (sic tamen vt peculiarem habeat iurisdictionem etiam politicam) Bertinianum in Vrbe & Diæcesi Audomaropolitana. Lobiense in Diæcesi Cameracensi quidem, sed subditione Politica Leodiensi ad Sabim fluuium, situm habent. Exordia horum IV. Monasteriorum exponit copiosè D. Aub. Miræus in Originib. Monast. *lib. 2. Cap. 27.* vbi fundatorem Vedastini scribit fuisse B. Vedastum; Diuum Amandum Episcopum Tungrensem Blandiniensis; S. Bertinum Abbatem, Bertiniani, & S. Landelinum Lobiensis.

§. 72.

## *Congregationes siue Ordines qui olim Benedictinam Regulam obseruabant, & quantum Ordo S. Benedicti alijs Ordinibus profuerit, breuis Tractatus.*

PLurimum quoq; ad Benedictini Ordinis excellentiam sine dubio facit, *quod sicuti Deus* (teste Zachariâ PP. in Priuileg. Mon. Cassin.) *dignationis suæ potentiâ Beatissimum Benedictum Patrem omnium constituit Monachorum.* ita pleræq; Congregationes Religiosorum, quæ nunc subiectæ sunt diuersis Regulis, quondam sub Regula S. Benedicti militauêre.

Ac inprimis *Carthusiana* familia paruit ante Benedictinis legibus, quod ipsum Trithem. libro de Viris ill. Ordinis S. Ben. & Arnol. Wion. *1. par ligni vitæ Cap. 71.* affirmat, totamq; psallendi rationē, varios ritus ac cæremonias à nostris mutuata est.

Candidi deinde Ordinis Præmonstratensis, Institutor gloriosus, S. Norbertus, apud Sigebergenses Benedictinos Monachos, diebus circiter 40. Sacerdotij didicit vsum, certaq; simul religiosè viuendi documenta. Imò Præmonstratum locum, aliaq; Mona-

Monasteria eius Ordinis à Cisterciensibus vt S. Bernardus epist. 225. scribit, accepit, & primi eius sequaces filij; sub Regula S. Benedicti teste *Guazzo in historia sua Italico idiomate conscripta, & D. Gonsaluo Illesca Abbate S. Thomæ in hist. Pontif. Cap. 20 lib. 5.* vixerunt tempore longiori, quanquam postea Regulam S. Augustini in Reformatione receperint, de quo Arnold Wion. 1. *par. ligni vitæ lib. Cap. 71.*

Sancti Hieronymi Eremitarum Congregatio instituta primum fuit sub Regula S. Benedicti, quod ex Hieronymo Barcinonensi colligitur, quæ postmodum temporibus *Vrbani VI. Pont.* reformata, sub Regula S. Augustini & S. Hieronymi militare iussa est.

Ordo quoq; à B. Birgitta institutus, quanquam nunc sub Regulâ S. Augustini sit confirmatus, Nouamq; Regulā à Christo Domino acceperit; sed in ipsâ illâ, plurima vestigia S. Bened. reperire est. Nam ita Cap. 26. reg. S. Birgit: legitur. *Deinde ista Regula per Papam confirmatâ, inquirantur aliqui deuoti Fratres de Regulis Bened. vel Bernardi, qui huic Regulæ inscribant, quomodo excessus emendandi sunt in Monasterio & omnia alia necessaria, quæ in his verbis non narrantur, ad huius Regulæ roborationem assumantur de Regulis supradictis.*

Clarissæ Moniales multis annis sub Regula S. Benedicti perstiterunt, de quo superius egi.

Iam vero qui Capucinorum reformationem inchoarunt, cum Nostris Camaldulensibus aliquantisper conuersati, peculiaria quædam sibi ab ijs seruanda desumpserunt: quale est barbam oblongam deferre, nec non sine cantu solaq; distincta pronuntiatione Diuinas laudes persoluere & alia multa his similia.

Vt quoq; ad alios Ordines transeamus, nobilissimus Ordo Prædicatorum Benedictino debet, Institutorem suum S. Dominicum, sterili matri, precibus S. Dominici Abbatis impetratum, cuius etiam nominis hæres fuit. idemq; postea Magistrū habuit B. Didacum Azebes Monachum Cisterciensem, à quo Constitutiones quas suis tradidit accepisse fertur. Et antequam

quam Religionem ſuam inchoaret, Promotorem habuit & fautorem B. Fulconem Epiſcopum Toloſanum ex Ordine Ciſtercienſi, qui ei primum templum in quo Ordinis fundamenta iaceret, & multa bona conceſſit. B. Conradus Ciſtercienſis item Monachus, eundem Ordinem Auctoritate Apoſtolica approbauit, & contra omnes aduerſarios defendit. Clariſſimũ quoq; huius Ordinis ſidus, & Theologiæ ille Sol *Thomas Aquinas* in Monte Caſſino Monachis, literis & pietate imbuendus, traditus fuit.

Sanctiſſimus deinde Ordo S. Franciſci, primarium locum ſuum, quiq; totius illius Ordinis Caput eſt, à Benedictinis habet. Eccleſiam enim *S. Mariæ de Angelis* quæ *Portiuncula* dicebatur, Abbas S. Benedicti ad montem Cubaſum, Sanctiſſimo Patri Franciſco ceſſit, cuius tamen non dominium ſed vſum ſolum, Paupertatis Euangelicæ zelator ſummus, admiſit; quare Abbati in ſingulos annos caniſtrum piſciculis plenum pendebat; vt refert *Pr. Sedulius* De quo etiam loco, S. Bonauentura ait. *Hunc locum S. Vir amauit, præ cæteris mundi locis, hic humiliter cæpit, hic virtuose profecit, hic feliciter conſummauit, hunc in morte Fratribus, tanquam Virgini chariſſimum commendauit.*

Deniq; Societas IESV toto Orbe celebris & conſpicua, quod à Regula Benedictina, ſiue Monachorum Ordinis S. Benedicti ſtatutis, aliquid acceperit, ac ſub Regula S. Benedicti inſtituta, in ſuâ fundatione, iure optimo affirmari poſſit? in hac re, non ex propria ſententia loquar, ſed ea quæ inter *Elogia Abbatum Caſſinenſium* verbatim in negotio tanti momenti protulit, *Marcus Antonius Scipio Placentinus Monachus Caſſinen*: in appendice ad Ioannem II. Abbatem XXIX. referam: videatur etiam *Petrus Ribadeneira* in vita S. Ignatij *Cap. 3. & 4. Antonius Iepez tom. 4.* Chronic. Ordinis S. Bened. *D. Benedictus Monachus Benedictinus* Centuria 5. Cap. 2. de Cænobio Montis Serrati & alij Scriptores Annalium Ordinis Benedictini. Hæc ſunt præciſa verba, prædicti Don. Marci Antonij Scipionis in lib. elogio-

 rum

rum Abbatum Cassinen: Neapoli impresso, anno Dñi. 1630. pag. 65. & 66. *Albaneta Monasterium, nedum sui sanctitate conditoris est celebre, sed aliorum deinceps, tum Nostri Ordinis Patrum, tum verò Ignatij inprimis Loyolæ Societatis IESV Sanctissimi Parentis, religioso successu, rebusq; ibidem peractis, venerationem sibi ac famam longè illustriorem comparauit.* Hic namq; leges ac decreta suæ Sodalitati recens institutæ daturus, ijs conscribendis non alium aptiorem locum Cassinate solitudine existimauit, quippè præter loci Sanctitatem & recessum, expertus antea, quam benignè Cæleste Numen suis rebus fauisset, quas apud Nos, nostrorum hominum consilio atq; auspicijs perficiendas suscepisset: nam sub initio suæ conuersionis, votiua peregrinatione ad Montem Serratum profectus, cum in æde totâ Hispaniâ præcipuo DEIPARÆ cultu celeberrimâ totum se Deo, eiusq; Sanctissimæ Parenti, traductâ in precibus nocte deuouisset: tum apud vnum ex alumnis Diui Benedicti (quibus concredita est Sanctissimi Templi cura & patrocinium) totius vitæ superioris noxas per sacram confessionem triduo deposuerat; multis etiam præsidijs instructus, non in preces duntaxat, animi expiationem, ac medelam, sed ad eum sanctitatis apicem, quo postea euasit securius feliciusq; conscendendum: siquidem à Ioanne Cianone Gallo, eximiæ virtutis & innocentiæ Cænobita, (cui de peccatis confessus fuerat) Spiritualibus Exercitijs diligenter excultus est, ijs ipsis, quæ *Garsias de Cisnedo* admirandæ sanctitatis Abbas & Monasticæ disciplinæ non in ea tantum domo sed per omnem Hispaniam felicissimus instaurator, paulo ante concinnauerat, quæq; iam inde ab anno 1500. typis vulgata in Cassinati Bibliotheca asseruantur. Ignatius itaq; hominem nactus, qualem salutis ipsius rationes requirebant, & ipse optabat maxime, Ioanni se totum aperuit, quæ mente agitaret, quæ designaret in posterum, de procuranda plurimorum salute, deque genere vitæ huic rei accommodato, ac nominatim de suscipienda Hierosolymitana peregrinatione cum

eo con-

eo contulit omnia: de nutu & sententia ipsius stabiliens quicquid deinceps admirabile, studiorum, actionumq; conuenientia ad obitum vsque est executus. Quin etiam Manresæ [ oppido tres circiter leucas à religiosissima æde distante ] subsistere aliquandiu decreuit, vnde sæpius & commodius Montem Serratum repeteret, seu Virginis colendæ studio seu Spiritualis Patris conueniendi necessitate, promoueretur. Deinde constituta iam Societate, Religiosæ professionis vota nuncupaturus tot inter Romanæ Vrbis basilicas, antiquitate ac piorum hominum frequentia illustres, non aliam delegerat quam Apostolo Paulo viâ Ostiensi dicatam, vbi coram D. Benedicti Abbate Monachorum Nostrorum, [ ijs namq; commissa est sacræ ædis & Cænobij administratio ] ex sui instituti formula, sacram illam cæremoniam perageret. Demum quo tempore opportunam remotioris secessus quietem, præscribendis suæ sodalitati Regulis exquirebat, Cassinum adijt, ibiq; tum libris qui opus essent, tum vnius alteriusq; Monachi subsidio à Præside instructus ad Albanetam se contulit, locum in eodem Cassinati saltu quingentos circiter passus à primario Cænobio dissunctum, eiq; operi quod Ignatius moliebatur apprimè accommodatum & habilem. Hic omni rerum humanarum cura & cogitatione abiectâ, partim assiduis precibus explorandæ Numinis voluntati, partim studiosè lectitandis expendendisq; sanctorum Patrum, qui Religiosas familias condidere, Sacris Decretis, plures dies traduxit, alia ab alijs, quæ apta videbantur, ad suum institutum transferri posse [ sed plura vtiq; ac meliora è Diui Benedicti Statutis sapienter mutuatus ] Sanctissimas leges conscripsit; quarum postea è praxi & vsu, tam ingens ac multiplex, tam breui, ad Christianam rempublicam vtilitas est deriuata, vt orbis vniuersus admiretur & obstupescat. Multis præterea Deus, indulgentioris beneuolentiæ argumentis, degentem apud *Albanetam Ignatium* est prosequutus, tum præsertim, cum illi inter orandum socij cuiusdam è suis, qui per id

tempus Romæ obierat, animam in cælum ſubeuntem, aſpe-
ctabili ſpecie repræſentauit. Vt Sanctiſſimus Patriarcha Be-
nedictus videri potuerit, diuerſanti domi ſuæ Ignatio, & pul-
cherrimo operi intento, gratificari voluiſſe, impetrata illi diui-
nitus communicatione miraculi, quo ipſe apud Caſſinum de-
gens, *Scholaſticæ* Sororis & *Germani* Capuæ Antiſtitis animas ad
ſuperos euolantes clariſſima in luce conſpexerat. Vt non im-
merito Iacob⁹ Aluarez de Paz tom: 3. lib. 4. par. 3. de Sanctiſ-
ſimo Benedicto agens eum vocarit, omnium Sanctarum Reli-
gionum Patriarcham venerandum, ac ſpecialiter, Societatis
IESV Patrem Sanctiſſimum, ad cuius honorem, præſcriptos
ab eo XII Humilitatis gradus ſuſceperat explicandos.

Et hæc de Congregationibus Monachorum, ſub Ordine
Sanctiſſimi P. Benedicti & eius Regulâ, militantium &
fortiter pugnantium ſufficiant, cum altius examinare & col-
ligere alia non vacat. Hi prædicti omnes Almi P. Bened. le-
ges ſecuti, eius Filij dici, & nominis eius felicem ſucceſſionem
hæreditare, cum à Benedicto ſuo Patre Benedictini paſſim vo-
cari, ortumq; ſuum ad eum ſe referre aſſerant & glorientur.
Hos olim in ſuæ Regulæ cap. 1. *Fortiſſimum Cænobitarum genus*
appellare non eſt veritus Diuiniſſimus legiſlator, eò quod Cæ-
nobia turrium ac propugnaculorum inſtar, in hoc Militantis
Eccleſiæ regno, erecta, ac Diuina Spiritualium armorum ſu-
pellectili munita, nefarios hoſtium conatus funditus auertant,
ac inferi portas vehementiſſimè oppugnent, de quibus pul-
chrè dicit Iſaias cap. 25. *Super hoc laudabit te populus fortis, ciui-
tas gentium robuſtarum timebit te, quia factus es, fortitudo pauperi,
fortitudo egeno in tribulatione ſuâ, ſpes à turbine, vmbraculum ab
æſtu.* Quis neſciat Religiones ſacras eſſe ciuitates robuſtas, in
quibus, continuis laboribus, aſſiduis vigilijs, perpetuis ſtudijs
& orationibus, generoſus & liberaliter inſtitutus animus, cu-
pidinis tædas comprimit? deuotione & aſſiduitate cumulatos
fructus colligit? animi contentione ac induſtria vitia concutit
& euer-

& euertit ? etenim, *propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras Psal.16.* dixit ille, qui sanctis exercitationibus affectus omnes carnales resecabat: Sermones siquidem Domini vt dixit Maximus Constantin. Centuria 2. hæc quatuor complectuntur, Præcepta, Doctrinas, Minas & Promissiones: & omnem duram disciplinã, propter hoc sufferimus, cuiusmodi sunt Vigiliæ, ieiunia, contumeliæ, labores, dolores & similia. Hoc vero inflexibile Religionis robur, hæc castra DEI militum, non modo turbulentis hæreticorum oppugnantur machinis & maximo scelere à Lutheri satellitibus inuaduntur, etiam à variis Catholicis pseudopoliticis sacrilegè occupantur & tanquam insuetum aliquid & ab humano genere alienum improbantur & condemnantur. Verum contra procellas & tempestates istas, Sacrarum Familiarum consistent nauigia, nunquam enim Syrtes vllæ, Charybdis aut Scylla tam infestæ vnquam nautis, fuere, ac religiosa cœnobia immanissimæ hæresi & profanorum Politicorum auidissimæ rapacitati. Sed quid mirum si improbi qui à Religione defecerunt, & vanifideles, qui religionem obtentui ferunt, improbè de Religiosis loquantur ? quid enim in causa est, quod Lutherus sic de Religiosis garriat, nisi quia insulsè arbitratur, hac effrenata in Regulares rabie nefarium suæ apostasiæ crimen operiri: quæ sitis immodica seculares vrit vt Claustra bonis spolient ? nisi vt insatiabilem dominandi libidine animum, & penuaria sua facultatibus DEO sacris contra fas impleant, quæ impleta, DEO sic permittente, nullo negotio in summam penuriam delabuntur. Pro Religiosis autem Mellifluus Bernard⁹ continuò stat, cum Serm. 17. in Cantica dicit. *Hæc mater nostra quæ adhuc peregrinatur habet cælos suos, homines Spirituales, vitâ & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos, & hi pluentes pluuiam verbi salutare, tonant increpationibus, coruscant miraculis, hi enarrant gloriã Dei hi extenti sicut pelles super omnẽ terram, legem vitæ & disciplinæ digitô quidem Dei scriptam in semetipsis ostendunt ad dandam scientiam salutis plebi eius.*

# Q V Æ S T I O
## I N C I D E N S.

*Vtrum Camaldulensis, Cistercienſis, Vallisumbroſæ, Cælestinorum, & aliorum Religioſorum ſub Regula B. P. N. Benedicti militantium Congregationes, ab Ordine Benedictino distinguantur?*

SIcut ex tenui quandoq; ſurculo, multi rami prægrandes oriuntur; & veluti ex vno fonte, plura flumina ortum ſuum ducunt: ſic ex Ordine Benedictino plures enatæ Religioſorum cohortes: quæ licet diuerſo nomine in Eccleſia DEI circumamictâ varietate cenſeantur, Inſtituti tamen eſſe S. BENEDICTI & ab eo progredi, ex formula profeſſionis comprobantur. Quarum Religioſarum Congregationum origines, tempora, & progreſſus, in præſenti opuſculo percenſui; pulſat vero non vnius animum hæc Dubitatio, An omnes regulares, vexilla & normam Diui Benedicti ſequentes, verè Benedictini Ordinis ſint, ſicq; dici poſſint, cum ab eo ſpeciè diſtinguantur. & quidem.

Suppono abſolutè, omnes Congregationes Nigrorum Monachorum Regulam B. BENEDICTI profitentium, eſſe merè, & verè Ordinis Benedictini, qui in Congregationes plures, veluti in Prouincias ſubdiuiſus fuit, ex quibus cum pleræq; iam extinctæ & mutatæ ſint, in earum tamen locum aliæ nouitiæ, magno Ordinis totius commodo & inſigni Eccleſiæ vniuerſalis ornamento, ſuccenturiatæ ſunt. Quales fuere olim Sicula, Lyrinenſis, Floriacenſis, Dunſtanenſis Congregatio, & aliæ vix de nomine nobis notæ, quarum Monaſteria temporis tractu, vel ab hæreticis violenter ſublata, vel ad alios Ordines tranſlata, vel certè in alias nuper exortas Congregationes redacta. Caſſinenſis enim, Vallisoletana, Burſfeldenſis, Sancti

Mauri,

Mauri, Lusitana & aliæ amplissimæ ordinatissimæq; Congregationes, ex antiquioribus cenatæ sunt, quas intra suum corpus & esse receperunt.

Dubium est, de Camaldulensi, Cisterciensi, Valumbrosana, Cælestina, & aliis einsmodi Congregationibus, num dici debeant Ordines diuersi, an vero vnius Ordinis Benedictini diuersæ Congregationes & Reformationes processu temporis à viris Sanctis zelo perfectionis & obseruantiæ regularis initæ? Ad quod sic.

Dico, Harum Religionum, Camaldulensis, Cisterciensis, Valumbrosanæ, Cælestinorum, Grandimontensium, Fontis Ebraldi, & aliarum quæ sub Regula S. BENEDICTI militant, primi Sancti Parentes & authores SS. Romualdus, Robertus, Gualbertus, Cælestinus, Siluester, Stephanus Albanensis, Robertus Blesius, & alij Diuinissimi vitæ Monasticæ zelatores, dum Reformatas Congregationes suas instituerunt, nouos Ordines distinctos à Benedictino non constituerunt, sed ipsum Ordinem Benedictinum reparauerunt & conseruauerunt.

Confirmatur. Quia hi Religiosissimi antesignani & parentes præassertarum Congregationum, erant Monachi Ordinis Benedictini prius, antequam initia reformationum suarum ponerent. nam S. Romualdus Camaldulensium Dux in Monasterio Classensi, S. Gualbertus Valumbrosanorum in Cænobio S. Miniatis; S. Robertus Cisterciensium in Cellensi, S. Guilelmus Montis Virginis author, omnes vtiq; Benedictini: S. Petrus Cælestinus & alij illuminatissimi, sub Regula S. P. Nostri, Congregationum variarum Duces & fortunati parentes in Ordine Benedictino tyrocinia vitæ religiosæ posuerant, & solennes professiones secundum Regulam B. BENEDICTI emiserant, quod ex historijs, de eisdem Sanctis viris piè conscriptis, intelligi potest. Cùm autem in viâ perfectionis egregios fecissent gressus ipsi, alios verò confratres suos in regulari obseruatione remissos cernerent, magno zelo reformationis accendeban-

cendebantur; vtq; languescenti Ordinis disciplinæ succurrerent, & remissiones dissolutosq; mores, prauasq; consuetudines per desides noxiè introductas, totaliter eliminarent, animum intendebant: solum namq; illi, vitæ rigorem Monasticæ cupidissimè ambiebant; quo sane deficiente in illis vetustissimis suæ professionis Monasterijs, erant ceu pisces quibus aqua defecerat. proinde cum nonnullos ad virtutis viam expeditos paratosq; viderent, plures vero in suo veteri situ & solutiore viuendi praxi hærentes indolerent, arduum opus conspicati, vniuersum Cænobij cætum, in strictiorem viuendi reducere formam, cessêre ipsi in commodiora loca vt Domino liberius vota redderent quæ distinxerant labijs suis; vtq; expediti ab omni commercio secularium hominum, Monasticæ obseruantiæ quam tantoperè ardebant & cuius restituendæ studio toti flagrabant, vacarent, professionemq; suam in Sanctæ Regulæ custodiâ implerent religiosius. Non erat vtiq; mens Sanctorum istorum virorum, valedicere Sancto BENEDICTO, cuius signa & normam secuturos se quo ad viuerent iurauerant, sed animus fuit tantisper consortio separari ab ijs, qui valedixerant, vt propiores ipsi salutarent. neq; solum voluisse eos non discedere à dulcissimo suo legislatore Benedicto, sed intimius adhærere ei semper desiderasse. Constat igitur euidentissimè, non nouos Ordines & diuersas Religiones erexisse eos, sed antiquum Benedicti Patris Ordinem adiuuisse, reparasse, conseruasse.

At obijciet quispiam; Pontifices in suis Bullis, & graues in suis libris authores, Religiones has dicunt esse Ordines, vti Ordo Camaldulensis, Ordo Cistерciensis, Ordo Cælestinorum, &c. Ergo dantur hi Ordines vti à se inuicem contra distincti, sic etiam à Benedictino diuersi. Sed concessâ antecedente propositione, quæ asserit, hâs Religiones dici Ordines; illatam consequentiam non admittimus; nemo enim negat, Camaldulenses esse Benedictinos, Cistercienses, Cælestinos, Oliuetanos,

nos, esse Benedictinos, quanquam eos differenti appellatione insigniat, vt clarius quisq; intelligat, de qua Congregatione Benedictina sint. Olim Cluniacensis Congregatio Ordo dicebatur, & tamen Benedictini Ordinis reformatio fuit, nihilo diuersa à cæteris Monachis nigris, nisi certis obseruantijs. Sic quoq; hæ Congregationes, Cisterciensis, Cælestina, Camaldulensis, etsi dicantur Ordines, sunt tamen Ordinis Benedictini propagines identificatæ eidem, non distinctæ specie sed sola aggregatione per accidens.

Sed Habitu, & Constitutionibus dissident, vrgebit quis, igitur essentialiter differunt. Respondeo. *Non habitus Monachum sed Monachus habitum facit* colore diuersos esse concedo, non professione. De colore autē Sanctissim⁹ Regulæ dictator Benedict⁹, controuersiam nullam excitandam *cap. 55. Reg.* statuit; *De colore autem aut grossitudine*, (vestimentorum quæ ibi ordinat,) *non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt in Prouincia in qua degunt, aut quod vilius comparari potest.* Malè igitur instituitur de coloribus causa, oues nigræ & albæ vnius heri sunt, neq; diuersas Religiones prædicti constituunt Monachi, qui colore discrepant: vestimentorum tinctura varia, in præsenti quæsito non variat in substantialibus, cum in plerisq; Monasterijs Germaniæ & Hispanicis, eius ratio non attendatur, dum enim Cistercienses apud Benedictinos nonnihil longiori hospitantur tempore, nigro vtuntur amictu, propter gratiam vniformitatis, & hi pariter albo, si inter Cistercienses pluſculum commorantur.

Constitutiones quoq; non constituunt diuersos Ordines, cum hæ solummodo extrinseca & accidentalia moderantur, pro diuersitate loci, temporis, personarum, remanente eadem essentia Ordinis. Hinc in eodem Ordine, Vniones Prouinciarum diuersarum, vti Vallisoletana, Bursfeldensis, Austriaca, &c. differentes Constitutiones habent, pro qualitate locorum, aëris, & recepti vsus; nihilominus Ordinis Benedi-

ctini Congregationes sunt, quæ vt melius Sanctissimi BENEDICTI mentem æmulentur, & ordinationes ab eo præscriptas exequantur, auitumq; obseruantiæ rigorem tueri possint, statuta quædam peculiaria, ad obseruantiam Sacræ Regulæ ducentia, conscripserunt.

Et quamuis pleriq; Docti sentiant, has Religiones sub Regulâ S. BENEDICTI positas, esse solum vnius Ordinis Prouincias & reformationes, non vero Ordines essentialiter differentes: opponunt tamen opinionis contrariæ aliqui, qui vel ex eo diuersitatem arguunt substantialem inter eas, quod ex vna ad aliam liber transitus non permittatur, & qui vellet id consequi, annum probationis prius teneretur subire, quam alteri incorporaretur. At neq; hæc difficultas probat diuersos Ordines, cum sæpius in praxi factum sit, vt Benedictini de suorum Superiorum licentiâ libere absq; anno tyrocinij ad Cistercienses transiuerint, & Cistercienses ad illos vicissim, non descendendo ad Nouitiatum, cum vnius Ordinis, Benedictini nigri & Cistercienses albi, inq; pari professionis gradu constituti esse reputentur. Jam vero Camaldulensibus Eremitis, Nostris vtique Fratribus, ad Benedictinos vel Cistercienses quod non permittatur descensus, facit id specialis lex, quæ in eorum Congregatione firmata, vetat id, non quod Eremitæ, alterius Ordinis sint, sed quod illa lex seruari apud eos debeat, vt ad literam seruent Regulam, in qua, plerasq; dispensationes, Benedictini & Cistercienses obtinuerunt, & Priuilegijs in hac parte gaudent; quibus Eremitani nuntium remiserunt. Illustrissimus & Reuerendissimus Dñus Joannes Caramuel Lobkowitz, quondam præceptor meus & Abbas Neo-Pragæ gratiosissimus, eandem Conclusionem in Theologiâ sua Regulari prosecutus est; vbi aliquot exempla Illustrium virorum posuit, qui ex Cisterciensibus ad Benedictinos, & è conuerso, hi ad illos, liberè & laudabiliter transiuere. quod ipsum, hic quoq; præfatus Doctorum omnium huius sæculi Phænix Caramuel, in

se ipso

se ipso facto ostendit, qui cum esset prius Cisterciensis, eorumq; per Belgium Pro-Generalis, tamen Ferdinando III. Imp. inuitante, Abbatiam Pragæ Ordinis Benedictinorum Congregationis Montis Serrati de obseruantia acceptauit, colorem habitus mutauit, doctrinamq; suam scilicet, Ordinem Cisterciensem à Benedictino non esse distinctum, suo exemplo confirmauit. Sed de hac Quæstione, & de Congregationibus Monachorum sub Ordine Sanctissimi Patris BENEDICTI & eius Regula militantium, dicta sufficiant. Nunc ad eiusdem Regulæ & Ordinis, Equestres Militias deueniamus.

# ORDINES
## *Siue*
## *CONGREGATIONES,*
## MILITARES,
## EQVESTRES,
### Sub Ordine Sanctissimi Patris BENEDICTI & eius *REGVLA* militantes.

AMplitudo Benedictinæ familiæ, quam hactenus in Claustralibus Congregationibus & cætibus diuersis spectauimus, cernitur etiam in varijs Militaribus Ordinibus, quibus Maiestas Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, tanquam domesticis satellitibus cingitur, quorum fideli operâ, ad omnem expeditionem bellicam siue defendendi sui, siue hostes abigendi, aut opprimendi cogat necessitas vel inuitet opportunitas, vti solet. Hi *Ordines Militares & bellici* appellantur, quia

 ad mili-

ad militiam & bella Dominica sunt instituti. *Religiosi* verò sunt, quia Milites, in hos Ordines recepti, tribus se Religionis votis obstringunt. *Benedictini insuper Ordinis sunt*, quoniam Sanctissimi P. N. Benedicti Regulam profitentur, Deoq; per pia vota deuincti & addicti, ad dimicandum pro Ecclesiâ & fide Christianâ obligantur.

§. I.

## *Templariorum Equitum Ordo siue Congregatio.*

TEmplariorum Equestris militia, à Gallis Principibus, Hierosolymâ recuperatâ, Hugone de Paganis & Gaufrido à S. Audomaro, Equestri vtroq; dignitate insigni, in Palestinâ circa annum Domini 1110. primùm erecta est, & quia iuxta *Templũ Domini* locum ipsis Institutoribus, à Balduino Hierosolymorũ Rege concessum, suam sedem posuerunt, ideo *Templarij Equites* appellati sunt. Hi vitam cum toto nouennio Regularium more duxissent, Balduino prædicto instante, vt feruorem Christianum, certo quodam præscripto, in pauperum ac viduarum vtilitatem ac defensionem conseruarent, & in dies augerent, Regulam à S. Bernardo Claræuallensi Abbate compositam, iussu Honorij II. professi sunt. Quæ quidem *Regula commilitonum Christi, Templiq; Salomonici*; non solum ad mentem & normam Regulæ Benedictinæ, sed & eiusdem ferè verbis contexta, iure meritò dici potest, *Regula Benedictina*, moribus Religiosorum Equitum accommodata. Equites vtebantur vestibus albis in signum innocentiæ, & Crucem rubeam super vestibus, Martyrij subeundi pro Christi nomine tesseram præferebant. Magnis Priuilegijs ab Adriano IV. Alexandro III. Clemente III. Lucio III. Vrbano III. Innocentio III. donati fuerant. Porro Ecclesias & Monasteria, in diuersis Prouincijs erecta & benè dotata; in nostra quoq; Polonia insigne Monasterium *in Opatow*, ad quod dotis nomine, Villas sedecim & plerasq; Decimas

mani-

manipulares; in Maiori etiam Polonia Oppidum *Kazimierz*, cum quatuordecim pagis & decimis copiosis; item in Silesia oppidum *Borek*, cum Villis, decimis & lacubus habebant. Sed ex qua causa, tempore Boleslai Pudici Monarchæ Polonorum, circa ann. 1231. de regno Poloniæ exclusi fuerint, ignoratur: suspecti ferebantur, quod cum Crucigeris Prussiam occupantibus, & Poloniam ambientibus, practicas quasdam habuissent: quorum bona prædicta, Ecclesiæ Lubucensis Episcopo Pudicus donauerat & appropriauerat. Meminit vero Matthias Miechouita Canonicus Cracou. suorum Chronicor. *lib. 3. Cap. 35.* quod oppidum Opatow cum omnibus Villis adiacentibus, Christophorus de *Szydlowiec* Palatinus Cracouiensis ab Episcopo Lubucensi non magna peccuniæ summa, suo tempore coemisset. Floruit hæc Militia vsque ad ann. 1312 quo tempore quanto feruore Regulam à S. Bernardo præscriptam obseruauerint, libet colligere ex verbis, quæ in eorum gloriam protulit Cardinalis de Vitriaco in Historia Orientali Cap. 65. & 66. vbi ait: *Adeo formidabiles facti sunt fidei Christi aduersarijs, quod vnus persequebatur mille, & duodecim non quot essent, sed vbi essent, dum ad arma clamaretur, interrogantes. leones in bello, agni mansueti in domo, in expeditione milites asperi, in Ecclesia velut Eremitæ Monachi, inimicis Christi duri, & feroces, Christianis autem benigni & mites.* Hic tamen Ordo in Concilio Viennensi extinctus est, à Clemente V. vbi cum Pontifex Templarios damnasset, & in sodales ferro atque igne passim animaduertisset, vel vt *Hieremi Drexelius in Tribunalis Christi lib. 2. Cap. 3.* loquitur, sæuijsset, à pluribus eorum, vno præsertim Neapolitano Equite ad iudicium Diuinum est appellatus, ita quidem vt Clemens Pontifex & Philippus Rex Galliarum, ad Tribunal Superûm citati intra annum se sisterent. Philippo Regi damnationes illæ fuisse bono putabantur, Templariorum bonis ad eum deuolutis & confiscatis. neque vana fuit appellatio, nam intra tempus annuum vno scilicet eodemq; anno 1314. tam Papa quam Rex obie-

 runt,

runt, 20. Aprilis Clemens, Philippus vero Rex 29. Nouembris. Hi duo supremi causæ Templariorum Iudices, Papa videlicet & Rex Christianissimus ad Dei infallibilis Iudicis tribunal aduocati comparereq; iussi, videntur tacitè personare, fuisse in illa causa aliquid cui responderetur, non enim Deus citationem & appellationem admitteret, si aliena esset à veracitate. Citationis verba ponit Iacobus Marchantius Horti Pastorum tractatu IV. Propositione II. *Quando inter mortales nullus mihi iam superest ad quem appellem, ad iustum Iudicem Christum qui nos redemit appello, vt ante eius tribunal ante annum & diem vos sistatis, vbi causam meam exponam.* Cuius prouocationis euentus, morsq; sequuta Iudicum, Diuinum hîc quid interuenisse, Supremo Numine consciscente innuit, & Clementem de inclementia, de philautia Philippum non nihil arguere videtur. Probabile siquidem erat, aliquos de Templarijs totaliter sublatis, innoxios fuisse, cum me Iudice dari congregationem cuius membra vniuersa sint mala impossibile est. Neque enim propter Iudam vnum, Apostoli damnati reliqui, nec conuentus abrogari debet propter excessus paucorum. cum etiam diluuium inter pessimos mortales, aliquot repertos iustos, humeris sustulerit & saluarit, ignisq; ille cælestis Sodomas deleturus iras tantisper cohibuerit quoad Loth & pauci iusti, qui clypeus erant regioni illi, alio commigrassent. Ad extinguendum Ordinem, hæc sola causa fuisse suffecisseq; visa tum, scribitur, quod primi feruoris laborisq; præmia opulentissimas scilicet facultates, in vsus minus licitos, Equites consumerent.

Agunt de hoc Ordine omnes ferè Historici. & Illustrissimus ac Reuerendiss. Ioan. Caramuel, *in Commentario super Regulam Templariorum multa laudabilia de ijs percensuit.*

## §. 2.

## *Sancti Saluatoris Equitum Ordo.*

SAncti Saluatoris Equitum Ordo in Aragonià, circa annum Domini 1118. surrexit, auspicijs Alphonsi Nauarræ & Aragoniæ

goniæ Regis. Rex namq; prædictus, Mauris è Regno Aragoniæ expellendis intentus, sciens, nihil virtuti arduum esse, in Vrbe *Montis Realis*, S. Saluatoris Ordinem Equestrem solenni ritu, sub Regulâ S. Benedicti, & institutis ac legibus Templariorum instituit, vt Gallis & Hispanis Proceribus præmium virtutis inhiandum foret: neque tantum Principem fefellit spes, cum vndiq; huius honoris intuitu, Milites magni nominis aduenirent, quibus etiam opitulantibus, feliciter adeò Institutum prædictum ei cessit, vt Mauris omnibus expulsis totum Aragoniæ Regnum, anno 1120. quietum ac tutum possederit. cum quotiescunq; dimicaturus signa cum hostibus contulisset, felici semper successu victor ac triumphator extiterit sibiq; *Pugnacis* seu *Præliatoris* nomen comparauerit. Hunc Ordinem maximis ijsdemq; opulentissimis prædijs ditauit idem Alphonsus Rex, vt est author Franciscus Menenius *lib. de Orig. Ordin. milit. tit. Ordo Equitum S. Saluatoris.*

§. 3.

## *Auisiensium siue de Auis Equitum Ordo.*

AVisiensis Militiæ Ordo, debellandis item Mauris in Regno Lusitaniæ, anno Dñi. 1147. exordium sumpsit, à Ferdinando Monteyro huius Ordinis primo Magistro in Eboracensi ciuitate; quam cum strenuè ab hostium incursionibus & obsidione cum socijs defendisset, eam ab Alphonso huius nominis I. Lusitaniæ Rege dono accepit, ibiq; celebri Cœnobio in honorem B. MARIÆ Virginis ædificato, primam sui Ordinis sedem instituit, & à ciuitate Eboracensi, *Eboræ militum Ordo* seu *Eboracenses milites* appellati sunt. Aucti postmodum eiusdem Regis munificentiâ, anno 1181. tempore Ferdinandi Jannez secundi Magistri Ordinis, *Castro Auisio* cum agris sibi subiectis; itaque Eborâ Auisium petentes vt ibi permanerent, à loco *Auisio Auisienses* sunt, siue *De Auis* appellati. Hunc Ordinem Innocentius III.

tius III. anno Christi 1204. confirmauit; Regulæq; S. Benedicti subijcitur, & Constitutionibus vtuntur, quas à B. Ioanne Zirita Monacho Cisterciensi, & S. Ioanne de Tarouca Abbate acceperunt, in quibus inter alia eis præcipitur vt Regulam S. Benedicti præ oculis habeant. Eius Ordinis perpetuus Administrator & Magister est Rex Lusitaniæ, vt expeditius contra infideles bella mouere possint. in signum suæ militiæ, gestant Crucem viridem, inferiori stipite parum longiori, duas Aues ad basim hinc inde ostentante.

Agunt de eis *Menenius*, *Arnold. Wion. Azorius*, *Barbosa*, *Tamburinus.*

§. 4.

## *Calatrauæ Equitum Ordo.*

EQuestris Calatrauæ Militia, sub auspicijs *Sanctij III.* Castellæ, & *Ferdinandi* Legionis & Gallicіæ Regum anno 1158. erecta est, à *S. Raymundo Fiterij* ad Piscariam Abbate, & *Didaco Velasquio*, Alphonsi Regis iam milite, belliciſq; rebus satis claro, tunc autem spretis mundi illecebris in Congregatione Cisterciensi militante. Huic Ordini exordium præbuit parta de Mauris victoria, in Calatrauæ obsidione; cum enim huiusmodi oppidum ad *Anam* fluuium situm, Christianarum vrbium tunc propugnaculum, contra Maurorum impetum defendere Templarij milites, quorum custodiæ commissa arx erat, diffidissent, S. Raymundus Cisterciensis Abbas, instante prædicto D. Didaco tantam prouinciam subijt. Hinc factum est, vt Regibus præfatis annuentibus, Præsule Toletano pecunias suppeditante, feruore & exemplo S. Raymundi copias vndiq; excitante, operâ & industriâ D. Didaci exercitum ordinante, ipso solo apparatu hostes perterriti, fugam arripuerint, alioq; animum & vires appulerint. Quo felici omine S. Raymundus suæ Militiæ initium dedit, à Rege *Sanctio* Calatrauæ Principatu donatus, cum subiectis sibi agris. Militibus suis vestem albam & Regulam

gulam S. P. BENEDICTI indixit & à Calatrauæ oppido sui Ordinis capite, *Equites Calatraua* nominari voluit. His initijs Ordo creuit, quem Alexander III. & Innocentius III. Alexander IV. Pius II. Clemens VII. approbarunt. Administratores Ordinis, Reges Hispaniæ sunt: vouent Castitatem coniugalem tantum, indulto Pauli III. anno 1540. cum hac tamen conditione quod semel tantum nubere possint. Huius Militiæ Equites albo vtuntur amictu, rubræ Crucis signo ad leuam protenso, quod est particulare huius Equestris Ordinis.

Agunt de hoc Ordine *Syluest. Marulus. Azorius, Illescas. Aubert Miræus.*

§. 5.

## *Gladiferorum Equitum Ordo.*

CIrca annum Domini 1164. in Liuoniâ à Maynardo Sigebergensi, instituti Cisterciensis, erectus fuit. Is, vt Christi fidem apud infideles disseminaret facilius, remq; Catholicam cui ampliandæ insudabat augeret, Equestrem Ordinem instituit, militesq; suos, *Gladiferos Fratres* vocari ab alijs voluit. Post Maynardum, B. Bertholdus Cisterciensis item Ordinis Abbas, eundem Gladiferorum Ordinem amplificauit: quo rursus demortuo, Albertus eiusdem instituti Religiosus & Rigensis totiusq; Liuoniæ Episcopus, hunc ipsum Ordinem militarem, in meliorem formam redegit; & ita, tres isti viri insignes, Ordinis huius institutores, numerantur: qui tamen Ordo paruo tempore perstitit, nam circa Annũ 1237. duobus Magistris Generalibus eorum, ab infidelibus inter præliandum occisis, diminutoq; militum numero, Theutonicorum Militum Ordini, Regulam & Constitutiones illorum recipiendo, se addixerunt. De hoc Ordine fusè agit Franciscus Menenius *lib. de Orig. Ordinum Milit.* tit. *Gladiferorum Ordo*, vbi ponit eorum insignia, Ensem rubri coloris cum cruce, pallio insutâ. Sed alij scribunt, istorum tesseram fuisse *Duos gladios rubescentes, for-*

*tes, formâ crucis decussatim positos.* Martinus Bielsciius Historiæ Polonæ lib. 2. meminit, quod cum Crucigeri Ordinis Theutonici B. MARIÆ Virginis Prussos adhuc infideles, non possent subigere & detriumphare, miserant ad Albertum Magistrum Gladiferorum, Rigam in Liuonia, vt in subsidium eis mitteret Fratres sui Ordinis, qui in pallijs deferebant gladios rubros cum cruce: qui superuenientes pro adiutorio, acriter dimicarunt contra Prussos, sed tamen à multitudine Prussorum victi debebant cedere in Liuoniam, amisso sui exercitus Duce. *Hæc Bielscius.* Hic Ordo Gladiferorum à principio, distinctus diuersusq; fuit à Crucigeris Theutonici Ordinis, sed postmodum vnitus est, ex causâ superius expressâ, sicq; à Benedictinâ Regula in Sancti Augustini normam deuenerant.

Videatur *Chrisost. Henriq. Krantzius lib. 6. Wandaliæ. Cromerus.*

§. 6.

## *Equitum S. Iuliani de Pereyro Ordo.*

HIC Ordo Anno 1170. sub auspicijs Ferdinandi II. Castellæ, Legionis, & Galiciæ Regis, à summæ nobilitatis apud Legionenses Equite, *Gomezio Fernando,* ortum habuit, & à S. Juliani de Pereyro oppidulo, in quo præcipuum Monasterium Ordo habuit, denominationem sumpsit. Militat sub Regula S. Benedicti & Constitutionibus Cisterciensiũ vti refert Henriquez. Ordinem approbauit Alexander III. Honorius III. Martinus V. & vniuersaliter gaudent omnibus Priuilegijs Cisterciensium. Habent huius Militiæ Equites, quo ad matrimonia incunda indultũ Pauli III. Insigne vero gerunt Arborẽ Pyrum viridẽ in campo aureo.

Agunt de eo *Polydorus. Cassan. Arnold. Wion.*

§. 7.

## *Montis Gaudij Ordo.*

QVO tempore Principes Christiani in Syriâ pugnabant, Ordo hic circa annum 1180. in Regno Hierosolymitano initium

initium habuit. Militauit sub Regula & Constitutionibus Cistercienſium, aſſerente Chriſoſt. Henriq. in Menolog. Ciſterc. nunc Alcantarenſibus, *Andrada*, & *Montaluo* teſte, acceſſit. eius vero Priuilegia in Archiuo Calatrauenſi extare, Tamburinus *de iure Abbatum lib. 2.* affirmat.

§. 8.

## *Ordo Equitum S. Georgij de Alfama.*

A Petro II. Aragoniæ Rege apud Alfamam arcem in littore maris Balnearici, in Principatu Calatrauæ originem habuit, circa annum 1201. ſubiectuſq; Regulæ S. BENEDICTI, & Ciſtercienſibus ſtatutis fuit, ſed nunc Ordini Monteſiæ vnitus, neq; ab eo contradiſtinguitur etiam appellatione.

Agunt de eo *Marulus. Barboſa. Tamburinus.*

§. 9.

## *Ordo Equitum S. Michaelis ſiue Ordo de Ala.*

ALphonſus Henriquez I. Luſitanorum Rex, anno Dñi. 1166. pugnans contra Albarch Regem Siuilliæ infidelem, in adiutorium ſuum habuit præſto Angelum Dei, cuius ſolummodo *brachium pugnantis* & ipſe Alphonſus vidit, & Maurorum multi, manum tantum contra ſe pugnantem viderunt & hoc idem, dum captiui detinerentur apud Alphonſum, iure iurando retulerunt. Cuius beneficij Rex memor, Cænobium Alcobatiæ Ordinis Ciſtercienſis dotauit, in quo etiam, *Militiam S. Michaelis* inſtituit, Symbolum vero Ordinis, Alam S. Michaelis purpuream, intermicantibus radijs aureis ſupra ſiniſtrum latus eſſe conſtituit, & inde Militiæ nomen indidit. Quod *Inſigne* nemo ab alijs accipere poteſt, præterquam ab Alcobatienſis Monaſterij Abbate, ſicuti & cappam candidam, quam ijdem Milites deferunt, ab ipſo Abbate benedictam recipiunt, & in manibus eius iurant, ſe Romano Pontifici & Regi fidelitatem

 præſta-

præstaturos, & Constitutiones Ordinis Cisterciensis obseruaturos. De hoc Alphonso Rege fertur, quod cum fratres ad prædictum Alcobatiæ Monasterium, à Sancto Bernardo Clareuallensi mitti sibi rogaret, Sanctus ei quoq; Epistolam suam cum Fratribus miserat, in quâ, hæc inter cætera leguntur, velut Prophetico spiritu prædicta. *illud condentes Monasterium in cuius duratione & integritate, indelebile habebitis Elogium Regni vestri & in diuisione redituum, diuidetur à vobis corona vestra.* quod quidem aiunt eueniſſe temporibus Henrici Cardinalis, qui Sebastiano Regi in Africa cæso suffectus, sine liberis obijt & Philippo II. Castellæ Regi Catholico, lampada Regnumq; tradidit. Alcobatia vero vt est omnium Orbis Christiani Abbatiarum ditiſſima, sic duos hodie Abbates habet, vnum Regularem seu Monachum, alterum Commendatarium seu secularem ex Principibus aliquem. Hæc Abbatia caput est Congregationis Lusitanicæ Cisterciensis, quæ complectitur Monachorum Cænobia 16. Monialium autem, plus minus viginti. Quæ Congregatio habet sua Collegia *Eboræ* & *Olysipone* in quibus Philosophica ac Theologica studia mirificè florent.

Agunt de his Equitibus S. Michaelis, siue de Ala *Chrisost. Henriq.* Bernardus de Britto. Chronic. Cisterc. *tom. 1. lib. 5. Cap. 18.* Miræus *Orig. Monast. lib. 2.*

## §. 10.

## *Alcantaræ Equitum Ordo.*

ALcantaræ Equestris Militia, à suprapositis Sancti Juliani de Pereyro militibus, A. D. 1218. in oppido quod dicitur Alcantara, in Regno Castellæ, ad Tagi fluminis ripam, exordium sumpsit; hinc à loco cognominati sunt, *Equites Alcantaræ.* Res autem ita se habuit; donati namq; milites Ordinis S. Juliani de Pereyro, *Alcantarâ,* liberalitate *Nunnÿ Fernandez Calatrauæ Militum Magistri,* vt inde, tanquam ex arce munitiſſimâ atq; firmiſ-

firmiſſimo propugnaculo, & hoſtium fines inuaderent, & proprios inuaſos defenderent, ac impetus vndequaq; prouenientes reprimerent; Habitum Religionis Calatrauæ, proprij obliti, in beneficij accepti memoriam ſumpſerunt, & ſe ac Ordinis Magiſtrum, Viſitationi, Inſtitutioni, ac correctioni, Magiſtri Militum Calatrauenſium ſubiecerunt, dummodo nec bona alienare, nec Magiſtrum proprij Ordinis Alcantaræ eligere præſumeret. à quibus tamen conditionibus, (teſte Franciſco Menenio *libro de Orig. Milit. Equeſtr. pag. 45.*) ſe exemerunt, authoritate Apoſtolicâ, & habitum album, ac pro Inſigni *Crucem viridem* geſtarunt & modo geſtant: quod etiam confirmatum ſibi fuit anno 1411. per Benedictum XIII. quem Hiſpania vt legitimum Pontificem habebat. eſt huius Ordinis Perpetua Adminiſtratio, apud Reges Catholicos, vt & de *Calatraua*, *Auiſio*, *&c.* ſupra retulimus. Huius Ordinis Milites, à primâ inſtitutione Caſtitatem ſecundum Regulam S. BENEDICTI profeſſi ſunt; poſtmodum vero Paulus III. matrimonium vti Calatrauenſibus indulſit, vnde in forma profeſſionis dicunt. *Promitto vobis obedientiam, caſtitatem coniugalem, & conuerſionem morum meorum de bono in melius, omni tempore vitæ meæ vſq; ad mortem ſecundum Regulam S. Benedicti.* Honorius III. exemit huiuſmodi Militiam, à ſolutione Decimarum; idemq; Sixtus IV. & Leo X. approbarunt. Præterea in mortis articulo Sixtus IV. Indulgentiam plenariam more Jubilei eiſdem indulſit. cætera vide apud Henriquez.

Agunt de hoc Ordine *Polyd. Virgil. Menenius. Barboſa. Tamburinus. Miræus, &c.*

§. II.

## *Ordo Mercenariorum Equitum.*

MErcenariorum ſeu *Sanctæ Mariæ de Mercede & Redemptione captiuorum*, Ordinem Equeſtris Militiæ, A. D. 1218. erexit in ciuitate Barcinonenſi, Aragoniæ Rex Jacobus I. vel quia

id, B. Mariæ vouerat, dum in Montione, captiui ad instar, tentus est à Simone Montfortis Comite, in Gallijs, huiusmodi Ordinem se instituturum; vel quia vsu edoctus, miseram captiuorum conditionem, & deplorandum statum nouerat, ac proinde maximum pietatis opus se facturum sibi spondebat, si in auxilium & leuamen infelicium captiuorum, præsentem Militiam ordinasset, quod & defacto executus est. *Petrus Nolascus* post Regem, huiusmodi pium institutum æmulatus, fidelium de eleemosynis pecuniâ cumulatâ vel redemit, vel propriâ & sociorum militari operâ, miseros Christianos in seruitutem redactos, Mauris & infidelibus abstulit. Hanc viuendi rationem & pietatis normam Gregorius IX. anno 1230. approbauit, multisq; alijs Priuilegijs locupletauit, ad fideliũ animos, operam hanc summæ misericordiæ exercendam, excitandos, vt refert Franc. Menenius Ordinum Militarium Origines recensens pag. 46. Sunt qui asserant, huius Militiæ Equites, Regulam S. Augustini sequi, verum Lectorem in hoc monitum & gnarum esse volo, duos videlicet esse Ordines Mercenariorum, alium Claustralem Monachalemque, alium Equestrem Militarem, nos vero hic loqui, non de Regularibus S. Mariæ de Mercede, non militibus, sed, de militibus S. Mariæ de Mercede & Redemptione captiuorum; primi enim S. Augustini Regulam profitentur, nostri autem Milites, Benedictinam, prout refert Wion. *1. par. lig. vitæ cap. 86.* de auditu testis; qui etiam ad maiorem certitudinem, ponit Formam professionis sibi à Militibus huius Equestris Ordinis relictam, his verbis. *Ego N. miles Ordinis Sanctæ Mariæ de mercede & Redemptione captiuorum facio professionem & promitto obedientiam, paupertatem, castitatem obseruare, DEO, viuere & comedere secundum Regulam Sancti Benedicti & in Saracenorum potestate si necesse fuerit ad redemptionem Christi fidelium detentus manebo.* Vbi seipsos obligant, nisi sit aliud medium, vt ab infidelibus captiuos redimant. Probant hanc eandem distinctionem, Insignia horum Ordinum

num diuerſa, nam qui Regulam S. Auguſtini ſequuntur, ad Arma Regia & Crucem, Faſciam auream in vmbonis medio, vmbonemq; prætextâ aureâ inſignitum geſtant, qui vero Regulam S. BENEDICTI ſequuntur, ſolâ cruce candidâ in rubro, Armis Regijs ſuperpoſitâ, contenti ſunt.

De hoc Militari Ordine agunt Arnold. Wion. & Franc. Menen. locis citatis. Sylueſt. Marul. *in Ocean. Relig. lib. 3.* Hieronymus Curita *lib. 1. de reb. Aragon.* Illeſcas *lib 5. cap. vltimo.* Pineda. Tamburinus.

§. 12.

## *Montis franci Equitum ſiue de Monfrac Ordo.*

MOntis franci ſiue Equitum de Monfrac Ordo, in Regno Caſtellæ, circa annum Domini 1221. ſurrexit. Huius Militiæ alumni, ſtudio rei bellicæ & pietatis, cæteros in Syria Equites, adeò laudabili progreſſu æmulati ſunt, vt multis à Chriſtianis Principibus, poſſeſſionibus aucti, opimos cenſus & prædia obtinuerint. Nomen huius Militiæ, deriuatum eſt à præcipuâ Conuentus ſede, quæ fuit in Caſtro *de Monfrac* in Regno Caſtellæ, quod Caſtrum cum *Ferdinandus* Rex cognomento *Sanctus*, Gonſaluo Iannesio Calatrauenſi Magiſtro donaſſet, extingui cæpit Equeſtris hic Ordo de Monfrac. Vnde Chriſoſt. Henriquez *in Menolog. Ciſter. pag. 276. ſcribit. Milites de Monfrac Ciſtercienſium habitum induiſſe, diuq; Sub Regula S. Benedicti & legibus Ciſtercij perſeueraſſe, ſed poſtmodum Ordinem antiquatum eſſe.*

Agunt de hoc Ordine Radeſius de Andrada *in Chronicis Calatrau.* Franc. Menenius *de Orig. Ord. Milit.* Tamburinus.

§. 13.

## *Truxillenſium Equitum Ordo.*

TRuxillenſis Ordo Equeſtris in Hiſpania, anno Domini 1227. ortus eſt, in ciuitate Truxillo, à quo & cognomen Militiæ

acce-

accepit: cui Alphonsus Rex diplomate condito, oppida & prædia ditissima hæreditariò acquisita, *Truxillum* videlicet, *Sanctæ Crucis, Zuferolam, Cabanam,* & *Albalam,* concessit. De hoc Ordine agunt Andrada, Menenius locis citatis. Rodricus à Cunha *in 1. par. Decret. dist. 54. n. 96.* qui hunc Ordinem, cum Militia de Monfrac confundunt.

Iam vero Chrisost. Henriq. *in Menolog. Cister. pag. 276. ait,* hunc Ordinem inter Militares Cistercienses connumerari, prout acceptatum fuit, in Capitulo quodam Generali huius Ordinis, cuius Capituli Actorum verba sunt hæc. *Ordo Militum de Truxillo Ordini Cisterciensi incorporetur, & Abbati de Moreucela obediat.* Videatur Tamburinus qui plenius refert prædicta.

## §. 14.

## *Ordo Equitum Montesiæ.*

Montesiæ Equitum Ordo, sub Regula Benedictina; & institutis Cisterciensis Congregationis sub B. Mariæ patrocinio anno 1316. surrexit. Is Ordo sub Guilelmo Erilio eiusdē Militiæ 1. Generali Magistro erectus est, à Iacobo II. Aragoniæ Rege, qui cum ex prædijs, quæ Templarij Milites in Tractu Valentino obtinuerant, nouam Militiam instituere vellet ad infidelium reprimendos incursus, licentiâ à Ioanne XXII. Sum. Pont. obtentâ, construxit Cænobium in Castro *Montesiæ* [à quo & Ordinis denominatio sumpta est] accersitisq; Calatrauensib' Militibus, qui nouos Milites, Regulam S. Benedicti & Constitutiones Cisterciensium docerent, inchoata est Militia Montesiæ, & confirmata postmodum à prædicto Pontif: Ioan. XXII. vt est auctor Henriq. de Priuileg. Cistercien.

Subiacet hic Ordo Visitationi & correctioni Abbatum *Vallis dignæ,* & *Sanctarum Crucium* in Principatu Cataloniæ Ordin. Cisterc. Item Prior Sacri Conuentus ex Monachis Sanctarum Crucium eligitur, cui Sacerdotes pariter & Milites obedire tenentur.

nentur. Huius Ordinis Priuilegia, communia ſunt cum Ordine Ciſtercienſi, & alijs Ciſtercienſibus Militibus: profitentur Milites Caſtitatem, iuxta tamen facultatem Indulti Pauli III. prout ſupra de alijs diximus. Huiuſmodi Ordo, licet tenuis fortunæ quoad bona temporalia ſit, virtute tamen bellicâ huius Militiæ Equites, in profligandis Saracenis Valentina littora infeſtantibus, non inferiores alijs extitêre. Magiſter Militiæ, Crucem rubram in veſte candida, ſed maiorem, certis ad brachia punctis diſtinctam geſtat; reliqui verò milites vtuntur veſte candidâ & cruce rubrâ & plana, licet in vexillis militaribus, cruces, nigro viridiq; colore diſtinctas deferant.

Agunt de hoc Ordine Zurita *lib. 6. Annal. Aragoniæ.* Polydor. Virgil. Illeſcas *Hiſt. Pontif. par. 2. lib. 2.* Sylueſter Marulus. Barboſa. Tamburinus.

§. 15.

## *Ordo Equitum, IESV CHRISTI.*

JESV CHRISTI Equeſtris Ordo, circa Annum Domini 1319. à Dionyſio Periota Portugalliæ Rege ortus eſt, ſub Regula & inſtitutis Ciſtercienſium, in Sanctarena Vlyſſiponenſis Diæceſis. Prædictus enim Rex, ad confinia ſua in Regno Algarbij, ab incurſionibus barbarorum tuenda, militarem Ordinem inſtituere cupiens, cuius fidelitati negotia bellica, & quietem Regnorum committeret, nouã Militiam in bonis Templariorũ per Clementem V. extinctorum, diplomate Joannis XXII. inueſtiuit, & in Caſtro marino, totius Ordinis capite, Militiæ ſuæ, ſub JESV CHRISTI nomine & patrocinio, fundamenta iecit, eiq; *Ægidium Martini,* præclaræ virtutis virum, multiſq; meritis decoratum, ex Auiſienſi familiâ deſumptum, Magiſtrum Generalem præfecit. Teſſera ſeu inſigne horum Militum, eſt *crux rubicunda*, cuius quatuor brachia, linea candida interſecat, formata pariter aliâ cruce candida, ſic vt binæ Cruces appareant, rubra & candida. Plures & ditiſſimas per

Lusitaniam Commendas possidet, illiq; Oriens, quem suis nauigationibus Lusitani aperuerunt, vectigalis est. Nullus vt plurimùm in hunc Ordinem cóoptatur, quem non maiorum nobilitas commendet, & suis ac proauorum rebus gestis, domi militiæuè, admitti dignus sit. Lege lata cautum est, vt admittendi, per triennium saltem in Africanis præsidijs, *Septa*, *Tingis*, & *Masagani*, inter frequentes Maurorum incursus & excursus, virtutis specimen ferant.

Agunt de hoc Ordine Aubert Miræus *de Orig. Ord. Cisterc. lib. 2. cap. 30.* Illescas *Hist. Pont. par. 2. lib. 6. cap. 2.* Platina *in Ioanne 22.* Jacobus Bossius *in Hist. Milit. tom. 2. lib. 1.* Wion.

§. 16.

## *Ordo Equitum Sancti Stephani.*

SAncti Stephani Equestris Ordo, Anno Dñi 1560. à *Cosmo Mediceo Magno Hetruriæ Duce*, atq; hoc nomine *Primo*, sub Regula S. BENEDICTI, & nomine ac numine S. Stephani I. Summi Pontificis, excitatus est. Is enim ingentis animi & profundæ prudentiæ Princeps, cùm rebus suis firmandis, & Senarum, superiorum temporum incuriâ, ac belli recentis ruinis deformatarum instaurationi, non segnem operam impendisset, vt felicis ad *Martianum prælij*, quod eius fortunas, oppressis hostibus in Hetruria, fundauit, memoriam reuocaret, & eadem operâ, littus Thyrrenum, â Turcarum, & Pyratarum excursionibus, tueretur, classemq; ad expeditiones contra Machometanos suscipiendas non solum rebus necessarijs, sed & hominibus rei maritimæ gnaris, optimè instructam haberet, ad instar Hierosolymitani Ordinis, Anno prædicto militiam S. Stephani Pontificis & Martyris, quod *pugna Martiana*, tertio Nonas Augusti, qui dies eidem S. Pontifici sacer est, incidisset, statutis ac legibus conditis, instituir, & vt à Pio IV. confirmaretur impetrauit, qui complura, Equitibus huius militiæ, priuilegia indul-

indulsit. Hæc quoq; Prænobilis Religio à Sixto V. priuilegijs multis ornata est, inter quæ facultas eisdem conceditur, vt etiam vxorati & bigami pensiones annuas Ecclesiasticas, Ducentorum Ducatorum auri de Camera, super quibusuis beneficijs, obtinere possint & retinere, & in quamcunq; summam, etiam quod in habitu Clericali non incedant. Milites etiam huius Religionis emittere possunt Professionem intra Annum probationis, & non comprehenduntur in Decreto Concilij Tridentini Sess. 25. cap. 15. vt habetur in vna Tyrasonensis pensionis.

Agunt de hoc Ordine Onuphrius *Anno 1562.* Morigia *lib. 4.* Barbosa *de iure Eccl. lib. 1. cap. 41.*

§. 17.

## *Ordo Equitum S. Mauritij & S. Lazari.*

SAncti Mauritij Equitum Ordo, sub Regula S. BENEDICTI, à Duce Sabaudiæ Emmanuele Phyliberto, anno 1572. institutus est, temporibus Gregorij XIII. & Maximiliani II. Romanorum Imperatoris. Institutum huius Militiæ est, Sabaudiam ab Hæreticis illæsam tutari ac conseruare, deinde totam Italiam, cuius ipsa est Claustrum & munimentum contra quoscunq; barbarorum incursus, defendere. Hunc Ordinem idem Gregorius confirmauit, ac priuilegijs per suam specialem Constitutionem communiuit.

Iste Ordo S. Mauritij, auctus est Ordine S. Lazari Hierosolymitani, (erat Hospitalariorum Ordo sub Regula S. Augustini militans) quem Pius IV. anno 1565. ex antiquissimo penitùs extincto, excitauerat, & amplissimis gratijs, priuilegijs, ac immunitatibus, ad instar aliorum militarium Ordinum decorauerat, & pro tempore *Ioannottum Castilioneum* Nobilem Mediolanensem Magistrum Ordinis præfecerat: hunc inquam Ordinem Gregorius XIII. suâ Constit. quæ incipit. *Pro commissa.*

vniuit Ordini prædicto S. Mauritij, declarato Magistro totius Ordinis, Emmanuele Duce Sabaudiæ, ac eius in futurum successoribus: & vbiprimùm tessera S. Lazari, erat Crux viridis, & Ordinis S. Mauritij Crux candida, in hac vnione decretum est, Milites in posterùm pro Insigni suæ Militiæ, intra crucem viridem, Crucem candidam poni debere, & communia vtriusq; Militiæ priuilegia esse. Patronus & tutelaris huius Equestris Militiæ, est *S. Mauritius* Thebæorum legionis Dux gloriosus & Martyr Christi, à quo Sabaudiæ Duces stemma suum (opinione quorundam) ducunt, & huius Sancti Gladium & Annulum summâ veneratione adseruant.

Agunt de hoc Ordine Syluester Marul. Miræus. Wion.

§. 18.

## *Ordo Equitum S. Bernardi.*

HVnc in Hispania extitisse quondàm, & sub Regulâ S. BENEDICTI meruisse, atq; ad tempora Petri Regis Castellæ, à quo idem Ordo, contra ius Diuinum & humanum extinctus est, perdurâsse. Sanctum Bernardum ceu Ducem colebant, & eius titulo gloriabantur. meminit eorum Chrisostom. Henriquez in Menologio Cisterc. & Joan. Mariana. Neq; solùm hic *Ordo S. Bernardi*, verùm & alij quondam florentes Ordines nunc desierunt vti *Templariorum*, *Montis Gaudij*, *&c.* nonnulli verò Ordines cum alijs vniti sunt, sicut *Ordo de Truxillo*, *& Ordo de Piro*, vniti sunt cum *Alcantarensibus*, *&c.*

Obseruandum autem hoc inprimis est, Militarium Ordinum virtute ac potentiâ, Hispaniam à Maurorum seruitute liberatam esse, & nunc in eo in quô est flore, eorundem armis conseruari. Ex dictis verò Ordinibus, pleriq; Cistercienſium nostrorum Constitutiones, cum Regula S. P. BENEDICTI obseruant: vnde insignis gloria Regulæ Benedictinæ patet, quam vtriq; conditioni Religiosorum, Choralium æquè ac Militantium, conuenientem esse videmus.

§. 20. De

§. 19.

## *De varietate Congregationum, & quæ earum vtilitas.*

QVærere autem quis iurè possit, cur in tanta Congregationum Benedictinarum copiâ, varietate, nobilitate, quibus & tanquam adminiculis sustentatur, & tanquam luminibus decoratur Sacer Benedicti Ordo, Maiestas tamen illa, cuius spiritu totum Ecclesiæ corpus administratur, & pars nobilis eiusdem Ecclesiastici corporis, Ordo Benedictinus regitur, nouas in hoc Ordine Congregationes & familias, nouas Prouincias suscitet, & tanquam non contenta veteribus, alia Ordini præsidia comparet, alios denuò splendores accersat?

Ac mihi quidem præter arcana eius Sapientiæ consilia, quæ rationum omnium momentis longè præponderant, causæ istæ in mentem veniunt. Quarum ea princeps est, vt nouæ Satanæ in ordinem machinationes ac technæ nouis item suæ Maiestatis inuentis, nouis artibus eludantur. Fremit inuidissimus hostis ad extinguendum omnem cultum sacri Ordinis, laxandamq; & perdendam innumerabilem vim animorum, seruitiũ Dei in hac Religione eligentium: plerosq; è Monachorum numero blandè seducendo, & spiritum teporis nociui inhalando; adest hic omnipotentis Dei prouidentia, quæ tepidis opponit zelatores ardentes, suæ sanctitatis splendore coruscos, ad excitandos aliorum animos viros percommodos, quorum feruore, studia multorum, ipsa etiam diuturnitate remissa, nouis conatibus & exemplis præclarè acuuntur. Excitauit nuperis, eximios, amore feruidos, spe firmos, zelo insignes viros temporibus istis Deus, qui veteri cui B. P. N. Benedictus seruiuit, resumpto spiritu, ad obseruantiam pristinæ disciplinæ exemplis & monitis plerosq; reuocarũnt; quorum princeps est *Barrerius* Fuliensium pientissimus author, apud quos effecit vt nudis incedant pedibus, ab esu carnium & piscium abstineant, mentali orationi per binas diei horas vacent, sacris inuigilent studijs,

 ad ple-

ad plebem concionentur. Monialium etiam Congregatio tituli S. Annæ, hâc ætate initium sumpsit in Vrbe *Vallisoletanâ*, vbi primum, Monialium Benedictinarum Regularis obseruantiæ Cænobium est ædificatum, demùm etiam *Toleti*, *Talaueræ*, *Madriti*, & alibi excitata Monasteria, in quibus præter abstinentiam à carnibus, summus disciplinæ Monasticæ rigor viget, vt Monialibus Carmelitanis Discalceatis, nihil cedere videantur. Sunt & aliæ Congregationes nouitiæ Instituti Benedictinorum, in quibus Professi sese ad industriam & pristinas contentiones sacras reuocauerunt, suas curas & vigilias cùm in excolendis seipsis, tum in fouendis tuendisq; proximis, intenderunt. Vt nullam temerè ac fortuito, sed summâ omnes prouidentiâ ac consilio, Congregationes Institutas ac procreatas in Ordine Diui Benedicti credas, si cuiusq; vires atq; functiones, & quibus quæq; sit instructa & ornata muneribus, animaduertas. Consentaneâ quippe, destinatis vsibus, Deus velut suâ dote singulas locupletat & ornat, singularumq; operam ad vineæ suæ culturam, pro tributis cuiq; muneribus & donis adhibet: ideoq; certis ætatibus ac temporibus nouis, nouas educit cohortes, & de arbore Benedicti recentes facit surgere propagines, quæ perennitatem Ordini conciliant, prouectamque illius ætatem nouâ sobole consolantur.

Accedit quòd ijs Congregationibus ipsa quoq; in Ecclesia varietas, quæ fons est pulchritudinis omnis, amplificatur & crescit. Nam vt in condendo mundo, fabricator tanti operis, vt suæ in eo vestigia pulchritudinis adumbraret, & de thesauris suis, ex illo immensitatis oceano suppeditaret aliquid, infinitarum eum rerum varietate distinxit, vt ea de caussa Græci, propter insignem speciem κόσμον, Latini *Lucentem* seu *Mundum* nominârint. sic in Ecclesiæ corpore, quam quotidie sibi velut vnicam sponsam exquisitiùs adornat, & nouis quodammodò splendoribus ad elegantiam expolit, spectabilem quandam ex omni Congregationum ac cætuum genere varietatem admiscet,

scet. Quæ tanta tamq; admiranda in omni statu ac natura varietas, non tam quia spectabilis, ac decora, quàm quia peropportuna & sæpè necessaria probatur, ab summo illo ac sapiente opifice videtur inuenta. Quorsum enim ad capiendos humani corporis sensus, tam multiplex est reperta varietas? cur pascendis singulis singula rerum inuenta sunt genera, colorũ, sonorum, saporum, odorationum atque tactionum? quorsum tot animantium species? tot locorum ac regionum, tot oppidorum tanta descriptio? quorsum tanta in his notis vsitatisq; naturis formarum generumq; dissimilitudo? Ad vniuersi profectò, non tantùm vsum multiplicem, hominum atq; opportunitatem, sed etiam ornatum ac voluptatem, eam varietatem excogitauit Diuina solertia, quâ & cuiusq; priuati moribus, & vniuersæ Ecclesiæ pulchritudini, præsentiumq; temporum necessitati voluit esse prospectum.

§. 20.

## *De Priuilegijs à Christo Domino Sancto Patri Benedicto datis.*

NOn leuiter omittendum censeo, quod insigniter ad augendum Ordinis nostri splendorem & gratiam facere videtur, illud nempè celeberrimum viuæ vocis oraculum S. P. N. Benedicto diuinitùs datum factumque, quod in hunc modum à Prudentio Sandouallio, *lib. de Fundationibus Monasteriorum par.* 1. §. 6. euenisse narratur, verba sunt eius. *Dicit Author Historiæ Sublacensis, & habetur in peruetusto Codice eiusdem domûs, ( qui & aliũ citat, qui extat in Francia in Monasterio Lirinensi & velut certissimum asseuerat ) S. P. N. Benedicto in oratione existenti in Monasterio Narrebotensi, apparuisse Angelum eiq; dixisse: quòd Deus illum exaudisset, vtq; eam, quam vellet peteret gratiam aut beneficium. At Sanctus humilians se respondit; Tanta beneficia sibi, tanquam indigno à Deo collata, seque tam ignorantem, vt propterea fortè minùs exau-*

*diretur*

*diretur petitio, faceretq; Deus commiserando illius, quod sibi vtilius aut conuenientius foret, cui respondit Angelus; Bene est quod inquis, quinq; sunt quæ tibi concedit Deus, cui proprium est audire & exaltare humiles.*

1. *Quòd Ordo tuus vsq; ad finem mundi stabit.*

2. *Quòd in eius fine, pro Ecclesiâ Romanâ stabit fidelissimè & plures in fide confortabit.*

3. *Quod nullus in eo morietur, nisi in statu salutis, & si malè incipiet viuere & non desistet, vel confundetur, vel ab Ordine eijcietur, vel per se egredietur.*

4. *Quod omnis qui Ordinem suum persequetur nisi resipiscat, vita sibi abbreuiabitur vel malâ morte morietur.*

5. *Quod omnes qui Ordinem suum diligent bonum finem habebunt.* De hoc oraculo, & in eo contentis Priuilegijs, copiosè agit, Arnoldus Wion *ligni vitæ lib. 1 Cap. 1.* item Carolus Stengelius in *Corona lucida parte 1.* Cornelius à Lapide *in Commentar. super Ieremiæ Caput 35.* Benedictus Hæftenus *in Disquisitionibus Monasticis*, & alij plures viri graues & docti, qui rem penitùs non esse vanam, nec è cerebro alicuius natam, sed veraciter Ssmo. P. N. adpromissam, & tanti temporis decursu planè firmam, certam, compertamq; demonstrârunt.

Et verò, præter eorum rationes allatas, non dissimilia sunt Priuilegia Ordinis S. Francisci communicata à Deo, quæ ego desumpta ex Appendice ad Regulam S. Franc. Capucinor. Congregat. adfero. *Refert Dn. Gregorius Papa IX se audiuisse à Beato Francisco dum viueret ipsum Sanctum à Domino Deo tria Priuilegia obtinuisse.*

1. *Quòd quantò plures Fratres essent in Ordine, & eorum numerus augeretur, tantò abundantius eis prouideretur.*

2. *Quod nullus in habitu posset malè mori* (intellige sanè, videlicet, dummodo vita sit conformis habitui, quoad Fratres, & deuotio recta & compuncta, quoad seculares.)

3. *Quod quisquis Ordinem suum persequeretur, grauiter à Domino puniretur, & dies suos in breui & malè finiret.*

*Item*

*Item dicit B. Franciscus tria inter alia se habuisse Priuilegia, à Seraph sibi in monte Aluerniæ apparente, tempore stigmatisationis suæ.*

*1. Quod professio Fratrum suorum siue Ordo suus durabit vsq; in diem iudicij.*

*2. Quod nullus volens in Ordine malè viuere, poterit ibi diu perseuerare.*

*3. Quod quicunq; ex corde diligeret Ordinem suum. quantumcunq; sit peccator, misericordiam à Domino consequetur pænitendo.* quæ Priuilegia libro singulari propugnauit *R. P. Angelus de S. Francisco Anglus Ordinis Fratrum Minorum strictioris Obseruantiæ*, cuius scuto & Nostra Benedictina Priuilegia pariter proteguntur.

Cæterum maioris lucis gratiâ, quantum spectat ad tertium punctum Benedictini Oraculi, quod minus credibile fortè videri posset, hoc quod de Cassinensi Archisterio apud *Hæftenum* nostrum & *R^m. Constantinum Caietanum* Abbatem legi, refero. Cassinensis inquit Monasterij Cænobitæ, piâ vetustâq; traditione asserunt, quasi certum isthic haberi, nullum ibidem mori in statu peccati mortalis, idq; varijs experientijs fuisse comprobatum. Nonnullos enim seculares grauibus sceleribus irretitos, insigni dum isthic essent, pænitentiâ, ad Deum sese conuertisse, priusquam è viuis excederent. Idipsum Sacratissimi huius (ad minimum) Cænobij priuilegium saltem pro degentibus in eo Religiosis agnouisse videtur B. Petrus Damiani *Opusc.* 35. *Cap.* 16. Desiderio Abbati totiq; Conuentui ita scribens, *Beati qui vobiscum viuunt, beati qui inter vos & in Sanctis operibus vestris moriuntur. Piâ nimirum fide credendum est, quia Scala illa quæ de Cassino monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc pallijs strata, lampadibusq; corusca, sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum transmittit ad cælestia subsequentem.*

Merito proinde iam olim magni fuit habita ad Montem Cassinum peregrinatio, cuius amore ita reficiebatur idem Petrus Damiani vt Desiderio Cassinensi Abbati scribere non dubitauerit, *Opus.* 33. *Si per tam longinqui itineris ductum, S. Benedicti*

*dicti Patris Nostri limen attingere licuisset, ego non paruæ mercedis cumulum deputarem; & certum teneo, quia si in illius peregrinationis itinere me obire contingeret, non tam proprij reatus me grauaret exitium, quam illius attolleret dignitas meritorum* Ad quod quidem Sacrum, Deoq; acceptum Cænobium Cassinense, non modo Orbis Christiani Præsules, Pontifices Maximi, & Regnorum moderatores, verum & ipse Sanctus Petrus Apostolorum Princeps, qui Romanam fundauit Ecclesiam venire & suâ præsentiâ inuisere miraculosè consueuerat. Testis eius rei est Leo Cardinalis, Ostiensis Episcopus de eâ re, *Chronic. Cassinen. lib. 3. Cap. 67.* ita loquens. *Dum quidam Peregrini orationis gratiâ, ad B. Benedictum venirent, obuius illis quidam Vir Canonicus factus est, quem quis esset interrogantes, B. Petrus Apostolum se esse respondit. & illi, Quo tendis? & Sanctus Apostolus, Vado ad Fratrem Benedictum, vt cum illo passionis meæ diem celebrem, nam Romæ consistere non valeo, varijs enim procellis Ecclesia mea deprimitur.* Hæc Leo Cardinalis Episcop. Ostien. De successoribus vero B. Petri, Romanis Pontificibus, Constantinus Caietanus Abbas, in Commentario ad vitam Gelasij II. Pont. Max: id testatur, & vt singulare ex sacris vetustisq; Monumentis S. R. E. à se desumptum allegat. *Consueuere* inquit *Maximi quiq; Pontifices, post adeptam Romæ Pontificiam dignitatem, Cassinum contendere, atq; ob honorem Magni Monachorum Patriarchæ Benedicti, in eius Ecclesia, easdem fere Electionis & Coronationis Pontificiæ carimonias quas Romæ peregerant, quoquo modo iterare.* Id vero præter perpetuam Cænobitarum illorum per manus ductam traditionem, Porphyretica sedes [ super quam sedentes ipsi Romani Pontifices, Petriq; claues suscipientes, Petri successores acclamabantur, quæ in Ecclesia Cassinensi etiamnum seruatur, quæq; eiusdem est prorsus formæ, vt illæ Duæ Lateranenses ] ostendit. Imo etiã ostendit hoc ipsum Argentea Fistula, vt dicunt, quâ Summi ijdem Pontifices Sacrosanctum IESV Christi sanguinem haurire solent, quæq; in Sacrario Cassinensi etiamnum custoditur, eiusdem

dem prorſus formæ cum illâ quâ Romæ ijdē vtuntur Pontifices.

Et vt morem hunc viſitandi Sacra Caſſinenſis Monaſterij limina, à Pontificibus Romanis adeo conſuetum, præaſſertus Caietanus Abbas adprobet, Vrbani II. Diploma producit, ex archiuo Caſſinenſi deſumptum, tenoris huiuſmodi. *Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Omnibus Eccleſiæ Catholicæ filijs, Redemptoris Noſtri Sanguine pretioſo redemptis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Scriptum eſt, ſine pænitentia ſunt dona & vocatio Dei; illud vero donum quod Omnipotens Deus Beatiſſimo P. N. Benedicto, & per eum ſuo Caſſinenſi conceſſit Cænobio, nulla poteſt ratione conuelli, nulla violentia permutari, quin ipſe omnium Monachorum Pater, & eius iam dictum Caſſinenſe Monaſterium, caput omnium Monaſteriorum perpetuo habeatur. Et merito, nam ex eodem loco, de Benedicti pectore, Monaſtici Ordinis veneranda Religio, quaſi de Paradiſi fonte manauit; quem etiam idem Venerabilis Pater, virtutibus & ſuâ corporali requie, memorabilem toti Orbi effecit. Cuius dum Sacratiſſima limina more Prædeceſſorum noſtrorum, ipſo die vigiliarum eiuſdem Patris viſitaſſemus &c.* Ex hoc itaq; Diplomate, multiſq; alijs conſimilibus, probat, conſuetudinem Romanorum Pontificum fuiſſe, viſitandi Caſſinenſem Eccleſiam, propter illius præcipuam & primam poſt limina Apoſtolorum dignitatem, & propter magnum Ordinis Monaſtici Patriarcham Benedictum, qui poſt primos & Beatos Apoſtolos, Principem Sanctitatis locum obtinere promeruit.

Quod ipſum affirmaſſe *S. Fauſtum* eiuſdem S. Patris diſcipulum, *in vita S. Mauri Abbatis, à Bonifacio Papa III. approbatâ* cognoſcimus; qui de B. Benedicto his verbis loquitur. *Tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini poſt Beatos & primos Apoſtolos vnquam fuerit ſecundus, ſed potius Deo ſe iuuante, tot Sanctorum extiterit fundator Cænobiorum, tantaq; Domino acquiſierit millia perfectorum Monachorum.* Iam vero peregrinationis huius ad Caſſinenſem S. Benedicti Domum frequentia, Nazarenâ adueniente Lauretum Magnæ Dei Matris Domo, [ in quâ Dei verbum ex

eadem Virgine carnem assumpserat ] cessauit. Nam quemadmodum Verbo Dei Hierosolymis apparente, Præcursor *Baptista* qui illius erat *vox* & Benedicti figura, prædicare cessauit; ita Benedictus in Italia, quem Deus ipse præuenerat in benedictionibus, ad aduentum eiusdem, cuius erat Domus reuerenter occurrens, declinare voluit. Nihilominus multi adhuc deuotionis ergo, ad illud Cassinense Domicilium venire assolent, ex ijs præsertim, qui sciunt quanta & quam magna à Deo fuerit gratia Monasterium illud donatum, hac nempe, quod per magnum seruum eius Benedictum, profligato iam indementitæ Diuinitatis cultu, sit substituta in eius locum, veri Numinis cognitio ac reuerentia: ita vt in ipso Montis fastigio in quo idololatriæ sedes erat, vero Numini dicata sint Templa, Sanctitati Gymnasium, Ingenuis artibus honestissima sedes. De quo S. Zacharias Papa I. Diplomate suo sic inquit *Cassinense Cœnobium exaltantes decernimus ac in perpetuum Confirmamus, vt supradictus locus, dignitate, vigore, & honorificentia præcellat omnia Monasteria, quæ constructa vel construenda sunt in toto Orbe terrarum. Abbasq; eiusdem loci celsior & celebrior existat omnibus Abbatibus eandem Regulam tenentibus.* Eandem hanc maximam eiusdem Cænobij Cassinensis, eiusq; Abbatis dignitatem, confirmauere Romani etiam Pontifices, Paschalis II. Vrbanus II. Innocentius II. alijq; quibus etiam suffragati sunt Imperatores ac Reges: ex quorum Priuilegijs, decretum, legisse se Caietanus Abbas in Archiuo Cassinensi, eiusdem Abbatis Titulum, quo inscribebatur in hunc modum. *Patriarcha Sacræ Religionis, Abbas Sacri Monasterij Cassinensis, Dux & Princeps omnium Abbatum & Religiosorum, Vice-Cancellarius S. R. I. per Italiam, Cancellarius Regnorum vtriusq; Siciliæ, Hierusalem, & Hungariæ, Comes & Rector Campaniæ, Terræ Laboris Maritimæq; Prouinciæ, Vice-Imperator & Princeps pacis.*

§. 21. *De*

§. 21.

## De perfectione ac eminentia Regulæ & Religionis Benedictinæ.

ADeò vnicuiq; pulchrum, ac excellens suum institutum videtur, vt omnibus alijs præferendum meritò censeat. In quo, de propria facultate & instituto, à nobis lato iudicio, nescio quid proprietatis ac philautiæ latet: nam dum, de professione propriâ, quis gloriatur, in sui laudem ac commendationem suæ artis gloriam retorquet. Idem quoq; in suscipiendis Religiosæ vitæ institutis, plerumq; accidere videmus, vt quisq; quod sibi magis accommodatum videtur, id solum vt præstantissimum iactet, cætera vero pro nihilo ducat. Ex quo, variæ sunt inter religiones exortæ quæstiones & Controuersiæ magnæ, *de excellentia, ac perfectione vniuscuiusq; Regulæ seu instituti*: ita vt ferè nulla sit, quæ alijs etiam perfectissimis palmam concedere velit, cum tamen ferè & absq; vlla dubitatione, multæ sint alijs digniores ac perfectiores. Perfectio autem Religiosi status consideratur, *tàm ex Regulâ, quàm ex alijs Religionis statutis, fine, & exercitijs*. In hac vero dubitatione, nostræ intentionis non est, Sanctissimis aliarum Religionum institutis quidquam derogare, sed tantum nostræ Regulæ, ac instituti perfectionem, eius athletis ac Professoribus ostendere: vt sic ad brauium suæ vocationis alacrius ac velocius, ab omnibus expediti, currant, eiq; tenacius inhæreant; non vt de altissimâ professione glorientur, sed vt cùm timore & tremore suam salutem operantes, potius reddendam DEO rationem pertimescant. *Primò* ergo notandũ quod excellentia vnius Religionis supra aliam, potest attendi tripliciter, vt ex D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 1. & 5. constat, vno modo ex parte finis: & sic illa dicitur perfectior Religio, quæ ordinatur ad perfectiorem finem. *Secundò* attenditur excellentia vnius Religionis ad a-

liam, secundum quod in eodem genere finis, vna ordinatur ad altiorem actum, quam altera: vt inter Religiones quæ ordinantur ad contemplatiuam vitam: perfectior erit illa, quæ ad contemplandum, quàm ea quæ ad legendum ordinatur, &c. *Tertiò* iudicatur de præeminentia vnius Religionis ad aliam, ex parte exercitij, non quidem quantum ad quantitatem, sed quantum ad proportionem eius ad finem intentum. Hæc sunt quæ ex doctrinâ D. Thomæ communiter obseruant Theologi, qui perfectionem omnem ex fine particulari, & medijs siue exercitijs ad illum assequendum proportionatis, desumenda m esse decernunt. Vt ergo nostræ Religionis ac Regulæ arctitudo, ac perfectio luculentius pateat, comprimis videndum est, quam ad metam nostræ Regulæ siue instituti cursus dirigatur. Omnis igitur Monastica disciplina, duplici fine gaudere solet. *Primùs* finis est ille Christianorum omniumq; Ordinum communissimus, nempè charitas siue gloria DEI. *Alter* vero proprius est, qui telos siue finis proximus appellari consueuit. Qui quidem finis, si cum illo superiori conferatur, medium potius ad illum perueniendi existimari potest.

1. Itaq; statuendum est, proximum & potissimum nostræ Religionis finem esse, *Contemplationi vacare*. Quod & fuisse olim Monachorum omnium primæuam institutionem, constat ex his quæ Cassianus Coll. 9. cap. 1. luculenter docet. *Omnis inquit Monachi finis cordisq; perfectio, ad iugem atq; indiruptam Orationis perseuerantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem. Ob quam, omnem tam laborem corporis, quam contritionem spiritus, indefeßè quærimus, & iugiter exercemus: & est inter alterutrum reciproca quædam inseparabilisq; coniunctio.* Vt vero propositam veritatem efficaciter comprobemus, sit primum & non leue argumentum, quia nostræ Religionis Dux & Autor Benedictus, totum ferè vitæ suæ tempus in contemplatione, Oratione, & Sacrâ lectione consumpsit, sic enim de eo, & pri-

marijs

marijs eius discipulis, *SS Mauro & Placido*, in vitarum Historijs refertur; quos secuti posteri, ad omnia exercitia Religiosorum etiam profana atq; ipsam tonstrinam, coquinam, & huiusmodi, ne locus esset vaniloquio, certum numerum Psalmorum, & alias preces accommodatas ordinârunt, vt videre est in Constitutionibus Cluniacensibus, præcipuè illis, quas nec dum in lucem editas puto, (nam in Bibliotheca Cluniacensi non reperiuntur,) & vita S. Odonis. Idem ex varijs locis patet.

2. Quia nostra Regula aliquem finem & scopum habere debet, & tamen non habet pro fine vitam merè actiuam (vt constat) neq; mixtam ex contemplatione & actione, nempè curâ proximorum: nam nullum nec minimum de hac actione in Regula verbum fit. Habet ergo pro scopo potissimo, vitam Contemplatiuam, hic enim verus est finis qui in Regula exprimitur, & ab ea potissimum intenditur.

3. Et efficacissimè probatur. Nam ille quidem est verus Religionis finis, ad quem cætera Religionis exercitia respiciunt & diriguntur: sed omnia Regulæ exercitia, ad Orationem præcipuè destinantur, hic igitur finis erit. Maior huius argumentationis certa est, ex ipsa natura finis. Minor vero probanda est, per singula Regulæ mandata & exercitia discurrendo. Et vt à principaliori incipiam, illa stabilis custodia, & Monasterij clausura, quâ non solum *Monachi foris vagari prohibentur*, verum etiam *ne frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus*, serio interdicitur, ad hunc finem præcipuè destinatur, & à Regula in id ipsum eligitur, vt commodius Diuinis meditationibus, & Orationibus vacare sine alterius offendiculo possimus; Et insuper, ad huius medij firmitatem & consistentiam, aliud quoq; medium à Regulâ excogitatur, nempe *labor manuum*, qui ob id tantopere nobis commendatur, vt infra cellam occupati, manus in opere, & mentem in DEO fixam teneamus, & vtriq; studium pariter impendamus. Nam vt optime Cassianus

ſianus Inſtit. lib. 10. cap. 24 ob has duas cauſas inter alias, labor manuum exterior, ab Ægyptijs Monachis, exercebatur. Primò, ne ab eis otij tempus admitteretur. Secundo, ne meditationi Spirituali finis imponeretur. *Vt ſic* (ait) *pariter exercentes corporis animæq́ virtutes, exterioris hominis ſtipendia cum emolumentis interioris exequantur; & ſic lubricis motibus cordis, & fluctuationi cogitationum inſtabili, operum pondere, velut quandam tenacem atq́ immobilem anchoram præfigentes: cui volubilitas atq́ peruagatio cordis innexa intra cellæ Clauſtra, veluti in portu fidiſſimo, valeat contineri: atq́ ita Spirituali meditationi, & cuſtodiæ cogitationum intenta, ab omni ſuperflua & otioſa cogitatione ſe cuſtodiat: ita vt quid ex quo pendeat, haud facile poſſit à quoquam diſcerni, id eſt vtrum propter meditationem ſpiritualem, manuum opus exerceant, an propter operis iugitatem, tam præclarum ſpiritus profectum, ſcientiæq́ lumen acquirant.* Hæc Caſſianus qui ibidem etiam docet; *Paulum primum* Eremi cultorem, pro ſolâ purgatione cordis, & cogitationum ſoliditate ac cellæ perſeuerantiâ, manuum laborem elegiſſe. Et deniq; idem Caſſianus lib. 2. Inſtit. cap. 14. pulchrè (vt ſolet) docet, quantum ad orationem labor manuum conducat. Idem ſentit, S. Bernardus dum monet intra cellam manibus aliquid operandum, ad nutriendum & conſeruandum ſpiritum. Conſtat igitur ex dictis, tam cellæ aſſiduam commorationem, quam laboris manuum exercitium, ad Orationem & meditationem à Regulâ prudenter ordinari ac præcipi.

Sed vt ad reliqua Capita Regulæ deſcendentes, idem de cæteris probemus, aduertendum; quod poſtquam S. P. N. BENEDICTVS de Inſtrumentis virtutum *quæ ſunt à nobis die noctuq́ inceſſabiliter adimplenda*, tum de obedientia, Taciturnitate, & Humilitatis gradibus egiſſet, quæ omnia ad eundem finem ſunt media conuenientiſſima; ſequitur præcipuum de Horis Canonicis, quæ mentem in DEVM eleuant, & interiorem animæ deuotionem, in eius honorem & laudem excitant. Hæc vero

verò non tam media ad Orationem, quàm ipsa Oratio dici possunt. Et cùm postea aliquas Ordinationes fecisset, tradit Caput Reg. 33. 34. *de non habendo proprio*. Vnde hanc Regulam Cardinalis à Turre cremata, ab eminentia Euangelicæ perfectionis commendans, inquit, *Planè nihil de voluntate propria, nihil de corporis proprij potestate, nihil de rerum mundanarum possessione, nihil de tempore dereliquit. Equidem perfectionem Paupertatis inclusiuè deduxit vsq; ad graphium, perfectionem Obedientiæ deduxit vsq; ad momentum, cuius exuberantissimæ perfectionis gratia, de huius perfectissimi & DEO acceptissimi Patris Regulâ dicere possumus illud Ecclesiastici 39. Benedictio illus quasi fluuius inundauit.*

Et vt omittam alia Regulæ statuta, quæ etiam huic fini deseruiunt, ad præcipua gradum faciam, ad ea nimirum, quæ de ieiunio, de carnium abstinentia, & de silentio loquuntur: & vt à ieiunio incipiam, ad id nos hortatur Exemplum antiquorum Patriarcharum & Sanctorum Patrum, qui ieiunio animam ad Orationem & cælestium rerum contemplationem disponebant, vt Moyses, Elias, Daniel, &c. Sic passim Sancti Patres apertissimè clamant; inter quos aureum eloquentiæ flumen Chrisost. *homil. 1. in Gen. Jeiunium est animæ nostræ alimentum, leues ei pennas producit, vt in sublimè feratur, & summa contemplari queat.* De carnium verò abstinentia, illud est certum; maximè conducere ad corporis & passionum eiusdem mortificationem: nam cùm carnes sint quasi quoddam seminarium libidinis, [carnium enim alimenta materiam generationis magis augent, & sic difficilius appetitus sub ratione comprimitur: his enim cibis caro impinguatur & appetitus roboratur, ac proinde maior contra Spiritum pugna insurgit,] passiones pacatiores redduntur per earum carentiam; ijs autem sedatis, animus promptior est ad Diuina speculanda. Quare hæc carnium abstinentia à Regulâ commendatur, quasi Remouens, Prohibens, iubens mortificationem passionum, ac proinde inducens mentis eleuationem in DEVM.

Yy Deniq;

Deniq; de silentio non est qui ignoret, quàm fidus sit Orationis comes, & ob eam causam tantoperè à Patribus & à nostra Regula commendatur, & non vtcunque, vel simplici præcepto, sicut & alia, sed pluribus verbis & variæ scripturæ auctoritatibus persuadetur & præcipitur.

4. Et vltimò, Orationem ac Meditationem, finem esse Regulæ, non leuis coniectura suadet; nam sicut Finis est id quod primò intenditur, & quod in animo ante omnia alia præfigitur; ad cuius postea consecutionem reliqua destinantur: ita Regula, inter eas Constitutiones quæ ad subditorum directionem spectant, primò loco telos siue scopum ante oculos obijcit, vt ad illum reliqua quæ in Regulâ continentur ordinemus. Hoc itaq; in mente Fine proposito, omnes actus nostri, ad eius consecutionem dirigendi sunt. hic nobis principalis debet esse conatus. hæc immobilis destinatio cordibus nostris firmanda est, vt Diuinis rebus ac DEO mens semper inhæreat. pro hoc fine, Cellæ solitudo, clausura, & stabilitas, sectanda est: ieiunia, vigiliæ, silentium, carnis abstinentia, & reliquæ asperitates suscipiendæ sunt. Et deniq; quidquid ab hoc diuersum est, quamuis alias magnum videatur, importunum tamen, aut etiam infirmum, seu noxium iudicandum est.

Patet igitur ex dictis, post Orationem & Meditationem in nostrâ Regula & Professione, secundum locum obtinere *Vitæ asperitatem*, in qua etiam, potissima pars est, Cellæ siue Monasterij clausura. Ita ad hæc duo, nempe ad vitæ asperitatem, & Clausuram, veluti ad duos Orationis pedes, & firmissimas nostri instituti columnas, cætera reducuntur. Quare studiosus quisq; nostræ professionis sectator, post Orationem & Sacram lectionem, colat pænitentiam, siue vitæ asperitatem & Clausuram.

§. Et quoniam Canonistæ, non ponderatis subtilitatibus his Theologicis, non à fine, sed ab Exercitijs potiùs, Religionis perfectionem iudicant: in quo solùm considerare solent, in

quâ Re-

quâ Religione sit, arctior, strictior, durior vel fortior viuendi modus solumq; attendunt in omnibus communissimum *Charitatis finem*, non inspectis alijs particularibus, sed tantùm districtiorem viuendi rationem. Quibus fauet Innocentius PP. in cap. *licet. de Regular.* vbi Sanctior vita, dicitur arctior. idcirco etiam hac consideratione, nostra Regula inter quatuor approbatas est perfectissima, cùm inter omnes sit strictissima. Probatur. Quia habet continuam Monasterij clausuram, rarissimam exeundi licentiam, simul cum assidua & iugi Oratione, Meditatione, & sacra lectione. Deinde bina per hebdomadam, à festo Pentecostes, & ab Exaltatione Sanctæ Crucis vsq; ad Dominicam Resurrectionis continua prolongata ieiunia. Quæ omnia, [imo nec singula] apud vllam aliam Religionis Regulam præscripta inueniuntur. quibus, si addas Paupertatem, in particulari vsq; ad acum adstrictam, à carnibus (nisi pro infirmitatibus) abstinentiam, manuum laborem, ac ita arctum silentium, vt nullâ Regulâ ei æquale proponatur: procul dubio hæc Regula, alijs omnibus seuerior ac districtior apparebit. Quandoquidem verò nostra Regula, vitæ Eremiticæ institutum non excludit, imo ex ea perfectissimi quiq; Eremi cultores prodierunt, & ipse S. P. N. BENEDICTVS vltra triennium Eremi cultor fuit, & adhuc quotidie prodeunt, vt poté Montisserrati in Hispania, & in alijs quibusdam Prouincijs; imò Camaldulenses Eremitæ militant sub Regula D. Benedicti. Nostra Regula, tàm secundum Theologorum quàm Canonistarum sententiam, perfectior est, quibuscunq; alijs Religionum Reguiis. Probatur ex Sententia Patrum & Theologorum. Nam Eremiticæ vitæ institutum, est culmen & fastigium Religiosæ vitæ; ac proinde Eremitica vita perfectior est omnibus alijs. Testatur id apertè D. Thom. 2. 2. q. 188. a. 8. & nullus est qui ab hac sententiâ dissentiat, in quam omnes ferè Patres conueniunt, dum docent, non debere quenquam transire ad vitam Eremiticam, nisi priùs diligenter in Cæno-

Yy 2 bio se

bio se exercuerit: propterea quòd hic modus viuendi non adferat perfectionem sed præsupponat. vt S. Hieron. Epl. *ad Rusticum* docet, item Cassianus *Coll. 10. cap. 3.* D. Augustin. *lib. 1. de morib. Eccl. cap. 3.* S. P. Benedictus & D. Bernardus: & sic Eremitica vita est perfectorum, similis suo modo Episcoporum statui. *Sicut ergo*, vt verbis D. Thomæ vtar, *id quod iam perfectum est, praeminet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum praeminet vita Sociali.* Et hæc est potissima causa, quare Pontifices, omnium aliarum Religionum Monachis, ad Carthusienses vel Camaldulenses, qui Eremiticam vitam profitentur, transitum permittunt. imò inter hos duos Ordines, quia Camaldulenses, vitæ Eremiticæ institutum perfectius exequuntur, vt potè qui singulariter in cellulis separatis degunt, concessum est à Leone X. vt Carthusienses licitè ad Camaldulensium Ordinem transire possint.

§. Solet etiam vna Religio alterâ excellentior ac dignior dici, ratione Antiquitatis: quoniam qui prior est tempore potior est iure, vt patet ex cap. *antiqua. de Priuileg. & Regula.* Qui prior *de regulis iuris in 6.* vt tradit Cassaneus *Catal glor. 4. p. consider. 52.*

Præterea, excellentia & præeminentia considerantur ex parte Instituentium, ita vt omnes illi qui à maiori vel digniori sunt instituti, præferantur ex parte hac eis, qui à minus digno originem habent, vt patet ex Cap. *Quia sæpe.* Cap. *Si eum in præb. in 6.* vt tradit Cassaneus.

Vltimò consideratur, quòd vna Religio sit excellentior alterâ ex Approbatione, & ita per illam, Religio dignior erit quæ prius fuerit approbata, vt notatur in Cap. fin. *de Religiosis domibus.* Et hæc tria potiùs ad dignitatem quam ad perfectionem substantialem pertinent. Adhuc tamen in his, quæ accidentalia sunt, Benedictina Religio indignior non est: nam vt de antiquitate dicamus, prior omnium in Occidente fuit promulgata & obseruata. Quamuis enim Basilius antiquior fuerit S.

rit S. Benedicto, eius Religio tamen se vltra orientem ferè non extendit, & non nisi in paucissimis locis aliquando obseruata fuit, & introducta in inferiorem partem Italiæ, Græcorum Imperatorum ope, longè post S. Benedicti tempora. Sanctus Augustinus etiam quamuis S. P. N. ætate prior fuerit, pro viris tamen vt quidam putant nullam Regulam scripsit, sed cum suis Apostolicum viuendi in communi morem secutus est; vt patet ex Possidio Cap. 5. Ex tribus autem Regulis, quæ ipsi adscribuntur, sola tertia est certa S. Augustini, sed à quibusdam existimatur fœminis esse data non Viris, habetur enim in epistola 109. vt inquit Bellarminus Cardinal. in Catal. Script. Ecclesiast. & longis post seculis viris accommodata. De tota hac controuersia, non inutiliter leges, quæ scripsit Religiosissimus & Doctissimus D. Simon Werlinus Can. Reg. Præpositus in Diessen, vir æqui & veri amantissimus, mihiq; eo nomine plurimum honorandus in Dissertatiuncula sua ad Regulam S. Augustini.

De dignitate & excellentia Institutoris, nempe Sanctissimi P. N. Benedicti, tacere potiùs quam loqui par est: de Approbatione verò constat, quod non longè ab obitu eiusdem S. P. approbata fuerit à Magno illo Gregorio, ex Priuilegio Monasterio Sublacensi concesso, vbi Pontifex ita inquit. *Ego Gregorius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul, scripsi vitam B. Benedicti & legi Regulam, quam ipse Sanctus manu propria scripsit. laudaui eam, & confirmaui in Sancta Synodo, & per diuersas partes Italiæ & vbicunq; Latinæ literæ legerentur, præcepi vt diligentissimè obseruarent quicunq; ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsq; in finem mundi. Et confirmo duodecim Monasteria quæ ipse Sanctus construxit.*

Hæc sunt quæ de Nostri Instituti eminentia, in hac *Aquila Polono-Benedictina*, breuiter inseranda operæ pretium duximus, interim monentes, secundario studendum esse nobis, alienæ saluti animarum, sine detrimento tamen, quantum fieri potest, principalioris finis. Et vt clarius loquar, hac secunda assertatione Dico, *Nostræ Religionis Institutum mixtum esse Contemplatione,*

*tione, & Actione*, non tamen ex æquo, sed principaliter ex Contemplatione, secundariò autem & minus principaliter ex actione. Vnde D. Tom. 2. 2. q. 184. a. 1. *Stultam* inquit *esse opinionem dicentium quòd status Religionis impedimentum afferat talia exequendi.* & ibidem clarissimè probat, Religiones quantò sanctiores, eò aptiores animarum saluti procurandæ, dum dicit, *quia quanto aliquis est sanctior, tanto aptior est prædicationi verbi Dei nisi aliunde prohibeatur, sed prædicare & docere, neq; interdicitur in Regula S. Benedicti, neq; in alijs Religionum Regulis, vt determinat Bonifacius Papa in Cap. sunt nonnulli 16. q. 1.* Hinc tot Sanctissimi Ordinis Nostri Prælati, tot sanctorum Monachorum agmina, qui lucrandis animabus insudârunt, nullum Diuinorum contemplationi damnum attulisse, dici possunt, imò de ipso S. P. N. Benedicto in Cassino monte simulachra, quæ adhuc à gentibus colebantur comminuisse, ipsosq; oppidanos Christianis præceptis imbuisse legimus.

§. 22.

## *Super quorundam Cænobitarum à regulari disciplinâ decessione.*

CVM omnia quæ sub sole fiunt, eiusq; circuitionibus subijciuntur, mutationi, varietati & inconstantiæ sint obnoxia: quemadmodum de Parente rerum Natura, Poeta memorat. *Nec species sua cuiq; manet, rerumq; nouatrix. Ex alijs alias reparat natura figuras.*
sic etiam in ipsis iustitiæ operibus, humana constantia nutat, teste Cassiano *Coll. 6. Cap. 14.* vbi dicit. *Nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere, nec in hac carne consistens; ita virtutum apicem possidebit quisquis ille Sanctorum, vt immobilis perseueret, necesse est enim aut aliquid adijci illis semper, aut minui, nullaq; in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subiaceat passioni: secundum illud quod in libro B. Iob legitur, Quid est homo vt*

*mo vt immaculatus sit & vt iustus appareat natus de muliere; ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius: solum namq; DEVM immutabilem confitemur.* Quod si illi cælestes Spiritus esse ex se incommutabiles nequeunt, qui nullâ carnis infirmitate deprimuntur, *quâ temeritate* ait S. Greg. *lib. 5. moral. Cap. 29. se homines in bono permanere constanter existimant, quos in eo, quod intellectus ad summa euehit, carnalis infirmitas aggrauans præpedit, vt per corruptionis vitium in semetipsis habeant, vbi ab intima nouitate veterascant.* Sed & ipsa vetustas ætasq; productior, sicut senectutem in humano corpore causat, & cum senectute morbos & interitum adfert; sic in omni reipub. corpore, antiquitas vicissitudines vehit, succeditq; cum annis ingens decoloratio rerum.

Ob easdem causas, Religiosorum quorundam maximè Antiquiorum tepiditas procedit & primi feruoris remissio; potissimùm, cum decedentibus senibus primæuæ institutionis & feruentis vitæ conseruatoribus, iuuenes successissent vagi, garruli, inconstantes: vnde posteritas nón habendo prima exemplaria, minima negligens, paulatim corruit. vti Horat. *lib. 3. Ode 6.* de omni mortalium cætu præscripsit.

*Ætas Parentum, peior auis tulit*
*Nos nequiores: mox datura*
*Progeniem vitiosiorem.*

QVod malum, lue grassante, vel Hæreticorum sæuitiâ insurgente, Ordo quoq; Benedictinus, mille & ducentis penè confectus annis, sensit, in quo rigor disciplinæ ex ætate lentescere alicubi debuit; dum senibus de medio per mortem sublatis, cùm iuuentus delicata non haberet quos imitaretur, ipsaq; Monasteria delicatis puerulis replerentur, successit tepiditas, & austeritatis fastidium, ingensq; commoditatum venatio; vnde splendor Ordinis exteriùs obfuscari, & nitor conscientiarum interius deseri occipiebat. Quam etiam causam; multorum

rum quondam abuſuum ciuitatis Conſtantinopolitanæ aſſignarat oris aurei Chriſoſtom. *Hom. 40. ad populum. Exemplaria diſparuerunt propterea iuuenes non fiunt admirabiles.*

At benedictus DEVS, qui eodem tempore, quo negligentes in curâ ſpiritualium intepeſcebant, inſignium virorum zelus, in excitandis eiuſmodi torpidis & ad obſeruantiam ſtatûs reducendis, inardeſcebat ſemper: qui frigeſcentes fratres quâ verbis, quâ exemplis, ad veræ pietatis officium & purgati animi affectiones inflammabant. Magnumq; fuit hac in parte gratiæ Diuinæ opus, quod in antiquato feſſoq; Ordine, alumni & profeſſi, quaſi ex morte propriâ reuiuiſcentes, fortiores reſurgebant: & tanquam reciſum lignum rurſus comam facit, & herba demeſſa germinat, ſic illi primitias Spiritus reſumendo, ad celebrandas DEI laudes, ad pectoris conuerberationes, ad lacrymas, ad compunctionem incitabantur. Nemo autem Heroibus talibus, qui addunt ſtimulos tardis, indignari iurè poterit, quòd alios adhortationibus ſuis ad ſaniora pertrahant, cùm enim improbos quorundam caſtigant mores, id eo agunt fine vt medeantur, non vt criminentur, commiſerentur indignando, non ſubſannant defectus aperiendo, in perſonas ſolùm errantes inuehuntur, laudant verò Inſtitutum Sanctum, pro cuius obſeruatione æquiſſimè zelantur. aliud namq; eſt quod agitur typho calumniæ, aliud quod zelo diſciplinæ; Hæretici, Sycophantiarum ollam ſuccendentes, in Religioſos omnes, putidos calumniarum fumos & detractiones exhalant, Ordineſq; Monaſticos dente Theonino lacerant, cumq; ſuis Inſtitutis, vniuerſos regularium cætus, inuoluunt & damnant. At verò ſacrorum Ordinum zelatores, cùm in Fratribus laxatos mores, & quaſdam ſubintrantes carpunt negligentias & infirmitates, non ſugillant, ſubſannando, vt aduerſarij; ſed arguunt, obſecrando, quemadmodum Apoſtolus docuit; virgam correctionis intentando, ſed ſimul amplexus ſinumq; conſolationis amplificando; zelo iuſto feruentes, ſed in inno-

in innoxiorum famam & nomen non insurgentes, neq; sæuientes; se præstant alijs eiusmodi, qui ex officio super defectibus pusillorum plorant & æquas increpationes detonant, at simul more matrum, flagello linguæ castigando sontes, compassionis affectum in ipsa reprehensione commonstrant. Non ergo obliquè & mente sequiori à quoquam accipiendum est, quod à quibusdam Religiosis, tum veteribus tum recentibus tractatoribus, Claustralis disciplina interdum relaxata deploretur, cum id sancto zelo, & animo fraternè commouendi, non exasperandi vel insultandi, eosq; secularium sybillis exponendi causa faciant: longo enim interuallo corripientium Patrum intentio, à malignantium & calumniantium hæreticorum fine secernitur. Nulla vero est, quamuis lassata & defatigata Congregatio, quæ [vt B. Matri Teresiæ in eius vita reuelatum est] magno non sit Ecclesiæ adiumento, cum bos lassus fortius figat pedem.

Proinde post laudes quasdam & merita sacri Benedictini Ordinis à me in præsenti opere allata, subijciendos Threnos A. R. D. Joannis à Bosco Congregationis Cælestinorum ex Ordine S. BENEDICTI censui, qui in suâ *Floriacensi Benedictinâ Bibliothecâ* vitam S. Abbonis Floriacensis Abbatis & Martyris pertractans, ad feruorem, in aliquibus Cænobitis Ordin. Benedictini Prouinciæ Franco-Gallicæ nonnihil remissum, intendendum, Planctus, quibus laxitatem quorundam in Gallia deplorat, edidit; quo in genere Hieremiam dolentem imitatus est, qui olim Israeliticæ gentis calamitates molestè ferens, fontem lacrymarum requirebat, atq; extremum quendam recessum exoptabat, solitudinemq; complectebatur, quo liberè nulloq; obturbante Israelem defleret, sicq; magnam sui mæroris partem exhauriret. Similiter prædictus Religiosissimus Vir, vt resolutos quorundam mores, ad leges Claustri reduceret restringeretue, & calcar plurium probitati bene currenti adderet, promouendæ perfectioni accommodos Threnos inscripsit;

ſcripſit; quos hic apponere viſum eſt mihi, quod & nobis Polono-Benedictinis, ſi nonnihil immutentur, & debitè veraciterque applicentur, ad maiora conamina incitamento eſſe poſſint.

*Ioann. à Boſco, Cæleſtini, ſuper plurium Cænobitarum, à perfectione Regular. Benedict. in pleriſq; Monaſterijs deceſſione,*

# THRENI
## BREVES.

### *Aleph.*

QVomodo ſedet in Gallijs, apud pleraque Cænobia depreſſus Benedictinus Sanctiſſimus Ordo; factuſque eſt quaſi exutus decore antiquo, & priſtinâ gloriâ; à quo veræ pietatis normam, doctrinæq; lucem, olim Pontifices, Reges, & populi ſolebant mutuari?

### *Beth.*

PLoret, quia multi in eo Cænobitæ, dum DEO ſtrenuè militare deberent, atq; ex puro & ſincero mundum affectu ſpernere, ſecularibus rurſum ſe implicant rebus, ſenſimq; labent, ac caducorum impetu abrepti, internarum paſſionum reformationem, filialem cum DEO vnionem, aſſiduum Sacrarum literarum, poſt regulares perſolutas ritè preces, in ſolitudine ac ſilentio ſtudium, atq; animarum [quantum Cænobitica Inſtitutio permittit] iuuamen, deſerunt ac faſtidiunt. ex quo ab hominibus, propter illos, totus penè Ordo exiguo iam in pretio habetur.

## *Gimel.*

MIgrauit, & quotidie migrat, quilibet purioris animi vir, discretionis assequutus annos, & nacta facultate legitima, ab eiusmodi in quibus Regula non custoditur, Monasterijs, propter difficultatem tuendæ, inter plures remissè conuersantes, DEO solennibus votis nuncupatæ, seruitutis; & dum in singularibus Beneficijs inter gentes habitat vt inueniat requiem, ex insperato miratur se ab omnibus vitijs [ quæ plus cæteris regularem vitam professos, ob illorum status eminentiam infestant ] pulsari & quandoq; apprehendi inter singularis habitationis angustias.

## *Daleth.*

VIÆ Syon lugent, eo quod iam vix reperiatur vir, vel adolescens indole paulo limpidiore, qui S. BENEDICTI Ordinem apud talia Cænobia velit sua sponte profiteri: at si, qui iam annos pubertatis excedunt, profiteantur, aut ad ea ex alijs Monasterijs aduolent, Beneficiorum atq; Officiorum commodo inescantur; aut defectu mentis corporisue notabiles, à parentibus, prece, minis, & quandoq; pretio intruduntur, vel prolis laxioris fastidio dum adhuc pueruli sunt obtruduntur; vnde calore natiuo cum annis succrescente, vel libertatis dulcedine pruriente; ob spiritualis educationis penuriam, ipsi iugum DEI excutere satagunt, aut si aliqua occasione portare compelluntur, sub onere gemunt. Sed & in similibus Sanctimonialium Cænobijs Virgines, alieno impulsu detrusæ, tædio grandiores effectæ squalent, & ipsæ oppressæ amaritudine.

## *He.*

FActi sunt hostes Ordinis S. BENEDICTI apud Gallias in capite, carne, mundoque; pluribus ipsius nominetenus pro-

fessoribus dominantibus. quia plusquam par est, relictâ pene Pietate quæ ad omnia vtilis est, Scientiâq; DEI neglectâ, quæ carnis iugulat vitia ac animi strangulat passiones, sectatur tanquam verum iter Perfectionis, gestationem tantummodo habitus Regularis, irregulari & ab Institutoris mente alienâ formâ compacti, absq; ipsius Mysticæ significationis exhibitione. Vnde regulare Schema in illis, vix à seculari amictu discretum, sæpè captiuum ducitur ante faciem carnis tribulantis.

## *Vau.*

EGressus est, proh dolor, à filia Syon omnis decor eius, dum à plerisq; Benedictinorum Cænobijs, interna Recollectio, atq; Doctrina sunt effugatæ, ac ipsarum loco, cuique quod sibi arridet, permissa est faciendi facultas. Vnde facti sunt hodie plurimi Cænobijs Præfecti, velut arietes, amplius gregem in orbitâ continere non valentes, abieruntq; etiam ipsi absq; fortitudine ante faciem subsequentis.

## *Zain.*

REcordare vel nunc sacer Ordo dierum afflictionis tuæ & præuaricationis omnium desiderabilium tuorum, [ internæ scilicet dulcedinis, bonarum literarum, obedientiæ, atq; Apostolicæ vitæ communis ] quæ habebas olim, dum caderent gentiles in manu tuâ hostili. Vacas iam otio in multis tuis alumnis, atq; post absolutas regulares preces, ignauiæ aut illicitis incumbendo negotijs, à bono quiescis, ad ruinam tuam sic [ crede ] quiescendo laborans : videntq; te Neotherici hostes tui, & talia tua derident Sabbatha.

## *Heth.*

PEccatum peccasti recedendo à sensu tui Institutoris, propterea despicabilis factus es. Omnes qui te olim glorificabant,

cabant, modo ſpernunt te, & ad Nouos Ordines, Meditationi, Sacris ſtudijs, & ſaluti proximi, poſt moderatas vocales Dei laudes, vacantes, conuertuntur: quia vident ignominiam & ſterilitatem tuam; tu autem gemens conuertere retrorſum.

## *Teth.*

SOrdes tuæ, id eſt, peculium, in pedibus tuis: non es recordatus finis tui, qui à Patre Benedicto in Regula præfixus tibi fuit, nempe, vitia eradicare, cum Deo vniri, proximi ſalutem promouere. Vide Domine afflictionem tanti Ordinis, quoniam in Gallijs malum eius occaluit valdè.

## *Iod.*

MAnum ſuam, miſerunt hoſtes Cænobiticæ vitæ ſeculares, ad omnia deſiderabilia eius, quia non iam, vti quondam Angelos, ſed homines vitijs & inertiæ deditos, vident ingreſſos Sanctuarium eius; de quibus S. Benedictus & veteres Cænobiorum Inſtitutores præceperant, ne intrarent in Eccleſias ſuas.

## *Caph.*

OMnis populus eius gemens & quærens panem, exploſa vita Apoſtolica atque communi, & Prælatis ea, quæ Regula ſtatuit, ſubditis minimè impertientibus: dederunt pretioſa quæq; pro cibo & ſibi neceſſarijs aut honeſtis alimentis, ad refocillandam animam. Ex quâ re, factus es Ordo vilis ac onerosus, eo, quod neceſſum eſt, vt qui in Dei mandatis haud delectatur, cum mundo iucundari nitatur.

## *Lamed.*

O Vos omnes cæteri qui nunc in Gallijs floretis ac feruetis Noui Ordines, tremite & pauete ad iudicia Dei; attendi-

te & videte si est despectus sicut despectus meus, quia abieci mentalem orationem, Sacrarum literarum studia, vitamque communem.

## *Men.*

DE excelso Dominus misit ignem in ossibus meis, dum S. Abbonis Martyris atque Floriacensis Abbatis [ *hi Threni si nobis Polono.Benedictinis applicari debeant, pro S. Abbone, S. Adalberti, Andreæ Zœrardi, Aaronis & aliorum qui in Polonia quondam præluxerunt, vitæ exemplares proponantur* ] vitam lego, quæ erudiuit me, factaq; est ipsa rete pedibus meis. Conuertam me retrorsum, & amplius, Deo gratam, Regulæ S. Benedicti conuenientem, atq; proximo proficuam viuendi rationem sectabor.

## *Nun.*

VIgilauit quippê vsq; modo, iugum miseriarum mearum, ac licet infirmata sit virtus mea, non tamen Dominus dedit me in manu, de quâ non potero surgere.

## *Samech.*

ABstulit scio, Dominus omnes Magnificos meos de medio mei: ego vero Pietate, & Sacra lectione, cum Dei gratia efficiam, vt per Summi Pontif. N. indefessam vigilantiam, & Serenissimi N. Regis ad deperdita restauranda de cælo missi, fauorem atq; benignitatem, reflorescat decor meus.

## *Ain.*

IDcirco ego irremediabiliter non ploro, nec oculus meus deducit desperationis aquas; quia longe non est factus â me Consolator, nec penitus facti sunt filij mei perditi, eo quod apud vicinas Prouincias & in meo sinu plures eximios Patres gero, qui ( si eos Serenissimus Rex accersiuerit ) me pristino restituent nitori.

*Phe.*

## Phe.

EXpandit iam quædam Gallicana Congregatio quodammodo ad Deum manus ſuas, ſed dum camelli qui in ea ſunt gibbos ſuos deponere horrent, facta eſt quaſi Ieruſalem polluta menſtruis, inter eos. Nec enim ad hoc, Sacrum Conciliũ Tridentinum, Congregationes Monaſticas in Prouincias reduci inſtituit, vt Epiſcoporum Iuriſdictioni tantum Cænobia ſubduceret, verum vt magis mutuis ad virtutem impulſionibus antiqua in Ordinem Sanctitas reueheretur.

## Sade.

IVſtus eſt Dominus, qui non patitur ædificium carne cæptum, ſpiritu conſummari. Audite obſecro vniuerſi Benedictini! vt quid fruſtra labore conſumimini? ſupra vires eorum qui illud attentabant erat iſtud Reformationis negotium; nunquã enim Dominus permittet, ab his, qui communem vitam nolunt verè atq; perfectè amplecti, Ordinem S. Benedicti reformari.

## Coph.

VOcaui [ ait inclytus ille ſacerque Ordo ] omnes amicos meos ad Congregationes cætuſq; Generales, & ipſi deceperunt me, ſeque ſimul. Sacerdotes mei & ſenes mei inſenſati in tantum facti ſunt, vt cum videant mala atq; peruerſa, non aperiunt iniquitatem iunioribus, cum tamen bonum ſit Viro portare iugum ab adoleſcentia ſua.

## Res.

VIde Domine & ſuſcita cor Sereniſſimi N. Regis Noſtri, vt incipi efficaciter genuinam & ſinceram curet Reformationem, quemadmodum iam curatum atq; effectum à Catholicis

tholicis Hiſpaniæ Luſitaniæq; Regibus, quorum ſtudio, redditus eſt Ordini color optimus, factiq; ſunt apud eos Monachi, Viri inclyti & amicti auro primo.

## Sin.

AVdierunt vicini malum meum & lætati ſunt; verum poſtquam adduxerit mihi Dominus Diem conſolationis, illi qui modo me ſubſannant fient ſimiles mei.

## Thau.

INgrediatur minime Domine Deus, per merita ſerui tui Patris mei Benedicti, omne malum aduerſantium mihi, coram te; nec vindemies eos ſicut vindemiaſti me propter iniquitates meas: ſed me ſeneſcentem, veterum [ quæ antiquitas ad prodigium vſque erexit, quæque poſteritas miratur & oſtentat ) inſtar ædificiorum, reſtaura, fulci, & adminicula. Alios florentes Ordines, quorum partionem ætas hæc vidit, tuere atq; conſerua: cunctiſq; Spiritum tuum innoua atq; irrora, vt omnes iunctis lacertis, vitia ſuperemus, paſſiones domemus, peccatores ad te adducamus, tuam ab Hæreticorum latratibus & morſibus Eccleſiam tueamur, Regniq; huius amplitudinem & tranquillitatem, precibus, concionibus, libris editis & fideli opera propagemus Ad laudem & gloriam Dei. *Huc vſq; Threni.*

Sed cum ad manum habeam, piam ac eruditam Admonitionem, R. P. Rolle, ad Monachos pariter ſuper collapſam Ordinis Benedict. diſciplinam, ſcribentis datam, eandem hic inſerere libuit, cum ſit eiuſdem cum Threnis generis, eodemq; planè tempore vulgata per Gallias, & fortiter ad reſipiſcentiã legentis cor mouens. & vtinam tanti Doctoris, nos quoque Polonos vrgeat perſuaſio, moremq; votis ſuis geramus; quemadmodum Benedictini per Gallias, his inuitamentis benè ſuadentium Patrum permoti, libenter ſpiritui Diuino per eos lo-

quenti

quenti obtemperârunt, iamq; feliciter per Dei gratiam, tam in ſpiritualibus, quam in temporali refloruerunt ſubſtantia. Sequitur verò *Epiſtola Encyclica, Patris Rolle* tenoris eiuſmodi.

*Reuerendis Dominis Abbatibus, Adminiſtratoribus, & Commendatarijs, nec non Venerabilibus Prioribus, & Officiarijs clauſtralibus, Nouitijs, & Conuerſis ſub Regula & Ordine S. Benedicti in Regno Galliæ degentibus & militantibus. Franciſcus Rolle, Profeſſor Theologus Sorbonæ Pariſienſis, Congregationis Benedictinorum Nationis Gallicanæ Generalis electus, ſalutem & reddere Domino Deo vota ſua.*

Dum veterum Monachorum ex Ordine Diui Benedicti purgatam vitam, Religionis zelum, pietatis candorem, bonarum literarum ſtudium, contemplationis ardorem, & mentis ad Deum aſcenſum; in operando diligentiam, in orando ſedulitatem, & inobediendo promptitudinem, cum huius infelicis ſeculi Monachorum viuendi forma & modo, accuratiore mentis indagine confero. Quantùm indê quòd Deum laudemus, tantùm hinc, eſſe comperio, quòd pudore ſuffundamur & operiamur, ſicut diploide confuſione noſtra. Illi ſiquidem pijs officijs, & prompta votorum redditione, præ cæteris Monachorum inſtitutis gratiam coram Deo & hominibus inuenientes, longê latèq; Ordinem noſtrum propagârunt, ornârunt, vberrimoſq; & ſuauiſſimos fructus, Eccleſiæ ac Domino ſuo reddiderunt in tempore opportuno. Ecquis enim alius Ordo, toto Chriſtiano orbe nominari poterat amplior, vtilior, ſanctior? Notum eſt celebrium Scriptorum monumentis, ante Ducentos annos ex illo Ordine aſſumptos fuiſſe qui præeſſent Eccleſiæ Triginta circiter Pontifices Summos, Cardinales pluſquàm Sexcentos, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ſex millia & vltra; & quod nos maximè permouere debet, Millia Quindecim ob eximiam anteactæ vitæ rationem, fideli Eccleſiæ iudicio, Libro vitæ inſcripta & Sanctorum Albo annumerata. Hiſce verò miſerrimis temporibus, proh dolor, quia ſumus votorum Profeſſioniſq; noſtræ immemores, quia Libertatis quàm Regularis

laris Disciplinæ, otij quàm laboris, rerum secularium quàm cælestium, & voluptatum magis amatores quàm Dei; quia ignis auitæ deuotionis & charitatis, qui aureo illo seculo per vniuersum Orbem ardebat & lucebat, tanquam in puteum demissus, in aquam turbidam & crassam conuersus est; quia Patris & antesignani Nostri *Benedicti* vestigia sequi comtempsimus, quia scientiam Dei repulimus; ideo [ vt cum Osea loquar ] Deus repulit nos, ne Sacerdotio fungamur illi, & Ecclesiasticarum Dignitatum accessu, digni existimemur. Possessio & hæreditas nostra transiuit ad alienos, & domus nostræ ad extraneos; ita vt nobis passim Seculares præficiantur, & iam omnis perijsse videatur Instituti nostri decor & forma, & Ordinis Nostri gloria in ignominiam versa sit & cytara in luctum commutata. Nunc autem, Reuerendi Patres & dilectissimi Fratres, hora est iam nos de somno surgere & redire ad cor; quia mediâ nocte clamor factus est hominum zelantium honorem Domus Dei atq; inuitantium, vt pro parte nostra proximam ruinam minitanti, auxiliares humeros supponentes, collapsam Monasteriorum Nostrorum disciplinam, quæ tot fructus mundo, tot animas cælo, superioribus seculis peperit, reuocemus: & aquam turbidam de puteo haurientes, omni diligentia supra altare holocaustomatum imponamus, vt Spiritu Dei viuificata in ignem, qui perpetuo in Ecclesia Dei ardeat & luceat, conuertatur : ne vltra de nobis seculares detrectent, tanquam de malefactoribus & infructuosis hominibus : Sed cùm viderint lampades ardentes in manibus nostris, &in nostra hac Reformatione promouenda, vna manu trullam, alterâ gladium gestare, glorificent DEVM & Patrem Domini Nostri IESV Christi. Quod cùm, nisi prius facta Monasteriorum nostrorum aggregatione, minimè speretur; obsecro vos per communem salutem, huic Sancto operi manum admouete, studiosè suscipite datam nobis opportunitatem operandæ salutis. In eo mecum omnes incumbite, vt quamprimùm fieri

poterit,

poterit, id quod vniuersæ Ecclesiæ Tridenti congregatæ, solenni decreto, *De Monasterijs in Congregationem redigendis* sancitum est, executioni mandetur. Ad id nos, si quis Religionis, si quis honesti sensus reliquus est, obligamur: neq; illud sine summo scelere omittere possumus, cùm præsertim S. D. N. *Gregorij XIV.* [ cuius vtinam pia vota Deus impleat ] mandatum recens accessit; qui Breui Apostolico super ea re confecto, & spiritualiũ Gratiarum accessione notabili, mentem suam & paternum nobis affectum aperit. Atq; illud quidem Breue, vt commodius ad vos, cum his literis, quarum occasionem dedit, perueniret, vtrumq; Suæ Sanctitatis auctoritate, typis mandandum & ad vestras partes transmittendum curauimus: vt dùm ad omnium notitiam venerit & meliùs de nobis sperare incipiant seculares, quibus scandalum posuimus in via, & vos ad illud deinceps exequendum si concesserint tempora, disponatis corda vestra in obsequium Christi [ cuius vtinam bonus odor simus in omni loco ] Valete Reuerendi Patres & dilectissimi Fratres, & me Congregationemq; nostram, vestris interim Orationibus iuuate Romæ. Nonis Iulij Anno Dñi. 1591.

Atque hac Epistolâ Doctissimi Rolle præmissà, quam non ingratam beneuolis Sacro Ordini futuram existimo; insuper S. Anselmi Ordinis Nostri gemmæ, illius quondam quà merito Sanctitatis, quâ scientiæ laude excellentissimi viri & Doctoris *Lanfranci*, Discipuli, & in Archiepiscopatu Cantuariensi Successoris, Centum & quatuor versus, ex longissimâ illâ Mille carminum Eclogâ *De vitâ Monachorum* ab eodem Anselmo religiosissimè scripta, desumptos, adijcio.

# D. ANSELMI

## Ex

## *Monacho Ordinis S. Benedicti Archiepiscopi Cantuariensis, De mundi contemptu vitaq́ Monachorum Carmen.*

QVid deceat Monachum, vel qualis debeat esse
Qui iubet vt dicam, porrigat ipse manum.
Non tonsura facit Monachum, non horrida vestis
Sed virtus animi, perpetuusque rigor;
Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,
Sanctaq; sobrietas, hæc faciunt Monachum.
Hæc vos in cælum, Monachi, quadriga leuabit,
Hæc post hanc vitam præmia summa dabit.
Non tonsura iuuat, iuuat aut vilissima vestis
Si lupus es, quamuis esse videris ouis
Nam falli possunt homines: sed fallere Christum
[Qui nullum fallit] nemo potest hominum.
Ille quidem fucum simulatæ relligionis
Damnat & in reprobis moribus esse nequit:
Vouistis fratres? vouistis? Vestra rogamus
Viuite solliciti reddere vota DEO.
In maiestatem Diuinam peccat abundè
Quisquis quæ non vult reddere, vota vouet.
Vouistis Domino vestros conuertere mores?
Jam non peccetis: sit modus & vitijs.
Nunc humilis viuat, qui vixerat ante superbus:
Sit castus, quisquis luxuriosus erat.
Quærebat census aliquis? captabat honores?
Hinc iam vilescant census honorq; sibi
Gaudebat dapibus? gaudebat diuite mensa?
Nunc tenuem victum sobria cæna dabit

Ille

Ille ſuis lætus ſucceſſibus eſſe ſolebat
  Nunc lacrymis culpas diluat ipſe ſuas.
Oſtro conſpicuus, gemmis inſignis & auro!
  Veſte modo vili, ſqualida membra tegat.
Verboſus taceat, miteſcat feruidus ira
  Inuidus inuidiæ dira venena vomat.
Cuiq; prius cædes placuit, placuêre rapinæ:
  Nunc pius & mitis pacis amator erit
Quiſquis adulantûm ventoſâ laude tumebat,
  Nunc hominum laudes æſtimet eſſe nihil.
Et qui ſpontè malus; gratiſq; nocere ſolebat,
  Nunc etiam læſus vtilis eſſe velit.
Ad lites facilis fuit hic, ad iurgia præceps?
  Fortiter alterius nunc maledicta ferat.
Non hunc contemptus, non hunc iniuria frangat:
  Omnia robuſto corde moleſta ferat.
Pax, animiq; quies inter conuitia duret:
  Nam fortem rerum nulla procella mouet.
Hæc veniam [fratres] conuerſio vera meretur:
  Hæc valet offenſum flectere vita DEVM.
Funeſtum Monacho eſt quicquid malè ſuggerit hoſtis
  Et conatur eum fallere mille modis.
Eſſe DEVM credat præſentem, ſemper, vbique:
  Nec ſe, ſi peccat, poſſe latere putet.
Cuncta ſcit, atq; videt, nec quicquam præterit illum!
  Omnia ſunt oculis nuda & aperta ſuis.
Cùm qui turpe facit qui me ſpectanteruberet,
  Cur ſpectante DEO non magis ipſe rubet?
Si patriæ iudex ſciret ſua facta, timeret,
  Scit Dominus rerum, cur nihil ergo timet?
Sed tacet, & differt, & nondum crimina punit:
  Puniet, & meritis arbiter æquus erit.

Propoſitum vitæ Monachi ſeruato rigorem:
Nec pigeat paruo tempore parua pati.
Exiguus labor eſt, ſed merces magna laboris
Præterit ille citò, præmia fine carent.
Ergo Deo melius, ſi nil cognoſcitis eſſe
Imò ſi ſummum creditis eſſe bonum:
Contemptis mundi rebus labentibus iſtis,
Iam ſint in ſolo gaudia veſtro Deo.
Et mihi, quæ poſſunt amitti, nulla videntur:
Nec longum quicquid deſinit, eſſe reor.
Nam quid honor? quid opes? quid gloria? quidue iuuentus?
Forma, genus, vires, fæmina, veſtis, ager?
Magna potentia, multa ſcientia, falſa voluptas?
Vita quid? & noſtri corporis ipſa ſalus?
Non amo, quod peſtis, quod fur, quod ſurripit hoſtis,
Et quæ, ſi parcant, aſpera mors adimit.
Quis poterit fari, quis ſcribere, quis meditari?
Quæ dabis in cælis præmia Chriſte tuis?
Quiſquis ad hæc igitur paradiſi gaudia tendis,
Sedulus anguſtam nunc age, diſce viam.
Ne laxes vitijs auguſtæ mentis habenas,
Diuini ſemper frena timoris habe.
Expecta Dominum, formida iudicis iram:
Et quod promittit Rex tibi, miles ama.
Paruulus eſto vide, mentis depone tumorem:
Porta Dei nullum qui tumet arcta capit.
Summa quidem virtus monachi parere Priori,
Ferre iugum normæ, ſeq; negare ſibi.
Quicquid præcipiet, mox & ſine murmure ſerua,
Peccatum ſolum dedecuiſſe puta.
Non vilis veſtis, non te locus vltimus angat,
Sæpè tui ſtultos Ordinis iſta mouent.

Sed

Sed si nos sanè sapimus, si vera fatemur.
  Aggreditur virtus ardua, dura probat.
Qui sibi vilescit, qui se nihil æstimat esse,
  Et timet, & mundi labilis alta fugit,
Hic est & sapiens, & cælo proximus iste:
  Non sine re monachi nomen inane gerit.
Si vult ditari, varios si quærit honores
  Induit occultum pellis ouina lupum
Sed qui cuncta videt, mundi pius arbiter ille
  Nouit oues; tacitos nouit & ipse lupos, &c.
Hæc ergo Monachus labijs & corde frequentet,
  Te mihi, te solum da, DEVS, & satis est.
O certè felix possessio, quæq; beatum
  Sola facit! Miserum cætera pondus habent, &c.

# ENCOMION
## S. P. N. BENEDICTI.

QVid tanto parente dignum eloquentia pariet?
gaudet ille fæcunda sobole, nitet præclarâ,
ambit illum corona Ducum, Dynastarum, Regum;
ornantur lituo manus, pedes sceptris.
BENEDICTVM virtus à puero statim extulit;
inter virgulta viruit, inter dumeta floruit,
ne flos iuuentæ quicquam deberet Veneri
cruore florem purpureum facit suo;
virtutis iactum semen in spinas,
aduerso more naturæ,
& feracius prouenit, & pulchrius:
acuit pudorem inter aculeos.
Sed hic qui sagittas Cupidinis fregit,
etiam Apollinis contempsit arcum;

è Cassi-

è Caſſinenſi eum arâ deiecit, caſſum honore
contriuit tripodes, ſcidit cortinam.
lucos in lucem protulit, vt falſum extingueret ſolem;
edentem oracula dubia
perculit, & comminuit ictu certo.
idem ſimulati Regis purpuram luſit, veri ſpreuit;
vidit Italiæ fulmen ad pedes abiectum ſuos.
quid mirum? & Erebi tyrannum domuit,
imo ex hominis corpore impactâ fugauit alapâ:
ita hoſtis, qui ad eius prodigia didicerat expalleſcere,
ad ſua probra didicit etiam erubeſcere.

*Et exultabit lingua mea Iuſtitiam tuam*

DEVS.

Index

# INDEX AVCTORVM,

*Quorum testimonijs vsus est D. Præpositus Tuchouiensis, in vniuerso suo hoc Opere.*

---

# INDEX RERVM NOTABILIVM

In hoc Opere contentarum, vbi numerus appositus paginam designat.

## A.

ras di-

## H.



## I.



## L.



Lusita-

## P.



## Q.



## R.

Turo-

✠

# APPROBATIO.
## *CENSORIS.*

Liber, cui titulus est, Aquila Polono - Benedictina, multùm illustrat ſacrum & celeberrimum Diui Benedicti Ordinem, nihilq; continet Catholicæ fidei aut bonis moribus aduerſum. proinde vt publicam videat lucem, facultatem concedo. 16. *Iulij. Anno Dñi.* 1663.

HYACINTHVS LIBERIVS S.T.D.
*Præpoſitus Eccl. SS. Corporis Chriſti, Canonicor: Regul. Librorum in Diæc. Crac:*
*CENSOR.*

M. STA-

# M. STANISLAI IOSEPHI BIEZANOVII

Philoſophiæ Doctoris.

*ad Religioſiſſimos & eximios*

Tynecenſis Monaſterij Aſcetas

Carmen Paræneticum.

*FElices animæ, Benedicti clara propago,*
*Quas Eremi Sacræ clauſtra beata tenent.*
*Regia vos Lechicis* Caſimiri *dextera terris*
*Intulit, eximio conſtituitque loco.*
*Tynecenſe decus, tot iam per ſæcula ductum*
*O quàm conſpicuis floruit vſque Viris!*
*Quos morum probitas, Sanctæ quos Regula Vitæ,*
*Ornauit ſtudij quos ſapientis amor.*
*Has vobis laudes, hæc veſtri inſignia cætûs,*
*Vindicat, antiquum reſtituitq́; decus*
*Doctrinâ clarus, calamo clariſſimus Autor*
Sczygielski, *doctæ gloria pulchra togæ.*
*Hoc agit, vt priſci redeant pulcherrima ſæcli,*
*Doctrinæ ſtudia, & relligionis honos.*

Alcuinoſq́; *iterum* Benedicti *proferat Ordo,*
*Inuigilans doctis, cum pietate, libris,*
*Illius hoc animi votum eſt, hæc meta laborum,*
*Pectore quam grato vos retinere decet.*
*Conſiliumq́ ſequi; quod candida dictat amoris*
*Gratia fraterni, zelus & ipſe dedit.*
*Ferueat vt pietas, veſtræ dos maxima vitæ*
*Doctrinæ vigeat ſic quoq́ priſcus amor.*
*Florida ſic iterum Tynecl gloria ſurget,*
*Sic Benedictinis res benedicta fluet.*

*AMI-*

# *AMICE LECTOR,*

Ne Erratis indignâre nostris, sed patienter sic emenda.

*Menda*

In Epist. Dedic. Columna 4. linea 13. *apiacem* lege apicem. ibid. colum. 5. linea 18. post verbum penultimum, duo puncta expungito, quæ sensum perturbant.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| pag. | 8. | lin. | 8. | periodus importunè posita post verbum *instituti.* |
| pag. | 13. | lin. | 27. | pro *inbutis* lege imbutis. |
| pag. | 14. | lin. | 16. | *Potifex* lege Pontifex. |
| pag. | 20. | lin. | 16. | *Abbates* lege Abbatias. |
| pag. | 35. | lin. | 12. | *Methodius* lege Methudius. |
| pag. | 77. | lin. | 7. | *immmaniter* lege immaniter. |
| pag. | 88. | lin. | 28. | *Dofunctorum* lege Defunctorum. |
| pag. | 90. | lin. | 1. | *Chabrun* lege Chabrum. |

Post paginam 122. num. marg. corrigito, & pro 223. lege 123.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| pag. | 137. | lin. | 21. | pro 559. lege 569. |
| pag. | 139. | lin. | 1. | pro 160. lege 601. |
| | & | lin. | 16. | *in Gallis* lege in Gallijs. |
| pag. | 143. | lin. | 9. | pro 744. lege 774. |
| | & | lin. | 30. | pro 785. lege 780. |
| pag. | 145. | lin. | 24. | *Rabulæ* lege Tabulæ. |
| | & | lin. | 25. | *Benedictius* lege Benedictus. |
| pag. | 147. | lin. | 1. | *deferendum* lege deferendam. |
| pag. | 148. | lin. | 4. | *pates* lege partes. |
| | & | lin. | 26. | *iurisdictione* lege iurisdictioni. |
| pag. | 161. | lin. | 5. | *cæmeret* lege coemeret. |
| pag. | 162. | lin. | 13. | *discipulis* lege discipulus. |
| | & | lin. | 14. | *Vniuersitate* lege Vniuersitati. |
| | & | lin. | 15. | *erudienis* lege erudiendis. |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| & | lin. | 19. | *melle* lege mella. | |
| pag. | 163. | lin. | 18. | *rigebant* lege rigabant. |
| pag. | 164. | lin. | 1. | *Geniblacensis* Gemblacensis. |
| pag. | 167. | lin. | 12. | *iuuare* lege iurare. |
| pag. | 168. | lin. | 21. | *& ipsisq;* lege & ipsis. |
| | & | lin. | 29. | *è quibusuis lege* à quibusuis. |
| pag. | 195. | lin. | 12. | *charitas* lege charitatis. |
| pag. | 197. | lin. | 30. | *peuenerunt* lege peruenerunt. |
| pag. | 317. | lin. | 11. | *psendopoliticis* lege pseudopoliticis. |

*Cætera prudens Lector deprehensa, facilè condonabit.*

# F I N I S.

*Ad maiorem D E I gloriam.*